FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

DIALECTICAE || CONSIDERA-||TIONIS || LIBRI SEX, || Aristotelici Organi summam, hoc est; totius || Dialectices ab Aristotele tractatæ || ...

Tittelmans, Franciscus

Lugduni, 1551

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-151015

Visual Library

Hüm Codicum Guernerius Wan-
den prunsis Lagenstucken deckt He

900 Anno Dni 85 die 4 Octo

172 E. 3
172

DIALECTICAE CONSIDERATIONIS LIBRI SEX,

Aristotelici Organi summam, hoc est, totius Dialectices ab Aristotele tractatæ complectentes, videlicet,

De Prædicabilibus.
De Prædicamentis.
De Interpretatione, siue Enuntiatione.
De Syllogismo.
De locis Dialecticis.
De locis Sophisticis.

F. FRANCISCO Titelmanno Hasselense, ordinis fratrum Minorum, sanctarum Scripturarum apud Louanienses prælectore, authore.

LVGDVNI,
Apud Guliel. Rouillium sub scuto Veneto.
M. D. LI.

Franckesche Stiftungen
Haupt-
Bibliothek
Halle/Saale

FLORENTISSIMAE IN LOVANIENSI ACADEMIA LIBERALIVM ARTIVM FACVLTATI,

*

F. FRANCISCVS TITELMANNVS, eiusdem humilis alumnus debitum offert obsequium.

*

MEMINI ferè ante trienniũ, cùm libros duodecim de Consideratione rerum naturalium tuo nomini, mater veneranda, nuncũparem, quod tum in Physica disciplina exhibebam, id & in Dialectica aliquando me tentaturum spopondisse, si modò noster ille labor tibi nõ ingratus, & tuis alumnis non inutilis comprobaretur. Quæ sanè promissio, tametsi sub dubitationis quodam moderamine pronuntiata, sic me deuinxit, atque etiamnum constrictum implicitúmque tenet, vt ab officio illo vel sine mei nominis iactura, vel sine tuæ gratitudinis offensa, nõ mihi integrum videatur cessare. Si enim ab implenda promissione destitero, vel tu fastidiuisse iudicabe-

ris humile donum,vt ego à promisso videar illo tuo fastidio absolutus,futurúmque est vt de te malè iudicent,& aduersum te indignentur,si qui fortè extiterint,quibus prior ille noster labor non videbatur improbandus:aut ego,tanquam promissionis immemor,leuitatis arguar ac vanitatis,audiãque à subsannãtibus quod aduersum vanos homines proferri solet,Pollicitis diues quilibet esse potest. Et illud,Parturiunt montes,nascetur ridiculus mus. Accedit ad hanc necessitatem studiosorum plurimorum, tum nostratium, tum externorum, pia & importuna quædam sedulitas:qui ab eo tempore quo prior ille labor sub oculos hominũ exiit in lucem,partim verbis,partim literis,promisi me admonere, atque ad satisfaciendum illi quam ex meis verbis concepisse se asserunt expectationi perurgere atque impellere hactenus non desistunt. Aliis quidem humili prece id à me fieri postulantibus,aliis pia charitate pro communi bono & studiis honestis adiuuandis pia charitate efflagitantibus,nonnullis etiam quasi debitum rigorosa quadam iustitiæ seueritate exigentibus. Proinde, vt matrem de me optimè meritam ab iniqua suspicione liberarem,& meum ipsius humile nomen à lauitatis & vanitatis nota defenderem, studiosorum quoque expectationi maturius satisfacerem, &(quæ primo loco erat causa promouenda) promouendis liberalibus studiis, hoc sanè tempore quo omnia ab hæreticis contaminantur & commiscentur, ad Ecclesiæ & veritatis catholicæ defensionem permaximè necessariis, pro mea virili

Horat:

non

nonnihil conferrem, visum est non vltra differre propositi promissique adimpletionem, quam neque hactenus protraxissem, si per corpusculi imbecillitatem & otium à rebus necessariis, maturius præstare quod promiseram licuisset. Superiori itaque æstate, corporis viribus vtcunque reparatis, & otio à rebus magis seriis tantisper, vel cum gratia impetrato, vel cum iniuria quadam succiso, & (vt planè dicam) furtim subtracto, animum adiiciens Dialecticarum rerum considerationi, sex libris quicquid in eis videbatur esse præcipuum tentaui comprehendere, illisque omissis quæ à Dialectica synceritate prorsus aliena videbantur, ea quę ad rem faciebant planè lucideque quantum potui, proponere & explanare curaui: ne tenelli adolescētes rerum superuacanearum prolixa multitudine & inuoluta difficultate deterriti, animum desponderent, relictisque vtilibus studiis ad inania defluerent: id quod hactenus non paucis euenisse constat. Semper enim in illa fui sententia, quam & Socrati apud Platonem inuenio probatam, melius esse pauca quædam ordinatè & lucidè proponere, quàm multa sine ordine conuoluta obscurè profundere. Quo verò tuis alumnis noster hic labor foret vtilior, illum ferè in omnibus ordinem sumus insequuti, qui est apud Aristotelem M. Tullij iudicio, totius Dialecticæ principem: quo idem ille dicit nihil esse acutius, nihil politius: cui admirabilem tribuit scientiam & inuentionem, incredibilem quoque dicendi copiam & suauitatem: quem denique tanti ille facit, vt nec venia dignos putet Philoso-

phos illos, quibus tantus philosophus esset incogni tus. Vt nō immeritò præ cæteris omnibus qui Dialecticam tractauerunt, hunc vnum à multis seculis Academiæ censuerint adolescentibus in arte Dialectica instituendis proponendum atque prælegendum. Ad cuius augustam amplitudinem compendiosam huius nostri operis breuitatē velut introductoriam: nos quoque parauimus. Hunc itaque nostrum in Dialecticis laborem, quem tuo nomini, mater veneranda, omni iure debui nuncupare, precor vt eo animo de manu seruuli & alumni tui suscipias, quo priorem illum in Physicis à te fuisse susceptum, certissimis argumentis fecisti testatum. Bene vale. Louanij, Anno à CHRISTO nato, Millesimo, Quingentesimo, Trigesimotertio, xv. Octobris.

*

PROLOGVS APOLOGETICVS PRO DIALECTICAE CAETERARVMQVE LIBERALIVM ARTIVM TVENDA DIGNITATE.

GLORIOSVM illud Ecclesiæ lumen Aurelius Augustinus, in libris quos de ciuitate Dei, pro Christianæ fidei firmamento insignes & nunquam satis laudatos edidit, de variis Ecclesiæ persequutionibus agēs, inter cætera de apostata illo Iuliano Augusto, cuius egregiam indolem amore dominandi (vt idem ille ait) sacrilega & detestanda curiositas perdidit, hoc signanter commemorat, atq; etiam digno pōdere aggrauat, quòd publico edicto Christianos vetuerit artes liberales docere vel discere. De Iuliano (inquit) apostata quid dicturi sunt? An ipse nō est Ecclesiā persequutus, qui Christianos liberales artes docere aut discere vetuit? Cuius quidem propositi rationem illi qui cum Apostolo cogitationes astuti illius satanæ nō ignorat, in promptu erit inuenire, atq; exponere facillimum. Nimirum aduertēs humani generis inimicus, per vim atq; potētiam principum, quorum furorem aduersus Christianum nomen ab initio nascentis Ecclesiæ excitauerat, vsqueadeò nihil se promouere, vt in dies magis magisq; Christiani nominis gloria clarescceret, & fides Christi dilatata proficeret, aliam excogitauit ille artifex persequendi rationem, qua videlicet sapientum huius seculi tumidos animos in Christianam simplicitatē excitaret, illorumq; stylos & calamos in hanc exacueret, vt omnem ingenij vim & totum artis acumen ad hanc oppugnandam conuerterent. Inter quos vel primus extitit peruersus ille apostata, qui post abnegatum sacrum Christi nomen, cuius sacramentis fuerat initiatus, vim omnem suæ eruditionis atque eloquentiæ, qua ab annis teneris egregiè erat institutus, eò contulit, vt semel abiuratam fidem pro sua virili funditus deleret, Christiq́ue Ecclesiam, quam ipse perfuga factus iam dereliquerat, solo æquaret, radicitúsque euerteret. Id quod luce clarius testantur eius virulentissima opera, in odium & oppu-

Augusti. lib. 18. de ciuit. Dei.

2. Cor. 2.

gnationem fidei Christianę ædita, quorũ fragmenta aliquot in libris sanctorum patrũ, qui illius insaniæ diuino auxilio freti restiterunt viriliter, etiãnũ visere licet. Ex quibus paculis facile est coniicere, cuiusmodi illa fuerint plena volumina quæ in Christum (quẽ cõtumeliæ gratia Galilæum) & Christianos (quos ab illo Galilæos nominabat) temeritas eius insana euomuit. Is itaque cùm videret à viris Christianis se nec sapientia, nec eloquẽtia seculari inferioribus, quales ab initio aliquot semper habuit Ecclesia, validius quàm existimauerat suis obiectionibus respondẽri, nec deesse qui insana in Christũ iactata conuitia in furibundum ipsius caput
Prou. 21. aptissimè retorquerẽt, quíq; (iuxta Sapiẽtis verbum) stulto auderent & possent iuxta stultitiã suam respondere, ne sibi ac suis nimiũ sapiens videretur, facile aduertit, non effecturũ se quod conceperat animo, nec posse voto potiri, donec inter Christianos vigeret sapientia & eloquẽtia seculi, quibus solis à consequendo proposito se impediri existimabat. Simplicitatem nanq; Christiani dogmatis facile superare se posse cõfidebat, si secularis esset sapiẽtię præsidio destituta. Hoc itaq; animo, illo suggerẽte à quo possidebatur & agitabatur perfida belua, publico edicto, ne Christiani liberales artes vel docerẽt vel discerẽt, prohibuit. Cuius quidẽ in
1. Re. 13. pietatis figura quædã, multo antè in Philisthæorũ aduersus Israëlitas, populum Domini, iniqua machinatione prẽmonstrata est: qui vt populũ Domini secura possessione sub tyrãnide sua cõtinerent, fabrilem artem de terra Israëlitica abstulerãt, cauẽtes ne Israëlitæ hastã haberent aut gladiũ quibus se aduersus illorum tyrannidem possent defendere. Imitantur verò strenuè illud apostatæ exẽplum, & Philisthęorũ figurã adimplent, impudentes hæretici, præcipuè verò hęreticorũ magistri: quos experientia docet, & liberales artes omnes, & scholas in quibus eiusmodi tradũtur, summo odio
Hæretici artes liberales criminãtur. persequi, maledictisq; & blasphemiis incessere: nõ alio haud dubiè prætextu quã fecerat ille, sed nec dissimili animo. In colorem enim aut fucum verius suæ impietatis dicebat ille, non decere Christianam simplicitatem adinuẽtionibus hominum intendere, nec debere strophis dialecticis implicari eos qui professionem tam simplicem vellent sectari. Sicque astutus ille etiã gratiam videbatur reposcere, quasi pro insigni beneficio, cùm dolum pessimum animo meditaretur.

Ita

Ita sanè & impij hæretici liberales artes incessunt conuitiis,& maledictis dilacerant:pietatis quidem fucum prætexẽtes, sed animum mala cogitatione plenũ gestantes.Optarent enim se solos armis esse munitos,cęteros autem omnes inermes remanere: quo facilius in suæ impietatis ditionẽ, vi disputationis aut persuasionis efficacia, simplicium animos pertraherent,suæq; tyrannidi subiectos retinerent.Prę cæteris verò Dialecticam odio irreconciliabili persequuntur,propterea quòd inter omnes nulla sit adeò illorum proposito aduersa, quæ sic illorum fraudes detegit,nodos dissoluit, aperit laqueos,persuasiones annihilat.Hac nimirum ratione,vt(iuxta Comici verbum)semper odium parit veritas.Dialecticam illi criminantur & calumniãtur, quasi cum simplicitate Christiana pugnantem: multisq; aliis rationibus & confictis falsis calumniis,ingenuos adolescentes dehortantur,ne illi animum dedant:simplicibusq; persuadent parentibus,ne suos liberos talibus destinent studiis.Sunt verò & alij non pauci Dialectice cæterarumq; liberalium artium studiis non tam ex affectus peruersitate,quàm ex ignorantia & imperitia rerúmque inexperientia detrahentes:qui cùm neque Dialectice verum vsum,neque traditionis eius modum nouerint, audent tamen egregij homines passim apud in eruditos simplicésq; & inexpertos adolescẽtes,eam irridere,quasi ieiunam,spinosam,horridam, squalidam, sterilem,inamœnam,inutilem,nomine etiam odioso sophisticam eã appellantes.Quos si interroges quid Dialectica,aut quid sophistica,& quid ab inuicem hæ differant,mutos inuenies,& quæ damnauerint aut comprobauerint nõ intelle xisse comperies.Qui si eruditissimorum & probatissimorum authorum de illa sententiam diligenter expédissent,& rerum iustam haberent experientiam, non sic adolescentum animos corrumperent,neque ab optimis & vtilissimis studiis auocarent.Cùm itaque hac nostra tempestate quamplurimos eiusmodi liberalium artium, peculiariter verò Dialectice calumniatores,passim inueniri constet,quorum falsis persuasionibus bonam partem adolescentum eorum maximè de quibus amplior aliqua spes bonæ frugis videbatur expectanda, miserè perire, quotidiana (proh dolor) experientia apertius monstret,quàm vt dissimulare liceat, visum est nobis in huius nostri operis initio quod de consi-

deratione Dialectica ad communem studiosorum vtilitatem conscripsimus, Dialecticæ dignitatem & authoritatem aduersum calumniantes tueri atque defendere: nō quidem studio contentionis, sed eo tantum animo, vt qui fortè per ignorantiam aut inexperientiam minus bene de Dialectica senserint, & minus rectè loquuti fuerint, cognita veritate, desinant malè sentire, desinant & maledicere. Quia verò ad tantæ rei persuasionem nostram orationem sciebamus nequaquam sufficere: visum est, ex clarissimorum & omnium iudicio eruditissimorum authorum sententiis id agere, quorum tanta est apud omnes eruditos æstimatio, tanta authoritas, vt refragari illis nemo audeat. Proinde, annotatis ex variis authoribus notatu dignis sententiis quæ ad Dialecticæ commendationem facere videbantur, eas in hūc locum congessimus, sicque per titulos & capita certo quodam ordine (quantum commodè in tam cōfusa diuersarum rerum sylua fieri potuit) digessimus: vt quasi vna perpetua videri possit oratio, quæ ex tam variis est partibus contexta. Poteramus forsitan & nos, propria qualicunque oratione, Dialecticam vtcunque commēdare, & eius multiplicem explicare vtilitatem, dignitatémque exponere. Verùm illud putabamus fore vtilius, si quæ à nobis fuerāt dicenda, ea ex grauissimorum authorum & Christianorum & gentilium ore proferrentur. Obsecro igitur eos ad quos noster hic labor perueniet, vt maturo iudicio iis quæ infrà subiicientur sententiis expensis, bonas artes discant magnifacere, desinantque simplices studiosorum adolescentum animos ab iis quæ ex re ipsorum sunt, auertere. Quòd si fortè ab illis nequiuero obtinere, qui animum obfirmauerunt aduersus bona studia, spero tamen adolescentes ipsos nostra hac diligentia post hac cautiores futuros, & tam graui tamque multiplici authoritate præmonitos non ita facile malè suadentibus aures præbituros. Neque enim tam sine iudicio esse poterunt, quin facile aduertant, quæ à præclarissimis viris tam magnopere sunt commendata, atque in tanto pretio habita ad hominis vnius vulgaris, vel imperiti vel inexperti iudicium, non esse contemnenda Sed nos iam ad rem accedamus.

SEN

SENTENTIAE QVAEDAM CLARISSIMORVM VIRORVM, TVM CHRISTIANORVM, TVM GENTILIVM, EX IPSORVM ERVDITISSIMIS LIBRIS HVC CONGESTAE, ATQVE PER TITVLOS & CAPITA CERTO QVODAM ORDINE DIGESTAE, PRO DIALECTICAE CAETERARVMQ; LIBERALIVM ARTIVM TVENDA DIGNITATE.

CAPVT I.

Diuinus Plato magnificè sentit de Dialecti.

QVAM magnificè diuinus Plato de Dialectica senserit, suoq; illo ore in Philosophia (vt Augustinus ait) purgatissimo & lucidissimo pronũtiauerit, in dialogo qui Phędrus inscribitur, Socratem præceptorem suum introducit cum Phædro ita loquentem: Harum ergo diuisionũm collectionumq;, ô Phædre, amicus sum, vt & intelligendi & loquendi sim compos. Ac si quem alium posse arbitror, tum ad vnum, tum ad multa, pro rerum natura respicere, huius à tergo tanquàm Dei vestigia sequor. Atq; eos qui id facere possunt, hactenus voco Dialecticos. Cõsentitq; mox Phædrus, rectè artem hanc Dialecticam appellari, dicens.

Pericles ob Dialecticæ & Physicæ peritiã orator insignis.

In eodẽ dialogo de Pericle insigni oratore cum Phædro colloquens Socrates: Videtur, inquit, non iniuria Pericles oratorum omnium perfectissimus extitisse. Magnæ enim quælibet artes, exercitatione Dialectica, contemplationeq; sublimium in natura rerum, indigent. Ipsa enim mentis sublimitas, & vis efficax in qualibet re perficienda, hinc quodammodo proficisci videntur: quod Pericles ad ingenij acumen adiunxit. Anaxagoræ nanq; huiusmodi rerum indagatoris familiaritate fretus, cõtemplationi se tradidit, vnde ad dicendi artem quod ipsi videbatur traduxit.

In dialogo autẽ septimo in republica vel de iusto Socratem inducit, mechanicas artes atq; etiã Mathematicas cum Dialectica comparantẽ, vbi hæc eius cũ Glaucone differentis verba leguntur. SOCRATES. Nemo autẽ aduersabitur nobis dicẽtibus quòd differendi facultas duntaxat conatur ordine certo circa vnumquodq;, quid ipsum sit inuenire. Siquidem cæteræ artes (id est mechanicæ) aut ad opiniones hominum cupiditatesq; respiciunt, vel ad generationes, & compositiones, vel ad culturam eorum quæ generantur, & corrũpuntur. Reliquæ verò, quas diximus verarũ rerũ quoquo

quo modo participes esse. Geometria scilicet eiúsq; comites, circa ipsam essentiam quodāmodo somniant: syncerè autē quicquam ab illis cernere, impossibile est, quousq; suppositionibus hærēt, eásq; ratas & immobiles adeò seruant, vt illarum rationē reddere nequeant. Dialectica vero sola sublatis suppositionibus omnibus, ad ipsum principium cōfirmādum pergit, ac reuera animi oculum cœno barbarico obrutū, paulatim sursum trahit ac ducit, tanquam adiutricibus ac ministris quibusdam vtens his artibus quas narrauimus.

Hoc ipsū est quod in Topicis ait Arist. Dialecticam ad omniū methodorum principia habere viam.

Ac deinde nonnullis interpositis, legem statuit esse ferendam in repulica, qua iubeantur discentes eam potissimum disciplinam capessere, ex qua interrogandum & respondendum, vt scientem decet, aptissimi sint, quæ est Dialectica. Postremò (consentiente in idem Glaucone) Dialecticam doctrinis omnibus velut apicem esse præpositam dicit, nec vllam doctrinam vlterius aut eminentiorē reperiri, sed hic iam doctrinarum omnium esse finem. In dialogo quoque qui Cratylus inscribitur, siue de recta ratione nominum: Dialectici dicit esse officium, imponere rebus nomina, quòd is colligere sciat atque diuidere, nec ab alio quàm à dialectico commodè id fieri posse existimat.

Dialectica apex & finis omnium doctrinarum.

CAP. II.

QVOD sine Dialectica, Philosophia non potuit esse consummata, quódque Dialecticam Plato adiungēs scientiæ naturali & morali, consummatam effecerit Philosophiam, ex Augustino libro tertio contra Academicos. capi. 17. Plato vir sapientissimus & eruditissimus temporum suorum, qui & ita loquutus est, vt quæcunque diceret magna fierent, & ea loquutus est, vt quomodocunque diceret parua non fierent, dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, à Pythagoricis etiam multa didicisse. Pythagoras autem Græca Philosophia non contentus, quæ tunc aut penè nulla erat, aut certè occultissima, postquàm commotus Pherecydæ cuiusdam Syri disputationibus animum esse immortalem credidit, multos sapiētes etiam longè latéque peregrinatus audierat. Igitur Plato aduciens lepori subtilitatiq; Socraticæ, quam in moralibus habuit, naturalium, diuinarumq; rerum peritiā, quā ab eis quos memoraui diligēter acceperat, subiūgensque quasi formatricē illarū partium iudicemq; Dialecticā,

Augustinus de Platone & Dialectica.

quæ

quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapiẽtia omnino esse nõ posset, perfectã dicitur composuisse Philosophiæ disciplinam.

His Augustini verbis attestatur Diogenis, Laërtij sententia in lib. de vita Philosopho. cuius in descriptione vitæ Platonis, hæc sunt verba: Vt olim in tragœdia, prius quidem solus chorus agebat, postmodũ verò Thespis vnum inuenit histrionem, vt chorus interdum requiesceret: secũdum postea Aeschylus adiecit, & tertium Sophocles, atq; in hunc modũ tragœdia cõsummata est: ita & Philosophiæ ratio dudũ circa vnã tantũ Physicæ speciem versabatur. Accessit Socrates & adiecit Ethicen. Tertiam Plato Dialecticen addidit, & cõsummato Philosophiæ operi extremam manum apposuit. *Diogenes. Laertius.*

CAPVT III.

QVAE necessitas ad Dialecticæ artis inuentionẽ veteres induxerit, ex Seuerino Boëtio, in Commentariis super Topica Ciceronis: Cùm philosophia maximis in rebus operam studiúmq; cõsumat, eúmq; & in naturalibus inspectionẽ speculationémq; adhibeat, & in moralibus actionẽ, & sic formare gestiat mores, vt vera vitæ ratio persuaserit, euenire necesse est, vt secundum id quod ratio tenendum omittendúmve, faciendum quoq; aut non faciendum esse decreuerit, vel iudicium constituatur, vel exercendæ vitæ dirigatur intentio. Erit igitur necessarium, vel in naturali speculatione, vel in moralium actionum cogitatione, vt certa ratio vel quod in rebus speculandum est inueniat, vel quod in actum viuendi duci oporteat antè perpendat. Hęc autem ratio, nisi via quadam processerit, sæpe in multos necesse est labatur errores. Quod ne passim fieret, atq; vt certis regulis tractatus insisteret, visum est antiquæ Philosophiæ ducibus, vt ipsarum ratiocinationum quibus aliquid inquirendũ esset, naturam penitus antè discuterent: vt his purgatis atque cõpositis, vel in speculatione veritatis, vel exercendis virtutibus vteremur. Hæc est igitur disciplina, quasi differendi quędam magistra, quam Logicen veteres Peripatetici appellauerunt: quam Cicero definiens, differendi diligentẽ rationem vocauit: Stoici verò Dialecticam eam nuncupauerunt. *Seuerinus Boëtius.* *Dialectica differẽdi magistra.*

His per omnia consonãt quæ vir in diuinis & humanis literis egregiè eruditus, Hugo à sancto Victore, libr. 1. Didascalicæ eruditionis scribit, in hunc modũ: Cùm veteres multis sæpe lapsi erroribus, falsa quædam & sibi contraria in disputa *Hugo à sancto Victore.*

ſputatione colligerent, atq; id fieri impoſsibile videretur, vt de eadem re contraria concluſione facta vtraq; eſſent vera, quæ ſibi diſcutiens ratio concluſiſſet, cuíve ratiocinationi credi oporteret, eſſet ambiguum, viſum eſt prius diſputationis ipſius veram atq; integram conſiderare naturã: qua cognita, tum illud quoq; quod per diſputationem inueniretur, an verè eſſet comprehenſum, poſſet intelligi. Hinc igitur profecta Logicæ peritia diſciplinæ, quæ diſputandi modos, atq; ipſas ratiocinationes internoſcendi vias parat: vt quæ ratiocinatio nunc quidem vera, nunc autem falſa: quæ verò ſemper falſa, quæ nunquam falſa, poſsit agnoſci. Hæc tempore quidem eſt poſtrema, ſed ordine prima. Hæc enim inchoantibus prima legenda eſt, propterea quòd in ea docetur vocum atq; intellectuum natura, ſine quibus nullus Philoſophiæ tractatus rationabiliter explicari poteſt.

CAPVT IIII.

DIALECTICAM cæteris artibus inueniendis atque formandis eſſe neceſſariam.

Auguſti. Auguſtinus in lib. de ordine: Illo, inquit, modo perfecta diſpoſitaq; Grammatica, admonita eſt ratio quærere hanc ipſam vim quæ pepererat artem. Nã definiendo, diſtribuendo, colligendo, non ſolum digeſſerat Grammaticam atque ordinauerat, verumetiam ab omni falſitatis irreptione defenderat. Quando ergo ratio ad alia fabricanda tranſiret, niſi ſua ipſa prius machinamenta diſtingueret, notaret, digeret, proderetq; ipſam diſciplinam diſciplinarum, quam Dialecticam vocant? Hæc docet docere, hæc docet diſcere. In hac ſeipſam ratio ſibi demonſtrat, quæ ſcit, quid velit, quid valeat. Scit autem ſcire, vult ſola ſcientes facere: nec ſolum vult, ſed etiam poteſt.

Dialecticæ diſciplinæ diſciplinarũ.

Cicero. Eandem ſententiam Craſſus apud Ciceronem 1. libr. de Oratore pronuntiat, his verbis: Nihil eſt quod ad artem redigi poſsit, niſi ille prius qui illa tenet quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, vt ex iis rebus quarũ ars nondum ſit, artem efficere poſsit. Hoc video, dum breuiter voluerim dicere, dictum à me eſſe paulò obſcurius. Sed experiar, & dicam, ſi potero, planius. Omnia ferè quæ ſunt cõcluſa nunc artibus, diſperſa & diſsipata quondam fuerũt: vt in Muſicis, & numeri, & voces & modi: in Geometria, lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in Aſtrologia, cœli

conuer

conuersio,ortus,obitus,motusq; syderum:in Grammaticis, Poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborũ interpretatio,pronuntiandi quidã sonus.In hac deniq; ipsa ratione dicendi,excogitare,ornare,disponere,meminisse,agere,ignota quædam omnibus & diffusa latè videbantur.Adhibita est igitur ars quædã extrinsecus, ex alio genere quodam,quod sibi totũ Philosophi assumunt, quæ rem dissolutã cõuulsamq; cõglutinaret, & ratione quadã cõstringeret.

Quòd autem hanc artem Dialecticã velit dicere, ex alio eiusdem autoris opere monstratur apertius,quod de Claris oratoribus inscribitur:vbi de Seruio Sulpitio loquens,hunc in modũ Bruto interrogãti ipse respõdet : Sic enim (inquã) Brute,existimo,iuris ciuilis magnũ vsum,& apud Scęuolam & apud multos fuisse, artẽ in hoc vno:quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia,nisi eã præterea didicisset artẽ,quę doceret rem vniuersam distribuere in partes,latentẽ explicare definiẽdo,obscuram explanare interpretãdo,ambigua primum videre,dein distinguere.Postremo habere regulam qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent,quæq; non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam ,quasi lucem, ad ea quæ confusè ab aliis aut respondebantur aut agebantur. Dialecticã mihi videris dicere, inquit. Recte,inquam,intelligis.

Scæuola ob dialecticæ peritiã, cæteros in iuris cognitione excelluit.

Dialectica omniũ artiũ maxima.

Hanc quoq; sentẽtiam confirmant, quæ nostrorum ferè temporum vir eruditissimus,Rodolphus Agricola, libr. II. de inuentione scribit in hũc modum: Aristoteles, quiq; post eum alij , Dialectica instructi fuere, facile suis libris ostendunt, quàm magnus sit vsus eius, & quàm tractandis omnibus rebus accommodatus : vtq; sine ea non solum singula, de quibus in artium decursu dubitaretur explicari nequirent,sed ne artes quidem colligi possent , & in hanc quam acceperunt redigi formam. Hæc est illa scientia , quã apud Cicer.Crassus necessariam formandis artibus putauit, quãque cupit esse in Iureconsultis , quò non essent apud eos omnia actorum similia. Quæsitum est à Titio , & Labeo ait, etiam Celsus respondit,& apud Trebatium scriptum est.

Rodolph. Agricola.

Dialecticã in Iurecõsultis desiderat Cicero.

Ex his obiter discimus,etiã iuris ciuilis studiosis,Dialecticam apprimè conducere,maximamq; ad illud lucem adferre:id quod & Quintil. videtur indicare,lib. duodecimo Oratoriarum Institutionum, loquens in hunc modum: Quid?

Quintil.

Nónne

Nónne quæstio iuris omnis, aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis coniectura continetur? quorũ pars ad rationalem (Dialecticam dicit) pars ad moralem tractatum redundat. Ergo natura permixta est omnibus istis oratio, quæ quidem oratio est verè. Nam ignara quidem huiusce doctrinæ loquacitas erret necesse est, vt quæ vel nullos vel falsos habeat duces.

CAP. V.

Stoicorũ sententia ex Diogene, Laërtio.

QVANTI Dialecticã fecerint, veteres illi Stoici, ex Diogene Laërtio, de vita Philosoph. Absq; Dialecticæ speculatione, sapientẽ dicunt in oratione sine lapsu non futurum. Quippe ex illa dignosci verum atq; falsum, probabile itẽ & quod ambiguè dicatur intelligi. Ea remota, iam non licet ritè interrogare atq; respondere, sed pertingere eã quæ in negationibus est temeritatem ad ea etiam quæ fiũt, adeò vt in absurditatem ac vanitatem vertatur, qui phantasias minimè exercitas habet, neq; aliter acutum & ingeniosum cautumq; omnino in dicẽdo & fore & visum iri sapientem. Eiusdem enim esse, rectè loqui, recteq; cogitare, eiusdemq;, ad ea quæ proponuntur differere, & ad ea quæ interrogãtur respondere, quæ sint omnia viri Dialecticæ periti.

Ex eodẽ, Huiusmodi sunt in logicis Stoici, vt maximè asserãt Dialecticum solum esse Sapientẽ. Omnes enim res per eam quæ in verbis est speculationem cerni, quæq; ad naturã pertinẽt, & quæ rursum ad mores, logicæ egere adminiculo.

Stoicorũ pulchra cõparatio.

Ex eodem: Enimuero Philosophiam animãti similem dicũt, ossibus ac neruis Logicen, carnibus Ethicen, animæ Physicen conferentes. Siue rursus ouo: esse quippe superficiem (id est, testam) Logicen, sequentia Ethicen, intima & penitus abstrusa Physicen. Sunt qui agro frugifero: quippe circuniectam sepem Logicen, fructum Ethicen, humum ac arbores Physicen. Nonnulli ciuitati muris optimè septæ, ac pulchrè ex dignitate administratæ. In qua Stoicorũ comparatione illud est diligenter notandum, Dialecticam vbiq; comparari iis per quæ alia continentur, corroborantur, sustentantur, finiuntur, muniuntur, & defendũtur, vtpote ossibus & neruis, testæ oui, sepi agrum aut muro ciuitatẽ circundanti. Videlicet vt indicetur his comparationibus, quod

Rodolph. Agricola.

apertè asserit Rodolphus, Dialecticam esse ducem, directricem, atq; stabilitricem cæterarum artium, & sine cuius præsidio tueri fines suos reliquæ non satis commodè possent.

Apud

Apud Ciceronem lib.3.de finibus bonorum Cato refert, Dialecticam & Physicam à Stoicis inter virtutes esse numeratas,& rationem eius reddit apertius. Ad eas,inquit, virtutes de quibus disputatum est,Dialecticam etiã Stoici adiungunt & Physicam,easq; ambas virtutũ nomine appellant. Alteram,quòd habeat rationem ne cui falsò assentiamur, néve vnquam captiosa probabilitate fallamur,eaq; quæ de bonis & malis diceremus tenere tueriq; possimus. Nam sine hac arte,quẽuis arbitramur à vero abduci falliq; posse. Rectè igitur si omnibus in rebus temeritas ignoratioq; vitiosa est,ab his ea quæ tollit hæc virtus nominata est. Physicæ quoq; non sine causa idem tributus est honos.

Dialecticã & Physicã Stoici virtutes appellant.

Hactenus Stoicorum de Dialectica protulimus sententiã: quam illi quidẽ tanti fecerunt,cum non nisi altera eius pars, & ea quidem naturæ ordine posterior,ab eis fuerit cognita. Idquod manifestissimè Cicero testatur in Topicis,ad Trebatiũ ita scribens:Cum omnis ratio diligẽs disserendi duas habeat partes,alterã inueniendi,alteram iudicandi,vtriusq; princeps(vt mihi quidẽ videtur)Aristoteles fuit. Stoici autẽ in altera elaborauerunt.Iudicandi enim vias diligẽter perscrutati sunt,eam scientiam quã Dialecticen appellant. Inueniendi verò artem,quæ Topice dicitur,quæ ad vsum potior erat,& ordine naturæ certè prior,totam reliquerunt.

Cicer. de duabus Dialecticæ partibus.

Idem lib.4.de Finibus bonorum,Catoni qui de Stoicorum secta erat,respondens,sic ait:Cum duæ sint artes quibus perfectè ratio & oratio compleatur,vna inueniendi,altera disserendi,hanc posteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autem hi egregiè tradiderunt,illi omnino ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis quasi è Thesauris argumẽta depromerentur vestri ne suspicati quidem sunt,superiores autem artificio & via tradiderunt. Hęc ille. Quãto ergo pluris nunc est facienda Dialectica,quæ præter illã Stoicorũ disciplinam,alteram continet,& quasi nouã inueniendi artem,vsu potiorem,& natura priorem,quã Aristoteles plurib.libris tradidit,& de qua sola nostris ferè temporibus homo doctissimus Rodolphus Agricola,tres libros conscripsit,ab eruditis omnibus maximè laudatos.

Cato Stoicus Dialectic. & Physicam inter virtutes numerat.

CAP. VI.

QVOD Dialectica admodũ cõiunctam habeat eloquentiam artémq; dicendi,ex Quintiliano libro secũdo

Quintil.

Oratoriarum Institutionū: Duo (inquit) genera sunt orationis, altera perpetua quæ Rhetorice dicitur, altera cōcisa quæ Dialectice: quas quidē ita Zenon coniunxit, vt hanc cōpressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret similem.

Cicero. In eandem sententiam & Cicero scribit lib. 2. de Finibus bonorū & malorum: Zenonis est, inquam, hoc Stoici, omnē vim loquendi in duas tributam esse partes dicere, Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat: quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem cōtractius.

Apta Zenonis cōparatio. Idem in libro de perfecto Oratore: Zeno quidē ille à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes (Dialecticā & Rhetoricam) interesset. Nam cùm cōpresserat digitos, pugnúmq; fecerat, Dialecticā aiebat eiusmodi esse: cùm autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem esse eloquentiam dicebat. Atq; *Aristotel.* etiam ante hunc Arist. in principio artis Rhetoricæ, dicit illam artē quasi ex altera parte respondere Dialecticę: vt hoc videlicet differant inter se, quòd hęc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior.

CAP. VII.

QVOD absq; Dialectica & Philosophia nemo perfectā assequi possit eloquentiā, nec Rhetor esse sine Philo *Orator.* sophia, ex Cicerone in lib. de perfecto Oratore: Platonis & *debet esse Philosophus.* aliorum Philosophorum disputationibus & exagitatus maximè orator est, & adiutus. Omnis enim hubertas & quasi sylua dicendi, ducta ab illis est.

Rursum: Positū sit igitur in primis, quod pòst magis intelligetur, sine Philosophia non posse effici, quem quærimus eloquentem. Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus, sine Philosophia potest quisquam dicere. Nec verò sine Philosophorum disciplina genus & speciem cuiusq; rei cernere, neq; eam definiendo explicare, nec distribuere in partes possumus, nec iudicare quæ vera, quæ falsa sint, neq; cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.

Expressius etiā & distinctius postmodū ista declarat, cum post multa eodē in libro de Oratore tractata ista subiūgit: *Orator sit Dialecticus.* Esse igitur perfectæ eloquentię puto, nō eam solū facultatē habere quæ sit eius propria, fuse lateq; dicēdi, sed etiā vicinam eius atq; finitimam Dialecticorum scientiā assumere.

Et

Et rursum post pauca: Nam & ipse Aristot. tradidit præcepta plurima disserendi, & postea qui Dialectici dicuntur spinosiora multa pepererunt. Ergo eũ censeo qui eloquẽtię laude ducatur, nõ esse earum rerũ omnino rudẽ, sed vel illa antiqua, vel hac Chrysippi disciplina institutus, nouerit primũ vim, naturã, genera verborũ & simpliciũ & copulatorũ. Deinde, quot modis quidq; dicatur, qua ratione verum falsúmve sit iudicetur, quid efficiatur è quoq;, quod cuiq; cõsequens sit, quódq; contrariũ. Cumq; ambigue multa dicãtur, quo modo quidq; eorũ diuidi explanariq; oporteat. Hęc tenenda sunt Oratori, sæpe enim occurrunt: sed quia sponte sua squallidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis qui dã orationis nitor. Et quoniã in omnibus quę ratione docẽtur, & via primũ cõstituendũ est, quid quidq; sit (Niſi enim inter eos qui disceptant cõuenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec vnquã ad exitũ perueniri potest) explicãda est sępe verbis mens nostra de quaq; re, atq; inuolutæ rei notitia definiendo est aperienda. Siquidẽ definitio est oratio, quæ quid sit id de quo agitur, ostẽdit breuissimè. Tum vt scis, explicato genere cuiusq; rei videndũ est, quæ sint eius generis, siue formæ, siue partes, vt in ea distribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas ei quẽ volumus esse eloquentem, vt diffinire rem possit. Idémq; etiam cùm res postulabit, genus vniuersum in species certas, vt nulla neq; prætermittatur neque redundet, partietur ac diuidet. *Hæc omnia sola docet Dialectica.*

Quam deniq; sententiam ita concludit: Nec verò Dialecticis modò sit instructus, sed habeat omnes Philosophiæ notos & tractatos locos.

Suprapositæ Marci Tullij sententiæ apertè subscribit Quintil. lib. 12. Oratoriarum Institutionum de scientia diuinarum humanarúmq; rerũ loquens: Quæ quidem, inquiẽs, cum sit in tres diuisa partes, naturalem, moralem, & rationalem, quæ tandem non est cum oratoris opere coniuncta? Nam (vt ordinẽ retro agamus) de vltima illa, quæ tota versatur in verbis, nemo dubitauerit, & proprietates vocis cuiusq; nosse, & ambigua aperire, & perplexa discernere, & de falsis iudicare, & colligere ac resoluere quæ velis, oratoris esse: quanquam non est tam minutè atq; concisè in actionibus vtendum, quàm in disputationibus. *Quintil.*

Ac post pauca quã velit artẽ proprio nomine apertissimè

explicans, subiungit: Pars hæc (inquit) Dialectica, siue illam dicere malimus disputatricem, vtilis est sæpe & finitionibus & comprehensionibus, & separandis quæ sunt differentia, & resoluenda ambiguitate, & distinguendo, diuidendo, illiciendo, implicando.

CAP. VIII.

Quintil. Quod Oratorum præclarissimi Philosophiæ, & peculiariter Dialecticę studia coluerint, Quintil. Oratoriarū institutionū lib. 12. Quæ deniq;, inquit, intelligi saltē potest eloquentia hominis optima nescientis? Hęc si ratione manifesta non essent, exēplis tamen crederemus. Siquidē & *Pericles,* Periclē, cuius eloquentiæ etsi nulla ad nos monimēta venerunt: vim tamē quandā incredibilem, tum historici, tum etiā liberrimum genus hominū Comici veteres tradunt: Anaxa- *Demo-* goræ Physici constat auditorē fuisse, & Demosthenem prin- *sthenes.* cipem omniū Græciæ Oratorum dedisse operā Platoni. Nā *Cicero.* M. Tull. non tantum se debere scholis Rhetorum, quantum Academiæ spatiis, frequenter ipse testatus est. Neq; se tanta in eo vnquam fudisset hubertas, si ingenium suo concepto fori, non ipsius rerum naturæ finibus terminasset.

Cicero. de Philoso- phia magis quā de Rhetorica gloriatur. Quod hic vltimo loco dicit Quintilianus, ipse de se Cicero verū esse testatur, in præfatione libri de Oratore. Ego autem (inquit) & me sæpe noua videri dicere intelligo: cùm peruetera dicam, sed inaudita plerisq;: & fateor me Oratorem (si modò sim, aut etiam quicunq; sim) non ex Rhetorū officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse.

Locus is est quem supra cita- uimus. Eodē in loco & quæ de Pericle dicta sunt atq; Demosthene, cōfirmat his verbis: In Phædro Platonis hoc Periclē præstitisse ceteris dicit Oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ physici fuerit auditor, à quo censet eum, cū alia præclara quædā & magnifica didicisset, huberem & fœcundū fuisse, gnarúmq; (quod est eloquentię maximum) quibus orationis modis, quæq; animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor.

Diodorus Ciceronis in Dialectica præceptor. In libro verò de claris Oratoribus, cū Bruto suo colloquēs, etiā præceptoris sui nomē exprimit, quo in Dialectica est vsus: Erā, inquiēs, cū Stoico Diodoro, qui cū habitauisset apud me, mecúmq; vixisset, nuper est domi meæ mortuus, à quo cū aliis in rebus, tū studiosissimè in Dialectica exercebar,

bar, quæ quasi cõtracta & astricta quædã eloquẽtia putãda est, sine qua etiam tu Brute iudicauisti te illã iustã eloquentiã quam Dialecticã dilatatam putant, consequi non posse.

CAP. IX.

QVOMODO sui cõtemptum vlciscatur Dialectica, vel in vno Epicuro fœdissimę voluptatis assertore (sic eũ Lactantius Firmianus digno appellat nomine) luce clarius cernitur: qui illam prorsus contemnens, & vt transuersum agentẽ (quomodo Diogenes Laërtius ait) prorsus repudiãs, in fœdos lapsus est errores, de quo Tullius lib. 2. de Finibus bonorum & malorum, Torquato colloquens, ita ait: Dum Dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quæ vna cõtinet omnem & perspiciendi quid in quaq; re sit scientiam, & iudicandi quale quidq; sit, hac ratione & via disputãdi ruit in dicẽdo, vt mihi quidem videtur, nec ea quæ dicit vlla vult arte distingui.

Lactantius de Epicuro Dialecticæ contemptore.

Cic. Epicuri errores imputat contẽptui Dialecticæ.

Confirmant hanc Ciceronis sententiam, quæ ab Hugone à sancto Victore scribuntur lib. 1. didascalicæ eruditionis in hunc modũ: Cæteræ artes prius repertę fuerant, sed necesse fuit Logicam quoq; inueniri, quoniã nemo de rebus conuenienter disserere potest, nisi prius rectè loquendi rationem agnouerit. Nam sicut dicit Boëtius, cũ primitus antiqui circa rerum naturas & morum qualitates inuestigãdas operã impenderent, necesse fuit sæpe falli eos, quia vocũ & intellectuũ discretionẽ nõ habebãt, vt in multis euenit Epicuro qui atomis mũdũ cõsistere putat, & honestũ voluptate metitur. Hoc autẽ idcirco huic atq; aliis accidisse manifestum est, quoniã disputando quicquid ratiocinatione cõprehenderant, hæc in res ipsas quoq; euenire arbitrabãtur. Hic verò magnus est error, Neq; enim quicquid sermonũ decursus ratiocinando inuenerit, id in natura fixum tenetur. Quare necesse est falli eos, qui abiecta scientia disputãdi, de rerũ natura perquirerẽt. Nisi enim prius ad scientiã venerit, quæ ratiocinatio verã teneat semitam disputandi, quæ verisimilẽ agnouerit, & quæ fida & quæ possit esse suspecta, rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non poterit inueniri.

Hugo à sancto Victore.

Atq; illud etiam magis Dialecticæ in veri inuestigatione necessitatẽ indicat, quòd hi quoq; qui eius videri volebant contemptores, aliquid ipsi simile confingebant, quo eius loco se vti dicerẽt. Id quod de Epicureis apertè testatur diuus

Augusſt. de Epicureis. Auguſt.lib.1.cõtra Creſconium Grammaticũ,cap.13.Noſti, inquit,quàm maxime apud Stoicos viguiſſe Dialecticam, quamuis & ipſi Epicurei,quos imperitia liberaliũ diſciplinarum non ſolum non pudebat,verumetiã delectabat,quaſdã quaſi diſputandi regulas,quibus quiſq; vſus minimè falleretur,ſe potius tenere & docere iactabant.Quid enim eſt aliud Dialectica,quàm peritia diſputandi?

Lactantius de erroribus Epicuri. Errores autem Epicurei in quos per inſcitiã ratiocinãdi videtur incidiſſe, Lactantius Firmianus lib.3.Diuinarũ inſtitutionũ ſummatim enarrat,his verbis:Archipirata quiſquã,vel latronum ductor,ſi ſuos ad graſſandum cohortetur, quo alio ſermone vti poteſt,quàm vt eadẽ dicat quæ dicit Epicurus?Deos nihil curare,non ira,non gratia tangi:inferorum pœnas nõ eſſe metuẽdas,quòd animæ poſt mortem occidãt,nec vlli omnino ſint inferi:voluptatẽ eſſe ſummum bonũ,nullam eſſe humanam ſocietatem,ſibi quenq; conſulere,neminem eſſe qui alterũ diligat niſi ſui cauſa.Eſt planè,cur quiſquam putet hanc vocem eſſe viri ſapientis,quæ poteſt aptiſsime latronibus accommodari.

CAP. X.

QVOD naturæ nõ ita ſit fidendũ,vt propterea ars ipſa Dialecticæ vel conteñatur vel negligatur, id quod pleriq; faciunt.Ex Cicer.lib.4.de Finibus bonorũ atq; malorum.Quòd etſi ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſequuntur,ars tamen eſt dux certior,quàm natura.Aliud eſt enim Poëtarũ more verba fundere,aliud ea quæ dicas ratione & arte diſtinguere.

Ars natura certior.

In dialogo quoq; Platonis qui Phædrus inſcribitur,Socrates de Rhetorica(quæ tamen minus videtur arte indigere) idem pronuntiat:vbi à Phædro interrogatus,quomodo & vnde veri oratoris artem ſibi poſſet vendicare,ita reſpondet:Conſentaneum eſt,ô Phædre,fortè etiam neceſſarium, quemadmodum in cæteris rebus,ita & in hoc certamine peragendo perfectum eſſe.Quippe ſi tibi natura vt ſis orator tribuerit,accedente doctrina & exercitatione excellens eris orator:ſi quid verò horum tibi defuerit,mancus eris.

Plato.

Quintil. Conſentit & Quintil.lib.2.Orat.Inſtitu.Conſummatos, inquiens,in arte plus doctrinæ debere,quàm naturæ putabo:ſicut in ſolo fœcundo,plus cultor quàm ipſa per ſe bonitas ſoli efficiet.

Pul

Pulchrè quoq; hac de re generali sermone quātū ad omnes artes, disseruit vir eximius Hugo à S. Victore libro primo Didascalicę eruditionis, cuius eo in loco hæc sunt verba. Omnes scientiæ prius erāt in vsu quàm in arte. Sed considerātes deinde homines vsum posse in artē cōuerti, & quod vagū fuerat ac licentiosum prius, certis regulis & præceptis posse restringi, cœperūt cōsuetudinē quę partim natura, partim vsu exorta fuerat, ad artē reducere, quod prauū habebat vsum emendātes, quod minus habebat supplētes, quod superfluū habebat resecātes, & de cæteris singulis certas regulas ac præcepta præscribētes. Huiusmodi fuit origo omniū artiū, priusquā esset Grāmatica & scribebāt & loquebātur homines. Priusquā esset Dialectica, ratiocinādo verū à falso discernebāt. Priusquā esset Rhetorica, iura ciuilia tractabāt. Priusquā esset Arithmetica, vsum numerandi habebant. Priusquam esset Musica, canebāt. Priusquā esset Geometria, agros mēsurabant. Priusquā esset Astronomia, per cursus stellarum tēporum discretiones capiebāt. Superuenerunt artes, quę licet ab vsu principium sumpserunt, vsu tamen meliores sunt. *Hugo. à S. Victore* *Ars vsu melior.*

Eandem hāc quæstionem, prolixè simul & eruditè tractat Rhodolphus Agricola lib. 2. de Inuētione, c. 5. Cuius etiā verba (vt certior sit veritati nouis atq; veteribus cōprobatæ fides) hìc non pigebit annotare. Primū itaque quæstionē mouet. Quid ergo? dicit aliquis, Nónne & ante inuentam Dialecticen fuerunt artes, & disputatum est, & inuentum est verum? Et nunc quoq; quotusquisq; eorum qui disputant Dialecticen tenet? Deinde quæstioni respondet. Non est, inquiens, quod negem, hæc ita esse. Illi tamē quod Dialectice docet, & faciunt, & fecerunt, multò commodius si hanc didicissent, fortasse facturi. Quemadmodum & ante traditam Rhetoricen diserti viri fuerunt, & priusquā literis comprehensa est Musice, cecinerunt homines. Nec Hippocrates, vt primus in artis imaginem Medicinam coëgit, sic & primus cognouit morbū, profutura meditatus est, ægrum leuauit. Facta sunt hæc, antequam artes fierent, & ob idipsum quòd crebro sunt facta, longa rectè secusq; factorū annotatione artes esse cœpere. Prouenere deinde præclara ingenia, quę dispersa colligerent, cōfusa disponerent, explerēt imperfecta, rudia perpolirent, & omnia complecterentur, nō modò quæ facta essent, sed quę fieri etiā possent. Sic quod casus ante fue- *Rhodolphus Agric. de vsu & arte.*

rat,cœpit deinde ratio esse.Et sequutũ est,vt non quia factũ iam esset aliquid debere fieri,sed quia deberet fieri crederent esse faciendũ. Qui priores ergo fuerunt artibus simi lia his ipsis quæ nũc præcipiuntur,si quando rectè fecerũt,se quuti sunt:sicut hodie pleriq; faciunt quod artis est, sed nõ ex arte:quippe quam nullam habent,sed vel longa obseruatione,vel ingenij quodam præstante vigore. Quãto rectius tamen,quanto melius expedirent illa,si certa artium ratione ducerẽtur?Duratura enim seculis ingenia,& quibus non præsentes solũ plaudant,sed quæ omnis posteritas miretur ea tum demum fiunt,quoties cum optima natura ars perfecta coniungitur. Sic,quod Dialectices est,inuenerunt argumenta homines,& errorem malè inuentorũ aliquando deprehenderunt,antea quàm essent omnia præcepta illius in artis formam collecta. Aristoteles tamẽ,quiq; post eum illa instructi fuere,facile libris suis ostendunt,quàm magnus sit vsus eius,& quàm tractãdis omnibus rebus accommodatus, vtque sine ea non solum singula de quibus in artium decursu dubitaretur explicari nequirent,sed ne artes quidem colligi possent,& in hanc quam acceperunt redigi formam.

Sententia notatu dignissima.

CAPVT. XI.

QVOD eruditio Dialecticę cæterarumq; disciplinarũ liberalium, à Christiana professione non sit aliena, nec percipiendæ veritati præbeat impedimentum. Augustinus lib.3.contra Academicos, c.18. Eruditio, inquit, artium liberalium, modesta sanè atque succincta & alacriores, & perseuerantiores, & comptiores exibet amatores amplectendæ veritati,vt & ardentius appetant & constantius insequantur,& inhæreant postremo dulcius.

Augusti. de liberaliũ artiũ studys.

Idem lib.1.contra Cresconium Grammaticum.c.20.Hãc artem quã Dialecticã vocant,quæ nihil aliud docet quàm consequentia demõstrare,seu vera veris,vel falsa falsis, nun quàm doctrina Christiana formidat:sicut eam in Stoicis nõ formidabat Apostolus,quos secũ volẽtes cõferre nõ respuit. Et ipsa enim fatetur & verũ est,neminẽ disputãdo ad conclusionẽ falsam cõsequẽter impelli,nisi prius consenserit falsis, quibus eadẽ cõclusio velit nolit efficitur. Ac per hoc,qui caue ne se loquente cõsequantur falsa quę nõ vult volens falsa caueat quæ præcedũt. Si autẽ præcedentibus veris inhęserit,quęcunq; cõsequẽtia perspexerit,quæ falsa existimabat,

vel

vel de quibus dubitabat, admonitus amplectatur, si veritati est pacatissimæ amicior quàm contentiosissimæ vanitati.

Eodē in libro per multa capita ostendit, & Christum & Apostolum Paulum, ac cæteros vsos esse Dialectica in disputā do, neq; quenquā Dialecticæ volentē agere cum Christianis esse respuendū. Donatistas quoq; illos non irrationabiliter agere ostendit, qui dicerēt se nec velle nec debere cū eo in disputationē congredi, eò quòd esset dialectica arte instructus eaq; inter disputandū vteretur, ac proinde fugiendū magis & cauendum quàm refellendum reuincendumq; censerēt.

Clemens successor Petri insignis ante Christianismū Philosophus lib. 1. recognitionum, vbi à Petro interrogatus red didisset ea quæ pridie ab eodē audierat, eaq; tam euidenter narrasset, vt Petrus gaudio perfusus testaretur à Clemente illa euidentius esse reddita, quàm à se exposita fuerant: ita præceptori se collaudanti respondit: Narrandi ordinem, & lucidius ea quæ res expetit proferendi, eruditio nobis contulit liberalis: qua si vtamur in antiquitatis erroribus, in pernicie vitæ verborum decore ac suauitate decidimus. Si verò ad asserēdam veritatem, eruditionem sermonis, & gratiam conferamus, puto ex hoc non parum vtilitatis acquiri. *Sanctus Clemens.*

Rupertus abbas Tuitiensis, vir diuinarū pariter & humanarum literarū peritissimus, cuius multa extant in diuinas scripturas præclara volumina lib. 7. de operibus Spiritus Sancti ita scribit: Paulus apostolus, non studia cōdēnat vel scholas Grammaticorum, Dialecticorum, Rhetorū, Arithmeticorum, Geometricorū, Musicorum, Astronomorū: sed hoc in eis culpat, quòd non quæsierunt ex eis sapientię fructum, propter quem artes istæ à Deo datæ sunt, id est, in notitia habere Deū, & glorificare sicut Deū. Et rursum: Reuera Dialecticæ ars veritatē nō persequitur, nec verbo Dei nectit vinculum, sed potius veritatem sequitur, & verbum Dei verū fidis argumētationibus comprobat, si quis legitimè vtatur illa. Processum sacræ scripturæ diligenter aspiciat, Dialecticæ simul & Rhetoricæ studiosus pariter & beneuolus: & videbit, quòd eam tanquam dominam famulę prosequuntur. *Rupertus abbas Tuitiēsis.*

CAPVT XII.

Quod etiā ad ad scripturas exactius intelligendas plurimum cōducat peritia Dialecticę, Augustin. lib. 2. de doctrina Christiana, c. 31. Disputationis disciplina, ad omnia ge

genera quæstionum quæ in literis sacris sunt penetranda & dissoluenda plurimum valet. Tantum ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium. Et iterum cap. 37. Scientia conclusionum & definitionum & distributionum, plurimum lectorem scripturarum adiuuat: tantùm absit error, quo videtur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatem didicisse, cùm ista didicerint.

August. Dialectica ad scripturarum intellectũ vtilis.

Rupertus Tuitiensis, lib. 7. de operibus spiritus sancti. cap. 13. Primum hoc asserere licet, quia genus & differentia, species & proprium atque accidens quæ sapientes seculi pro magnis atque arduis habent, quasi prima diuinæ scripturæ incipientis elementa sunt. Vbi versus aliquot ex cap. 1. Geneseos proferens, in quibus generis & speciei fit mẽtio, sic prosequitur: Genera ista & species sine dubio sunt de quibus apud Philosophos sermo est. Ac deinde: Dicamus ergo, quod in ipsa sanctę scripturæ litera, & simplices sit quod mulceat, & sapientes aut Philosophos quod exerceat. Arbitramur enim, non minus ad hanc scripturam, quàm ad eam, quæ est apud Aristot. Prædicamentorum doctrinam, esse necessariũ scire quid sit genus, & quid differentia, & quid proprium & quid accidens. Quæ deinde particulatim author iste prolixo sermone prosequitur. Postremo huius capitis sermonem ita concludit: Huius artis vtilitas & virtus tota ostenditur in syllogismis, quorum conclusio plurimum lectorem adiuuat ad veritatem inuestigandam: tantùm vt absit illi error decipiendi aduersarium, per sophismata falsarum conclusionum. Quis autem omnium secularium, ita vt hæc sancta scriptura fortiter aut suauiter nouit, aut potuit nodosum texere aut stringere syllogismum?

De omnibus verò artibus liberalibus, quòd earũ sit in scriptura sancta bonus vsus, generalem profert sentẽtiam c. 10. in hæc verba: Ingressæ sunt ergo septẽ artes liberales, tãquã famulæ, in sacrum & reuerẽdum dominæ suæ sapientiæ triclinium: & quasi de triuiis licẽtiosis, ad districtum & seuerum verbi Dei magisterium dispositæ, & assidere iussæ sunt. Vagabantur enim prius per circuitũ, lasciuæ, garrulæ, & verbosæ puellulæ, nihil operantes, sed curiosè agentes solũmodo, vbi negotiosæ magis esse videbantur circa creaturã discutiendam cursitantes, ipsum autem creatorẽ negligẽtes. Missæ sunt ergo in opus, vt non iã quod superfluũ erat de creatura

tura mundi fabularentur, sed serio fideliterq; quod expediret de creatore loquerentur, bonúmque ad honorem eius sermonem opere splendido texentes operarentur, id est, vt iam non res verbis, sed verba rebus ornarentur.

CAPVT XIII.

QVOD Dialectica ad euertendos secularis sapientiæ errores egregiè valeat, si quis ea rectè vtatur, Hieronym. in Commentariis super Ezechielem: Verè quicquid in seculo peruersorum dogmatum est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc dialectica arte subuertitur, & instar incēdij in cineres fauillásq; dissoluitur: vt probetur nihili, quod putabatur esse fortissimum. *Heronym.*

Augustin. in lib. de Cognitione veræ vitæ eandem confirmat sententiam, dicens, ad omnia quidem humana potētem esse Dialecticam, tametsi ad diuinitatis perfectionem, vt in se est, non possit pertingere. Dialectica, inquit, disserendi potens, potenter dubia quæq; diffiniens, cunctas scripturas euibrans, atq; euiscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cùm in Diuinitatem intendit, tantæ maiestatis luce pauidū caput tremefacta reflectit. Hoc ipsum videtur velle Lactantius Firmianus, cùm libro quarto Diuinarum Institut. dicit, Philosophiam humanam suis armis esse confectam, quia nimirū disputandi officio (quod ipsa docet) quicquid à Philosophia humana non rectè, id est, non consonè ad Christianam sapientiam dicitur, potenter destruitur, & falsum esse dialectica disputatione conuincitur. *Augustin.* *Lactantius.*

CAPVT XIIII.

QVOD sic Deo placitum sit per liberales artes hæreticorum figmenta dissoluere, Rupertus lib. 7. de operibus Spiritus sancti, c. 9. Amplius autem & hoc non erit prętereundum, quia quos Ecclesiasticę fidei defensores habere, quorum lingua contra hæreticos vel ad erudiendam Ecclesiam suam Dominus vti dignaretur, ipse egit, ipse prouidit vt prius artib. liberalib. instruerentur, & in maris periculum ad pugnandum descensuri in nauibus, prius quasi circa littora leuioribus ludis exercerentur. *Instructos liberalibus artib. vult Deus esse fidei catholicæ defensores*

Et rursum eodem in loco: Grata vicissitudo hæc erat, vt fideles qui liberalium facultates habebant artiū, bene vtēdo illis contra hæreticos eisdē artibus male vtentes veritatē defenderent, quod erat potare Iesum fatigatū, & sitientem:

tem: atq; hoc facientibus, daret ipse aquam viuam, magis ac magis aperiendo illis sensum, ad veritatem scripturarum intelligendam. Factumq; est hoc modo amicũ pulchrumq; commerciũ. Ipsi quam de Philosophicis hauserãt puteis, postulanti Domino porrexerũt aquam de qua ipse dicebat. Omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterũ: & acceperũt ab eo aquam viuã, de qua qui biberit (ait idem) nõ sitiet vnquam.

Ioan. 4.

CAPVT XV.

QVOD hæretici in suis erroribus stabiliẽdis plurimum vtantur Dialectica, Hieronymus in disputatione contra Luciferianos de Arriana hæresi id manifestè testatur, dicens: Arrij hæresis magis cum seculi sapientia facit & argumentationum riuos de Aristotelis fontibus mutuatur.

Arrij hæresis Dialectica se foueren tebatur.

Idem in enarratione Psalm. 93. secundum mysticum sensum verbum illud enarrans, Non est ruina maceriæ, neque transitus. Difficile hæreticos inuenies imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia seculari. Non habent rete Apostolicum, sed catenulas Dialecticas. Non est ruina maceriæ, neq; transitus. Si quando sunt in disputationibus, si quando tecum cœperint disputare, sic verba eorum breuia sunt, sic artifici sermone concluſa vt euadere inde difficile sit. Cùm enim ligauerint te syllogismis suis, & te clauserint, & quasi maceriem tibi syllogismum texuerint, & ædificauerint, non potes conuertere, non potes transire, teneris incluſus. Cumq; te tenuerint quasi quodam gyro incluſum, tunc non eris in anguſta via quæ ducit ad vitam, sed in lata quæ ducit ad mortem.

Hæretici plerunq; vtuntur Dialecti.

Idem super illo Psalmi, Et cynifes in omnibus finibus eorum. In cynife, inquit, Dialecticæ artis stimulus intelligitur, quæ licet paruum habere videatur seductionis aculeum, grauissimè tamen sauciat mentes humanas.

CAPVT XVI.

QVOD nimiũ in hoc iniqui sunt & improbi hæretici, cũ ipsi ad oppugnationem veritatis libẽter & frequenter vtantur & Dialectica & Rhetorica & cæteris liberalibus artibus, nolint tamẽ hæc à veritatis assertoribus, ad veritatis defensionẽ vsurpari, & eos qui illis vtũtur hac ratione crimmantur, taquàm Sophistas, & Christianæ simplicitatis expertes. August. lib. 1. contra Cresconium Grammaticum. Dialecticã, inquit, mihi obiicere voluisti, quasi Christianæ

non

non congruat veritati,& ideò me Doctores vestri velut hominem Dialecticum meritò esse fugiendum potius & cauendum, quàm refellendum atq; reuincendum censuerunt. Quod cùm tibi non persuaserint (nam te aduersus nos etiã scribendo disputare non piguit) tu tamen in me Dialecticã criminatus es,quo falleres imperitos, illosq; laudares qui disputando mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet Dialectica non vteris,cùm contra nos scribis ? Vt quid te ergo in tantũ disputandi periculum proiecisti, cùm disputare nõ noueris ? Aut si nosti, cur Dialecticus Dialecticam criminaris ? ita vel temerarius vel ingratus, vt aut imperitiam qua vinceris non refrenes,aut doctrinam qua iuuaris accuses. Inspicio sermonem tuum istum ipsum , quem ad me scripsisti. Video te quædam copiosè ornateq; explicare , hoc est, eloquenter:quædam verò subtiliter arguteq; differere, hoc est Dialecticè: & tamen eloquentiam Dialecticamq; reprehendere. Si noxia sunt, quare hoc facis ? Si non sunt,cur arguis.

Hæretici Dialecticã ab Orthodoxis criminantur.

Apud Hieronymũ quoq; in Dialogo aduersus Luciferianos,idẽ in promptu est videre : Vbi Luciferianus hæreticus, cùm ab orthodoxo vi argumentorum vrgeri se conspiceret, nec vllum sibi superesset effugium , iterum iterumq; postulat Christianè secum non Philosophicè agi. Oro te (inquit ad Orthodoxum) vt Philosophorum argumentatione deposita Christiana mecum simplicitate loquaris : si tamen non Dialecticos sequaris,sed piscatores. Et iterum : Iam & superius rogaui, vt nõ Philosophicè,sed Christianè mecum loquaris. Nimirum quòd ita metuant hæretici Dialecticos neruos , virtutem ipsius artis & efficaciam testatur : cui se non posse resistere metuunt,sibi malè conscij. Et (iuxta Saluatoris verbum.) Omnis qui malè agit,odit lucem,& ad lucem venire formidat, ne arguantur opera eius. Huc etiam pertinet impietas illa Iuliani, quam in principio prologi huius commemorauimus.

CAPVT XVII.

NON ob hoc esse damnandam Dialecticam aut fugiendam,quod pleriq; ea ad captiones sophisticas aut deceptiones abutantur , cùm nihil sit ita bonum, quo non praui abutantur. Augustus. lib. 1. contra Cresconium Grammaticũ: Neq; enim pro patria nõ est miles armandus,quia cõtra patriam nonnulli arma sumpserunt : aut ideo vti non debent boni,

Augustꝰ.

boni doctiq; medici medicinalibus ferramentis ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimiq; abuntur. Quis enim nescit, sicut vtilia vel inutilia fuerint quæ quæruntur, ita peritiam facultatemq; dicendi, sic esse vtilem vel inutilem, vt fuerint vtilia vel inutilia quæ dicuntur?

Rodoph. Agricola. Rodolph. Agric. lib. 11. de Inuentione: Dialecticē vtilem esse certū est, si falli, decipi, vera pro falsis, falsa pro veris accipi, inutile putamus. Fallitur tamen nōnunquam Dialecticus, & pro veris falsa tradit. Euenit id quidem, sed & nauem aliquādo gubernator euertit, & medicus aliquādo perimit. Hominum sunt ista, non artiū. Atq; vel eò magis fatendum erit vtilem Dialecticē, cùm & qui oratione seducunt, astu id persæpe, nulla etiā instructi arte id faciant, & qui fallitur, si artē calleret vel nequaquam id, vel minus vtiq; pateretur. Sanè sicut reliquæ artes quæ remedio sunt inuentę humanis necessitatibus nō potuerūt succurrere incōmodis, nisi prius ea detegerent, sic Dialectice cū magna ex parte in eo sit posita quo pacto laqueos captionū fraudumq; in dicendo vitemus, necesse habuit aperire insidias, & ostēdere quàm variè quis capi posset. Quæ si quis inde deprompta vtēda sibi putauit, nō artis hoc est culpa vitare fugiēda mōstrantis, sed improbitatis sectari fugienda cupientis. Aperienda enim sunt vt caueantur mala, & nemo artifex tantum remedia nouit.

Augusti. Simile quiddam diuus Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 36. de eloquentia dicit, his quidem verbis: Sunt etiam quædam præcepta vlterioris disputationis quæ iam eloquētia nominatur, quæ nihilominus vera sunt, quamuis eis possint etiam falsa persuaderi. Sed quia & vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea malè vtētium peruersitas.

EXHORTATIO AD INGENVOS ADOLESCENTES, VT DIALECTICÆ CÆTERARVMQ; LIBERALIVM ARTIVM STVDIO, DVM PER ÆTATEM LICET, DILIGENTER INCVMBANT, NECQ; AB HONESTIS & VTILISSIMIS STVDIIS VLLO DETERREANTVR LABORE.

PROPOSITIS eruditissimorum virorum sententiis, quibus Dialecticæ cæterarumq; liberalium artium dignitatem, vtilitatem, ac necessitatem existimamus abundè dēmonstrarā, vnū hoc superesse videbatur, adolescentes optimi, aduer

aduersus laborem, qui in primo liberalium artiũ aggressu, maximè autẽ in ipso Dialectices primo limine sese offerre, & ostentare solet, infirmos vestros & laboris impatiẽtes animos confirmare, pauidaq; pectora breui exhortatiuncula cõsolari: ne fortè labore aut difficultate principiorum deterriti, à capessendis bonarum artium studiis, quibus hac sanè ætate nihil vobis proponi possit vtilius, vllâ ratione desistatis. Principio enim illud vobis certissimè persuasum esse debet, quod apud Platonem Socrates de huiusmodi studiis loquẽs ait, eum qui Philosophiæ sacris sit initiandus, ad labores suscipiendos nequaquam claudum esse debere: ita vt eos partim quidem adeat, partim recuset, sed magno & inuicto animo ad superandum quicquid in eis occurrere possit laboris, paratũ sese offerre, & infatigabilem. Verùm ex aduerso laborem istum consolatur, & lenit molestiam, primũ quidem illud quod in omni opere vsuenire docet experientia, vt peculiarem difficultatem habeat aggressus, progressus verò rem faciat leuiorem. Cui sententiæ apud Platonem, Socrates astipulatur dicens, omnis operis maximũ quid esse principium, præsertim iuuenì cuiq; & tenero. Vt non immeritò cecinerit Poëta, Dimidium facti habere eum, qui bene cœperit. Deinde & hoc peculiare habet Dialecticæ studiũ, quòd progressus non solùm leuiorem reddat laborem, verumetiam suauitatem magnam adferat, adeò vt statim post prima limina transita, singularis quædam sentiri incipiat in discendo voluptas, interiorq; suauitas: quæ animum laboris molestia grauatũ sua blanditie demulcet, sibiq; restituit atque ad vlteriorem progressum inuitat: ita vt iam vltro in peniciora currere gestiat, qui paulò antè vix ad subeunda prima limina, vel improbis hortatibus potuit impelli. Adeoq; temporis successu, & studij profectu illa increscit suauitas, vt etiam periculi nonnihil ab ea immineat, si non modũ (quæ in omnibus rebus, iuxta Poëtam, est virtus pulcherrima) illi per rationem adhibeas. Huius rei veritatem apertissimè testatur Aulus Gellius, Atticarum noctium lib. 16. Is enim capite nono eius libri, vbi ex Dialectica breue libamentum (vt ipse ait) dedisset, quibusdam explicatis quæ ad illius determinationem pertinent, nimirum quid sit quod à Græcis axioma, à nostris pronuntiatum vel proloquium est appellatum, quid item pronuntiatum adiunctum siue connexum,

Plato.

Socrates apud Platonem.

quid

quid cõiunctum vel copulatum, quid diſiunctum, & quæ ad huiuſmodi pronuntiatorum veritatem requirantur, eaq; omnia appoſitè & copioſè, adhibitis ad ſingula exemplis, diſſeruiſſet (vt vel ex vno hoc loco teſtatiſsimum ſit virum illum Dialecticæ artis nequaquam fuiſſe imperitum) tandem caput hoc finiturus, ſuam de Dialecticæ ſtudio, ſententiam protulit, quam hîc ad verbum citare, quo certior eſſet fides, duximus operæpretium. Sed hoc iam breuẽ, inquit, ex Dialectica libamentum dediſſe non ſatis erit. Atque illud ſolum addendum admonendumq; eſt, quòd huius diſciplinæ ſtudium atq; cognitio in principiis quidem tetra & aſpernabilis, inſuauiſq; & inciuilis videri ſolet: ſed vbi aliquantulum proceſſeris, tum demum & emolumẽtum eius in animo tuo dilucebit & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis: cui ſanè ſi modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne vt pleriq; alij, tu quoque in illis Dialecticæ gyris atque meandris, tanquàm apud Syrenæos ſcopulos conſeneſcas. Hæc ille. Quibus ſanè verbis quid poſsit dici apertius? aut aduerſus laborem & horrorem qui in ipſius Dialecticæ ſeſe oſtendat principiis, quid proferri potuit efficacius? Neque verò illa tãtum, quæ in ipſo dicẽdi exercitio ſtatim poſt principia ſeſe offert ſuauitas, moleſtiam iſtam conſolatur, verumetiã multo magis fructus ille multiplex & copioſus, quem huiuſmodi proferunt ſtudia, & quæ ex eis abundè magna prouenit vtilitas, ad ſuſcipiendum tantillum laborem, tædiumq; illud quantulumcunq; deuorandum, meritò debet inducere. Et planè quod apud Cicer. 1. lib. de Oratore, Craſſus de Iuris ciuilis cognitione ait, nobis non minori iure liceat dicere. Caſtigemus, inquit ille, ſegnitiem hominum atque inertiam. Nam ſi eſſet iſta cognitio iuris magna ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudine deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. Liceat & nobis hoc exemplo, ô delicati adoleſcentuli, ſi non deſidiam inertiamq; veſtram caſtigare, certè timorem vanum quo veſtrum plerique à ſtudiis vtilioribus auocantur, blanda oratione depellere. Profectò enim ſi cognitio iſta Dialecticæ magna & difficilis videatur, tamẽ vtilitatis magnitudine, imò & neceſsitatis conſideratione deberet vos ad ſuſcipiendum diſcendi laborẽ impellere. Quàm enim ſit huius cognitio vtilis, neque vtilis tantum, verumetiam neceſſaria ad omnem diuina

Aulus gellius de ſtudio Dialecticæ.

diuinarum humanarúmq; rerum cognitionem, ea qu ę paulo antè ex eruditiſsimorum hominũ libris protulimus, clariſsimè demonſtrarunt, neq; eadem hîc repetere operę pretium fuerit. Memineritis itaq;, ô adoleſcentes, ſiquando labore fatigemini, veriſsimi illius Apophthegmatis quod Platoni frequens erat in ore, Difficilia eſſe quę pulchra. Ac rurſum illius quod Diogenes Laërtius refert Ariſtotelem ſuis diſcipulis dicere ſolitum, liberales ſcientias radices quidem habere amaras, ſed fructus ſuaues. Sícq; conſideratione futuræ vtilitatis, præſentem laborem leniter ferre aſſueſcite, illud, ſubinde Virgilianum animo reuoluentes, atque etiam (ſi libebit) ore hilari cantillantes: Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. O' paſsi grauiora, dabit Deus his quoq; finem. Durate ô iuuenes, durate, & voſmetipſos rebus ſeruate ſecundis.

Plato.

Ariſto.

QVIA non omnium ingeniorum æqualis eſt captus, ſed alij plurium & maiorum, alij pauciorum & minorũ ſunt capaces, iuxta vetus illud: Nõ omnia poſſumus omnes, viſum eſt nobis, in ſequẽtibus ſignorum quorundam diſtinctione, ea quæ in Dialectica cognitione habentur præcipua, ab aliis quæ non ita omnibus ſunt neceſſaria cognitu, ſeparare: vt pro vario captu adoleſcentum præceptores, vel omnia, vel plura, vel pauciora creditis ſibi diſcipulis proponant atq; ediſcenda tradant. Vbicunq; igitur ſignum huiuſmodi triplex * * * ad marginem conſpexeris, ſcito, ea quæ ab illo loco habentur, vſq; dum ad manum indicem peruenìatur non omnibus eſſe neceſſaria, poſſeq; ab iis, qui tantũ præcipua & quaſi capita rei Dialecticæ quærunt, omitti ac trãſiliri. Porrò diffinitiones & regulas Ariſtotelicas ad verbum ex Ariſtotele Porphyrioque deſumptas, maiori charactere deſcribi curauimus: cæteris autem quibus non eſt tanta authoritas, duplicatam huiuſmodi notulam » ad marginem affiximus, in omnibus veſtro commodo bene conſulere cupientes. Bene Valete.

*

DE PRAEDICABILIBVS LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.

DIALECTICA consideratio recto ordine à simplicioribus ad composita procedẽs primum quidem circa simplices voces,& incõposita vocabula versatur. Quæ Dialecticæ cõsiderationis pars,libris duobus(quorum alter de quinq; generibus vniuersaliũ, alter de decẽ tractat prædicamẽtis)traditur. Post verò hanc simpliciũ contemplationem proximum est,vt quæ prius separatim cõsiderata sunt,in cõpletas enuntiationes atq; propositiones componantur,quibus verũ aut falsum pronuntiatur:quã rem liber Tertius(qui de Enuntiatione inscribitur)expediet. Subsequitur deinde post simpliciũ enuntiationum tractatũ,vt doceatur,quomodo adinuicẽ certis debitisq; modis illę valeant connecti,sic vt ex altera alterã sciamus vera certaq; ratiocinatione inferre,atq; ex alia aliam vel astruere vel destruere. Hic enim finis est & pręcipua vtilitas Dialecticæ disciplinæ. Ad hanc autẽ rem,primo necesse est certas præscribi formas argumentationũ,secũdum quas fieri debeat illatio,bonásque formas à malis distingui:quas liber Quartus(qui de quatuor erit speciebus argumẽtationum)describet. Deinde necesse est,vt loca certa designentur,ex quibus argumẽtationum sumatur materia,& ad cõclusionẽ quamlibet cõgrua adferantur argumenta. Atq; hęc Quintus liber(cui de locis Dialecticis erit titulus)designabit. Postremo, aduersus sophisticas captiones liber Sextus constituetur,in quo latens illarũ falsitas & apparentis causa deceptionis manifestabitur. De demonstratione autem librum specialem non faciemus:sed quæ de ea dicere volumus,in Quarto libro,opportuno loco constituentur. Nunc itaq; ad id quod primum est propositum,id est,de quinque vniuersalium determinatione agamus.

De *individuo & Vniuersali in genere.* CAP. I.

ILLVD in primis aduertẽdũ est,in vniuersa Dialectica determinatione principaliter fieri sermonẽ de vocibus,siue simpli

simplicibus, siue cõpositis: non tamen de ipsis quatenus nudæ voces sunt, sed quatenus significatiuæ sunt rerũ ad quas significandas sunt impositæ. Atq; hinc fit, vt frequenter nũc de vocibus significantibus, nunc de rebus significatis permixtim loquamur, & quæ de vocibus dicũtur, ea suo quodã modo rebus etiã significatis cõpetere, atq; econtrario. Atq; ita in sequentibus, de indiuiduo, de genere, de specie, de differẽtia, de proprio & accidente, nunc de rebus, nunc de vocabulis, velut permixtim sermo habebitur. Primo verò omnium scire oportet, quomodo indiuidua distingui debeãt atq; separari ab vniuersalibus. Sunt enim indiuidua termini singulares, vnam tantum rem singularem, & particularem significantes. Vniuersalia verò sunt termini communiores, multas res generali & communi significatione designantes. Definitur enim indiuiduum hoc modo:

Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur. *Definitio indiuidui.*

Cuius definitionis hic est sensus. Indiuiduũ est vocabulũ, quod ex suæ significatiõis, quã habet proprietate, nõ potest de pluribus rebus diuisim prædicari: idq; vniuocè, id est, secundũ vnã eandemq; significationẽ. Exẽpli gratia, Ioannes indiuiduũ est, quoniam nõ nisi de vno potest secundũ vnam significationem prædicari, dicendo: Hic homo est Ioannes. Quòd si aliũ quemlibet ab hoc demõstrato designaueris, dicẽs: Etiã iste Ioãnes est, hoc manifestũ est non secundũ eandẽ, sed secũdũ variatã significationẽ sic dici. Indiuiduũ enim ex suæ significationis natura, secundũ vnã significationẽ, nõ nisi vnam rem singularẽ potest significare: ac proinde secũdũ vnã significationẽ non potest nisi de re vna singulari prędicari. Dicitur autẽ indiuiduũ secundũ hanc rationẽ (iuxta interpretationẽ nominis) quod ita sit singulare, vt diuidi nõ possit in plura particularia de quibus possit prædicari. Per contrarium verò vniuersale definitur, hoc modo:

Vniuersale est, quod prædicatur de pluribus. *Definitio vniuersalis.*

Quam definitionẽ, sic intellige. Vniuersale est vocabulũ eiusmodi, quod secundũ generalitatem suæ significationis quã habet, de pluribus diuersis rebus potest diuisim siue in diuersis propositiõibus prędicari: idq; vniuocè, id est, in eadẽ significatione. Verbi gratia, homo, vniuersale est: quoniã & de Petro prędicatur, dicẽdo, Petrus est homo: & similiter de

Paulo, Iacobo, ac cæteris omnibus particularibus hominibus ſigillatim poteſt prædicari. In his autem omnibus, vocabulum homo, eandem ſemper habet ſignificationem, de quocunq; indiuiduo prædicetur. Vna enim eademq; ſignificatione, vox homo vniuerſos homines particulares in humana natura communicantes ſignificat. Neque aliam habet ſignificationē cùm dico, Ioannes eſt homo, quàm cum dico, Petrus eſt homo. Vtrobiq; enim generaliter omnes homines particulares ſub generalitate ſignificat. Vocatur autē vniuerſale alio nomine prædicabile. Secundū rem enim iſta cōuertuntur, quoniā quicquid eſt vniuerſale, eſt & prædicabile, & econuerſo. Diuerſa tamē ratione aliquid dicitur vniuerſale & prædicabile. Vniuerſale enim dicitur, quatenus rē vniuerſalē ſiue generalē & cōmunē atq; participabilē multis principaliter ſignificat. Vt (verbi gratia) homo principaliter & primario ſignificat humanam naturā, in qua conueniunt, & cōmunicāt, quamq; participant omnes particulares homines. Sic animal naturā animalem communē omnibus animātibus. Atq; has vocant naturas cōmunes atq; vniuerſales. De quibus à nonnullis ſolēt plurimæ & difficillimę in ipſo Dialecticæ determinationis ingreſſu moueri quęſtiones, quæ tamen quoniam ad Metaphyſicam potius ſpectāt, nequaquā huic loco inſerenda arbitramur. Sunt enim ſuis locis dicenda tractandaq; ſingula, vt nō ſub onere ſuccumbant recentia atq; tenella diſcipulorū ingenia, & hoc maximè prouidendū eſt liberalium diſciplinarū tractatoribus, iis potiſſimum quibus mollis ætas ac tenera eſt inſtituenda, ne rerum ſublimiū ac puerilis tenuitatis captū longè ſuperantium nimia difficultate in ipſis ſtatim foribus propoſita, animū deſpōdeant tanti laboris impatiētes adoleſcentuli.

Prędicabile verò dicitur, quatenus de pluribus poteſt propter ſignificationis ſuæ generalitatē, prædicari. Quòd autē terminus quilibet poſsit de pluribus prædicari, inde habet, quia vniuerſalem aliquam & multis communem vel cōmunicabilem naturā ſignificat, cū qua ſimul & omnia indiuidua vel inferiora in illa natura communicantia, velut ſecūdaria ſignificatione, includit. Atq; ob hanc cauſam videtur prædicabile ſic cōſequi ad vniuerſale, quomodo riſibile cōſequitur ad hominem, ſicut propriū ad ſubiectū, de quibus latius in ſequentibus vbi de proprio agetur.

DE

De quadruplici indiuiduo, & primum de indiuiduo determinato. CAPVT II.

Indiuiduum determinatum.

» SVNT autem indiuidua quædã quæ vocantur determinata, vocabula scilicet ad significandum determinatam & certã rem singularem ex arbitrio imponẽtium instituta. Atque hæc potissimũ inueniũtur in Angelis, tam bonis quàm malis, & in hominibus, atque etiam in nonnullis animalibus domesticis. In Angelis, vt Michael, Gabriel, Raphael, Beelzebub Asmodeus, Lucifer. In hominibus, vt Adã, Noë, Abrahã Dauid, Salomon, Petrus, Paulus, Eua, Sara, Noëmi, Maria, Catharina. In domesticis animantibus, patet ex appellationibus equorũ vaccarũ, canũ, & similium, quibus pro suo arbitrio domini nomina imponunt, ad quæ ita etiam assuefaciunt animalia, vt mox ad auditum sui nominis accurrant, id quod experientia notum facit. Habent quoq; fluuij & montes sua nomina, & præter vrbes, prouincias, ac regiones, etiam loca alia quouis modo insignia. Nomina fluuiorum sunt Mosa, Dilia, Timera, Schalda, Sequana. Nomina montium, vt Sinai, Thabor, Hermon, Monspessulanus, Monsrõselanus, & similia. In his autem determinatis indiuiduis, ✱✱✱ hoc est, diligenter aduertendum, quòd plerunq; secundum vim suæ originis, & radicem suæ significationis communia & vniuersalia sunt. Quemadmodum (exempli gratia) Adam si respiciamus ad originalem Hebrææ vocis significationem, commune nomen est, terrenum significans, siue eum qui de terra factus est. Cui significationi illudens beatus Apostolus, & Adam veterem cum Christo nouo Adam conferens, ait Primus homo, de terra terrenus, secundum quem respectum omnes homines rectè Adam dici possunt, idque prorsus vniuocè. Omnes enim de terra nati, terreni sumus, iuxta illam vniuerso generi humano definitam firmatámq; sententiam, Terra es, & in terrã reuerteris. Sic Abraham secundum partium significationem, patrem gentium significat, eo quòd Dominus voluit Abraham fieri patrem multarum gẽtium: iuxta illud Geneseos, Patrem multarũ gẽtium posui te. Hæc autem significatio, etiã Apostolorum cuilibet rectè cõpetit, & iure singulos eorũ vocare poterimus Abraham, quoniam patres sunt secundum spiritũ multarum gentium, & principes populorum, quos Christo genuerunt per Euãgelium. De quibus & in Psal. dicitur, Principes popu-

1. Cor. 15.

Genes. 3.

Genes. 17.

rum congregati sunt cũ Deo Abraham,&c. Sic Petrus dictus est à petra,propter firmitatem fidei,dicente ad illũ Domino,Ego dico tibi quia tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam.Atq; hoc pacto Petri sumus,quicunq; supra petram Dominũ in firma fidei cõfessione fundati sumus. Hæc ergo omnia ex vi quidem suæ originalis significationis cõmunia sunt vocabula,sunt tamẽ ad determinatè significandũ singulares personas imposita:atq; ideo, donec vt indiuidua accipiuntur, non nisi vnam rem determinatè & particulariter significant,vna significatione.Cum verò secundum illam suæ originis significationem accipiuntur,non iam indiuidua,sed vniuersalia sunt.

De indiuiduo ex demonstratione.

CAP. III.

Indiuiduum ex demõstratione.

ALIA verò sunt indiuidua ex demonstratione,cùm videlicet terminum cõmunem cum pronomine demonstratiuo sumimus,ad vnũ aliquid particulare designandum. Velut cũ dicimus,hic homo,illa arbor,istud aurũ,ego debilis,tu fortis.Et interdum quidem terminus sic apertè exprimitur,interdum verò subintelligitur.Atque id rursum vel propter cõtemptum,quemadmodum accusantes Christum Iudæi dicebant,Hunc inuenimus subuertentem gentẽ nostram.Vel propter honoris æstimationem.Vt cùm dicerent populi eundem paulo antè magnificantes:Hic est Iesus propheta à Nazereth Galilææ.Interdum verò tantum propter claritatem sententiæ,eò quòd ex natura pronominis satis constet quid subintelligitur,absq; vlla expresione:quemadmodum ferè semper euenit in pronominibus ego & tu. Hæc enim,ex ipsa pronuntiatione monstrant id de quo fit sermo.Ego enim loquentem respicit,tu verò illum ad quẽ dirigitur sermo.Vt ego dixi,tu dixisti,nos vidimus,vos audistis,&c. Illud verò de his indiuiduis notandum est,non posse fieri(quod & de determinatis prius diximus)vt in vna significatione plura atque diuersa simul significent. Cùm enim pronominis demonstratiui significatio sit ipsa eius demonstratio,manifestum est toties variari significationem, quoties variatur demõstratio.Vnde consequitur,sicut plura diuersa simul non possunt vna demonstratione demonstrari,ita neque vna significatione posse plura diuersa significari. Notandum est insuper,non omnia indifferenter de-

mon-

monstratiua pronomina facere indiuidua ex demõstratione, sed tantum ea quæ sunt primitiuæ speciei. Quæ enim ab aliis primitiuis deriuata sunt, nequaquam indiuidua componunt, cùm terminis communibus coniungũtur. Cùm enim dico, vestis mea, domus tua, hortus noster, vestrum prædiũ, communia sunt hæc, quia de multis secundum vnam eandémq; significationem prædicantur, non autem singularia aut indiuidua. Si enim domos plures possideas, de vnaquaque verè dixeris, Hæc domus mea est, idq; secundum vnam eandémq; significationem. Huiusmodi autem indiuidua ex demonstratione magis prompta sunt & obuia, magisq; vulgari vsu frequẽtata, quã indiuidua determinata. Nam in omnibus generibus & speciebus per hunc demonstrãdi modum designamus particularia tam in accidentibus quàm in substantiis: & indiuiduorũ determinatorum locum hęc supplent, vbi illa defuerint. Dicimus enim, istum hominem, istum asinum, illum leonem, hunc vrsum, hanc stellam, hoc metallum, illud argentum, hanc arborem, hoc cœlum, hanc substantiam, hanc quantitatẽ, hanc qualitatem, hanc actionem, & sic de omnibus prædicamentis. Et est istud de natura pronominis demonstratiui satis admiratione dignum, quòd tantæ sit potentiæ & efficaciæ ad constringendum & contrahendum, vt tam facile, & nihil minus singulare efficiat, additum generalissimo termino, quàm si adderetur infimæ cuilibet speciei. Vt (verbi gratia) tam est singulare & indiuiduum, quod dico, hæc substantia, hæc qualitas, quàm si dicam, hic homo, hæc albedo. Aeq; enim vtraque non nisi vnum valent simul suppositum demõstrare aut significare.

De indiuiduo vago. CAP. IIII.

Indiuiduum vágum.

» PRAEDICTIS verò adiiciũt vaga quædã indiuidua: quæ
» scilicet vsurpãtur ad vnum aliquid particulare singulari
» ter significãdũ, non tamen determinãt neq; determinatè in-
» dicant, neq; ex nominis impositione, neq; ex demonstrandi
» ratione quod sit illud singulare de quo fit mẽtio. Vt cũ Aristoteles in prædicamentis, aliquẽ hominẽ & aliquẽ equum, dicit esse primas (id est, singulares) substãtias, manifestũ est, terminos illos res particulares significare. Quia tamẽ in vago & confuso hoc tantũ faciunt, non indicando certũ suppositum, idcirco vagum nũcupatur, quasi significatione indeterminatum ad quodlibet particulare suppositum.

Quasi per vagum indiuiduũ Saluator loquebatur, cùm
Matt.26. mittens Petrum & Ioannẽ ad parandum pascha, diceret, Ite in ciuitatẽ ad quendã, & dicite illi. Manifestũ est enim quòd de vno particulari loquebatur, tamẽ ex ipso loquendi modo nõ determinat hæc loquutio, quisnã ille esset. Ita ferè accipere possumus in Scripturis, cùm legimus, vir quidã, homo quidam, quidam paterfamiliãs, die quadã, & huiusmodi. Per hæc indiuidua loquimur, cùm dicimus: Sanctum aliquẽ elige, cuius patrociniis causas tuas commẽdes. Amicũ aliquem tibi quære, cum quo tua consilia communices. Aduoca mihi ministrum aliquem, adiunge mihi socium aliquem, & his similia. His autem vagis indiuiduis adiicere solent nõnunquàm determinata, ad indicãdũ certum suppositum de quo fit mentio. Quemadmodum cum legimus, Vir quidã erat in terra Hus, nomine Iob. Itẽ, Vir quidã nomine Ananias: Legisperitus quidã, nomine Gamaliel: Decurio quidam nomine Ioseph: Pharisæus quidam, Nicodemus nomine: Mulier quædam, Martha nomine. Nonnunquam alia quædã adiiciũt, ex quibus discerni potest, quòd illud sit particulare, de
Actuũ 3. quo fit mentio. Quemadmodum Actuum tertio, Vir quidã qui erat claudus ex vtero matris suæ, quẽ ponebant quotidie ante portam tẽpli, vt peteret eleemosynam, &c. Sicut autẽ indiuiduis ex demõstratione maximè vtimur in rebus præsentibus & notis quas demonstrare possumus, ita his vagis vtimur potissimũ in rebus absentibus & incognitis, cùm illi cui loquimur, per demonstrationẽ nõ possumus sufficiẽter notũ facere particulare suppositum de quo loqui intẽdimus. Aliter quoq; (cũ de rebus fit sermo) vagũ appellatur
Indiuiduũ vagũ reale. indiuiduũ, res singularis quæ sub genere aliquo ponitur, & sub nulla determinata eius specie. Quemadmodũ dicũt de embryone in vtero matris, id est, de fœtu in vtero cõcepto antequã formã vltimã habeat. Fœtus enim in vtero matris conceptus, secundum Physicorum opinionem, prius videtur habere tãtùm animam vegetatiuam, non etiam sensitiuam aut rationalem. Deinde animam acquirit sensitiuam. Postremo, temporis successu, formam acquirit vltimã, id est, animã rationalem. Donec ergo fœtus ille tantũ habet animã vegetatiuam, videtur vtiq; sub genere esse corpus animatũ. Sub nulla tamẽ specie corporis animati videtur cõstituẽdus, quoniam neq; animal videtur esse, neq; planta. Deinde, etiã cùm

sen

sensitiuam nactus fuerit animam sed nondum rationalem, videtur iam sub genere animal contineri: non tamen sub alí qua specie animalis. Non enim est homo, quia animam rationalem non habet. Nec brutum videtur, quoniam nullius brutí formam aut speciem habet. Rectè igitur hac ratione indiuiduum istud vagum dicitur, quasi certum in nulla specie locum habens.

De indiuiduo ex Hypothesi.

CAPVT V.

» ADDVNT quoq; prædictis indiuiduum quod ex hypo- *Indiuiduũ ex hypothesi.*
» thesi, id est, ex suppositione nominãt: quod videlicet in
» se quidem, quãtum ex significationis suę natura, vniuersale
» & cõmune est, facta tamẽ hypothesi, & suppositione aliqua
» non nisi de vno particulari prædicatur. Quemadmodũ (exẽ pli gratia) Mariæ filius, ex se quidem est terminus communis, & generaliter significat: quia tamẽ iuxta veritatẽ, vt res se modo habet, non nisi vni competit, quia non nisi vnus est Mariæ filius, idcirco secũdum hanc suppositionem & hypothesin quodammodo indiuiduum dicitur. Vnde & pro eodem accipimus, siue dicamus Iesum (quod indiuiduũ determinatum est) sine peccato natum, pro peccatoribus mortuũ, siue Mariæ filiũ. De eadẽ enim re singulari loquimur.

In hoc tamen est differentia, quòd illud nomen est determinatũ à patre, dignissimo illi homini, qui Christus dictus est, propriè impositum, & ab angelo denũtiatum, ad ipsum Christum Dominum particulariter & determinatè significandum. Nomen autem hoc, Mariæ filius, quantum ex sua significatione commune est, & si habuisset Maria alios filios post Christum (vt impie asserunt impij Eluidiani) de iisdem vniuocè potuisset Prædicari. Ita Abrahę filius, indiuiduũ ex suppositione esset, facta hypothesi, quòd vnicus esset Abrahæ filius, ipse videlicet Isaac. Similiter & Bethsabeæ filius, pro Salomone facta simili hypothesi, quòd vnicum filium genuisset Salomonem.

De alia quadam definitione indiuidui.

CAP. VI.

PRAETER definitionem indiuidui suprapositam, quæ vocibus potissimum conuenit, alteram assignat Porphyrius quæ ipsis rebus magis propriè videtur applicanda, in hunc modum.

Secunda definitio indiuidui.

Indiuiduum est, quod consistit ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio erit eadem.

Cuius diffinitionis hic est sensus, Indiuiduum reale est singulare aliquid, quod sub certis quibusdam proprietatibus consistit, id est, per se subsistens determinatas quasdã habet conditiones indiuiduantes vel singularizantes, quæ omnes simul sumptæ nunquam inueniri possunt eædem numero in vllo alio singulari. In quo manifestè differt indiuiduum singulare à natura vniuersali siue communi: quoniam proprietates, quas habet natura vniuersalis siue generica, siue specifica, eædem inueniuntur in omnibus speciebus vel indiuiduis, sub genere illo aut specie illa contentis. Quemadmodum (exempli gratia) risibilitas & flebilitas ac disciplinæ susceptibilitas, proprietates sunt ipsius naturæ humanæ: sunt autem eædem in omnibus hominibus, quemadmodum posterius suo loco in tractatu de proprio declarabitur. Secus est de proprietatibus singularibus indiuiduorum. Habent enim singula suas proprietates, quas etiam conditiones indiuiduales siue indiuiduantes appellant. Et hæc quidem de indiuiduo dicta sufficiant. Nunc ad vniuersalis species considerandas recto ordine transeamus.

De quinque speciebus vniuersalis, & primum de genere.

CAPVT VII.

DIVIDITVR autem vniuersale, in quinq; species, nempe in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. De quibus suo ordine nunc est sigillatim pertractandum. Et primum quidem de genere, quod in significatione, quæ Philosophis commoda est, sic à Porphyrio definitur:

Definitio generis.

Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est.

Quã diffinitionẽ ita intellige. Genus est vniuersale eiusmodi, quod secũdũ suã significationẽ ita est generale & cõmune: vt verè prædicari possit de pluribus diuersis speciebus aut indiuiduis diuersarum specierũ, idq; essentialiter & (vt ita loquamur) quidditatiuè, hoc est, sic vt ad interrogationẽ factam per quid, respectu illorum specie differentium, rectè & verè valeat responderi. Exempli gratia, animal est genus, quoniam ita generalem habet significationẽ, vt secundum

Animal est genus est.

eam

eam prædicari posit de pluribus diuersis speciebus sub se contentis, dicēdo, Homo est animal, equus item est animal, similiter & leo & vrsus, atq; ita in cæteris speciebus, quæ sub animali sunt. Aut de indiuiduis diuersarū specierum, dicendo, Petrus animal est, & hic leo animal est, & item, hic vrsus, atq; ita in cæteris. Prædicatur autē de his in eo quod quid est, id est in prædicatione (vt sic dicamus) quidditatiua, rei quidditatē siue quid res sit explicante, quoniā si quis roget, quídnam sit homo, vel equus, vel asinus, cōuenientissimè respōdebitur, ea esse animalia. Et qui hominem dicit esse animal, exprimit hominis quidditatē, hoc est, quídnam sit ipse. Sic arbor genus est pomi, pyri, pruni, mori, oliuæ, & cæterarum specierum suarum. Sic metallum ad aurum, argentum, cuprum, stannum, æs, ferrum. In hac igitur generis definitione, vniuersale genus est definiti, per quod excludūtur semel omnia indiuidua, quorū nullum genus esse potest. Quę autem sequūtur simul coaceruata differentiæ locum obtinent. Nā prædicari de pluribus specie differētibus, excludit à definitione generis speciē: quæ (vt posterius dicetur) non prædicatur de pluribus specie differetibus, sed tātùm pluribus differētibus numero, de indiuiduis sub se cōtētis. Quod autē sequitur, in eo quod quid est, excludit differentias propria & accidentia, quorū nullū in eo quod quid est prædicatur, sed tātùm in eo quod quale est, vt ex sequētibus patebit.

De *aliis duabus acceptionibus vocabuli genus.*

CAPVT VIII.

PONIT autē Porphyrius & alias duas generis acceptiones siue significationes, quarum priorem ita describit:

Genus vno modo dicitur, aliquorum quodammodo se habentium ad vnum aliquid & ad seinuicem, collectio. Genus primo modo.

Cuius definitionis hic est sensus. Genus primo modo siue in prima significatiōe, dicitur collectio siue multitudo aliquorū habentiū se certa quadam habitudine ad vnū aliquid tanquàm ad vnum ipsorum cōmune principium, siue productiuum, siue conseruatiuum. Itē & ad se inuicē tanquàm simul ab eodē principio productorū vel cōseruatorum, videlicet per modū quendam cognationis, hoc est (vt ita loquamur)

mur) consanguinitatis aut conterraneitatis.

Secundum hanc significationem, tota generatio siue populus Iudæorum dicuntur genus ipsius Abrahæ, Isaac, & Iacob patriarcharum, à quibus descenderunt. Ismahelitæ omnes genus sunt Ismahelis, Idumæi ipsius Edom siue Esau, Ammonitæ respectu Ammon patris ipsorũ, & Moabitæ respectu patris Moab. Item & respectu Saræ, omnes ab ea descendentes, ipsius genus dicuntur, sicut respectu Abrahæ: & Agareni omnes, ipsius Agar ancillæ dicuntur genus. Nihil enim refert, vir an mulier sit principium ad quod est habitudo. Nam vt vir est principium productiuum, ita & mulier: ille quidem actiuum, hæc passiuum. Simul enim ad generationem concurrant necesse est, vir & mulier.

Insuper & respectu loci dicitur genus primo modo. Est enim locus principium conseruatiuũ, rerum quæ in ipso nascuntur, natiuas quasdam proprietates in illas influens, & certa complexione disponens: propter quod meritò principij nomen habet. Sic Aegyptios dicimus genus respectu Aegypti, Troianos respectu Troiæ, Brabantos à Brabãtia, Gallos à Gallia, Germanos à Germania, atque ita in cæteris.

Propriè verò non dicitur genus primo modo, nisi respectu principij talis, quo vna collectio distingui possit ab alia, id quod in textu satis apertè videtur indicare Porphyrius. Vt collectio quæ ab Abraham descendit, per ipsum suũ hoc principium distinguitur ab omnibus aliis populis & gentibus, quæ nõ descenderunt ab eodem. Item gens Troianorũ, per suæ originis locum hunc, distinguitur ab aliis omnibus gentibus. Huiusmodi autem vocari possunt principia distinctiua. Vnde propriè loquendo vniuersitas hominum non dicetur genus ipsius Adæ aut Euæ, eo quòd non sunt principia distinctiua: neq; respectu totius mundi vel aëris dicetur genus, vniuersa hominum collectio, eo quòd locus sit communis omnium hominum, per quem non distinguitur collectio à collectione. Sic neque respectu Dei, vniuersitas hominum videtur dicẽda genus: tametsi minus propriè id dici posset, quemadmodum ex Poëta in Actibus Apostolorum Paulus adducit, dicens: Ipsius enim (nempe Dei) & genus sumus. Genus ergo cùm simus Dei &c.

Act. 17.

Secundo autem modo genus dicitur ipsum principiũ tale multorum descendentium ab eo, habentium se certo modo

do cognationis siue consanguinitatis, vel (vt ita dicã) conterraneitatis, adinuicẽ, & ad vnum illud principium. Definitur autem à Porphyrio, hoc modo:

Altero modo dicitur genus, quod est vniuscuiusque generationis principium, vel ab eo quod genuit, vel à loco in quo quis genitus est. Genus secundo modo.

Quam definitionem ita intellige. Genus secundo modo dicitur principium alicuius generationis, siue alicuius collectionis & multitudinis, quæ descendit ab ipso, tanquàm à principio productiuo vel conseruatiuo. Sic Abraham, Isaac aut Iacob dicuntur singuli genus Israëlitici populi: Sic Roma Romanorum est genus, Germanorum Germania, atque ita in cæteris. Cuius definitionis intellectus ex priore satis patet. Sunt autem genus primo modo & secundo modo adinuicem relatiua, quoniam adinuicem referuntur, sicut pater & filius. Quomodo enim pater dicitur pater respectu filij, & econtrario: sic genus primo modo dicitur respectu generis secundo modo, & econtrario. In his autem duabus significationibus non est vocabuli huius vsus apud Philosophos, sed ad Poëtas magis & Oratores spectat. In priore significatione eius vsum inuenimus apud Virgilium, in ipso suæ Aeneidis exordio, de Troiano Aenea ita loquentem, Inferretq; deos Latio genus vnde Latinum. Quod Seruius Virgilij Commentator interpretatur, à loco non à persona, id est à Latio non ab Aenea, genus dici Latinum. Vel aliter, ab Aenea qui antiquum Latinorum nomen reliquit, & suis dedit, quod mutare potuisset & à se Aeneadas nominare. Qua appellatione Dido Troianos appellat, ita eos alloquens: Quis genus Aeneadũ, aut quis Troiæ nesciat vrbem? In eadẽ ferè significatione vocabulo hoc vtitur, in oratione Neptuni, quem introducit ventis ita loquentem, Tantáne vos generis tenuit fiducia vestri? videlicet significare volens (iuxta Seruiũ atq; Donatum) ventos genus esse gigantum, qui diis bellum inferre moliti sunt, atq; ab eis esse natos (iuxta Poëtarum figmentũ) ex Astræo videlicet vno de Titanibus & Aurora, vt videantur hanc audaciam habere ex paterna hæreditate. Similis est significatio, cum à Troianis Didoni dicitur, Parce pio generi, & propius res aspice nostras. Se quippe pium genus appellant, quòd à piis parẽtibus descenderint.

derint. In secũda autem significatione, hoc vocabulo vtitur maximus ille Ilioneus, pro Aenea Troiano, & de eo apud Latinum regem loquens, in hæc verba, Ab Ioue principiũ generis, Ioue Dardana pubes Gaudet auo, rex ipse Iouis de gente suprema Troius Aeneas, tua nos ad littora misit. Videlicet significare volens, Aeneam habere principium ac genus suũ, ipsum summũ Iouem per matrem Venerem, ex qua dicitur ab Anchise patre genitus. Et alibi ipse Aeneas loquitur, dicens, Italiam quæro patriam & genus ab Ioue summo. Italiam significans suum esse genus & patriam ex parte aui sui Iouis. Apud Philosophos verò (vt suprà diximus) harum significationum nullus est vsus, sed tantum illius, in qua primo loco genus est à nobis definitum.

De *specie*. CAP. IX.

Species cũr dicatur prædicabile.

INTER quinque prædicabilia, secundũ iure obtinet locũ species, propterea quòd cũ genere plus cæteris cõueniat. Idem enim est vtrisque prædicandi modus. Nam & genus & species similiter prædicãtur in eo quod quid est. Quẽadmodum autẽ duas posuimus generis acceptiones, secundũ quas nõ est in vsu Philosophis, sic & speciei vnã assignat Porphyrius acceptionem quæ non est vsui Dialecticis. Sic enim ait:

Species dicitur vniuscuiusque forma.

Secundum hãc significationẽ dicimus, Priami speciem dignam esse imperio. Dicimus item secundum hanc significationem, mulierem esse honesta & liberali, vel inhonesta & illiberali specie, venusta quoque & inuenusta, decora, & indecora specie. Vnde & speciosos homines dicimus quos alio nomine æquiualenti formosos vocamus.

Secundum aliam autem acceptionem, quæ vsui est Dialecticis, definitur species à Porphyrio in hunc modum:

Species prædicabilis.

Species est, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid est.

Hoc est, vniuersale huiusmodi, quod secundũ suam significationem (quã habet strictam quidem & angustã, licet nõ omnino vt indiuidua singularem) tam est speciale, vt possit tantũ de diuersis indiuiduis eiusdem speciei verè prædicari, nõ etiã de diuersis speciebus, aut diuersarum specierum indiuiduis: idq; essentialiter & quidditatiuè, ad interrogationem

nem scilicet factam per quid. Verbi gratia, homo species est respectu subiectorum sibi indiuiduorũ, quoniam de suis indiuiduis prædicatur, Petro videlicet, Paulo, Ioãne, & ceteris particularibus indiuiduis. Et de his quidem in eo quod quid est prædicatur, quoniã roganti quid sit Petrus aut Augustinus, mox aptissima responsione dicetur, homo est. Est enim species suorũ indiuiduorũ quidditas, sicut genus quidditas est suarũ specierum. Et sicut ad interrogationẽ de specie factam per interrogatiuũ signum quid, commodè adhibetur responsio generis de specie (quemadmodũ præcedenti capitulo dictum est) ita ad interrogationem de indiuiduo sub eodẽ signo factam, adhibenda est responsio speciei & proxima & promptissima. Prædicatur itaq; homo de pluribus differentibus numero, in eo quod quid est. Verùm tam angustę significationis est, vt non nisi de differentibus numero hoc modo prædicari possit, non etiã de multis differentibus specie, id est, diuersis speciebus, aut de indiuiduis diuersarũ specierum. Neq; enim vlla species inferior sub homine est, de qua possit prædicari, neq; vlla alia indiuidua, nisi particulares homines, qui omnes vnius eiusdemq; speciei sunt, nẽpe humanæ & solo numero differunt. Ex qua declaratione patet, quòd definitio prædicta secundũ exclusionem debeat intelligi, hoc modo: Species est vniuersale, quod solũ de numero differẽtibus prædicatur, in eo quod quid est. Alioquin & genera de indiuiduis eiusdem speciei (quæ numero differũt) prædicãtur in quid, vt animal de Petro & Paulo. Sed nõ de his tantum differentibus numero prædicatur, verumetiã de differentibus specie, vtpote homine, equo, asino, &c.

De identitate & diuersitate. CAP. X.

QVONIAM autẽ iam diximus de numero & specie differentibus, opportunè hîc considerandum est (ne in ignotis versemur nominibus) quid sibi velint ista vocabula. Siehdum itaq; est, tripliciter aliqua differre. Quædã enim solo numero differunt, quędam specie, quædam etiam genere.

» Numero enim differunt, diuersa indiuidua, sub eadẽ pro *Differentia numero.*
» xima specie posita, quæ numero quidẽ differre dicũtur pro-
» pter diuersitatem indiuidualem quæ numerũ constituit. Solum autẽ numero differunt, quia maior differẽtia quàm numeralis inter illa quæ sub eadem specie specialissima posita sunt, nõ potest reperiri. In prima enim essentia quæ superior est,

est, nempe natura speciei, mox conuenientia inuenitur. Omnia enim individua eiusdem speciei, ex æquo naturam speciei participant, & æqualiter communicant in ea, multo autem magis in natura generis. Relinquitur ergo vt solo numero differant. Differunt autem specie, quæ vel sunt speDifferentia specie. cies diuersæ, vel diuersarum specierum individua, vt equus & homo specie differunt, similiter leo & vrsus, pomus & pyrus, aurum, & argentum, albedo & nigredo, & ita in cæteris. Rursum hic homo, & hic equus, iste leo, & iste vrsus: hæc pomus & hæc pyrus. Huiusmodi autem solum specie differunt, quæ in proximo genere communicant. Vt homo & equus in animali, quod super ipsa est proximum: aurum & argentum in metallo, albedo & nigredo in colore. Similiter hic homo & hic equus in proximo genere communicant, quapropter nō nisi specie differūt. Differunt verò genere, quæDifferentia genere. vel sunt diuersa genera, vel species, aut individua sub diuersis generibus constituta, vt brutum & arbor genere differunt, quia duo sunt diuersa genera, equus verò & pyrus, quoniam diuersorum generum sunt species. Deinde etiam hoc animal, & hæc arbor: quia individua sunt sub diuersis generibus posita. Inter hæc autem per se euidens est ea quę tertio modo differunt, maximè: quæ primo, minimè: quæ verò secundo, mediocriter differre. Quoniam verò (secundumNumer eadem. vsitatissimam illam Aristotelis regulam) tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis & reliquum: possunt similiter tres modi identitatis assignari. Primùm enim dicimus idem numero, quando nec secundum numerum inuenitur differentia, vtpote cum inueniri non potest individualis diuersitas, quæ numerum debet constituere. Sic homo quilibet heri & hodie, idem est numero. Et quælibet res eadē est cum semetipsa. Eadem enim res, quotiescunq; sumatur vel replicetur, secundum nomen aut considerationem, non potest numerum constituere. Oportet enim diuersa accipere individua, vt minimū duo priusquam consurgat numerus.

Specie eadem. Specie verò dicuntur eadem, quæ sub eadem specie proxima & specialissima inueniuntur posita. Vt omnes particulares homines cùm seinuicem sunt specie idem, & omnes leoGenere eadem. nes cùm seinuicem. Eadē verò genere sunt, quæ sub eodē genere ponūtur: vt homo, equus, asinus, leo, & horum individua. Quanto autē genus istud ad quod fit specierum comparat

paratio fuerit generalius generaliſsimoq; vicinius,& ab vltima ſpecie remotius,tanto minor eſt huiuſmodi ſpecierum identitas. Nihil enim dubium eſt,quin homo & equus ſint magis genere idem,quàm equus & arbor. Homo enim & equus in animali cõueniunt,equus autem & arbor non cõueniunt niſi in corpore animato,quod genus à ſpecie ſpecialiſsima eſt elongatius,& generaliſsimo primoq; generi magis appropinquat. Quemadmodũ autem ſuprà dictum eſt, illa minimè differre,quæ numero tantùm differunt:illa autem maximè,quæ genere:ſic per oppoſitũ de identitate dicendum eſt,maximam eſſe numeralem,minimam genericam,ſpecificam verò medio modo ſe habentem. Nunc verò ad ſpeciei pertractationem redeamus.

De *ſpeciei varia acceptione.* CAP. XI.

ADVERTENDVM autẽ eſt, vocabulũ ſpeciei vario modo à Dialecticis vſurpari:& nonnunquã quidẽ ad ſubiecta indiuidua,aliàs verò ad ſuppoſita genera referri. Secũdum priorem acceptionem nominant ſpeciẽ prædicabilem, quam etiã ſuprà definiuimus ſolũ de differentibus numero prædicari. Atq; hæc eſt ſpecies ſecunda vniuerſalis. Secundũ verò poſteriorem conſiderationem,ſubiicibilem ſpeciẽ appellant,quam ita definiunt,duplici definitione:

Species eſt quæ ſub genere ponitur,& de qua genus in eo quod quid eſt prædicatur. *Species ſubiicibilis.*

Hoc eſt, vniuerſale eiuſmodi,aut dictio vniuerſalis quæ ſub alio ſuperiori genere in prædicamentali ordine,aut ordinata prædicatione ſubiicitur,& de quo ſuperius genus quidditatiue,ſiue in reſpõſione ad interrogationẽ quid eſt, prædicatur. Iuxta hanc autem acceptionẽ non ſolũ vltimæ ſpecies ac ſpecialiſsimæ,& quæ de ſolis numero differẽtibus prædicantur,dicẽdæ ſunt ſpecies,verùm etiã genera omnia, quęcũq; inter generaliſsimũ genus & vltimã ſpeciẽ ſunt intermedia. Nã & animal hoc modo eſt ſpecies corporis animati,& corpus animatũ ſpecies corporis,& corpus ſubſtãtiæ. Neq; vocabulũ ſpecies ſecundũ hanc acceptionẽ haberi poteſt pro ſecunda ſpecie vniuerſalis,quoniã vniuerſale reſpectũ notat ad ſubiecta,de quibus ſecũdũ rectã & ordinatã prædicationẽ dici poteſt. Sed eſt correlatiuũ generis quẽadmodum filius correlatiuũ eſt patris. Sicut enim pater omnis

est pater filij, ita genus respectu subiectæ sibi speciei dicitur genus: & vicissim species hoc modo sumpta, est alicuius suprastantis generis species, vt omnis filius est patris sui filius. Species autem prædicabilis, ad indiuidua referri debet.

De specialissima & subalterna specie, itémque de generalissimo & subalterno. CAP. XII.

HANC autē speciem prædicabilem, quam suprà diximus solū prædicari de differentibus numero, vocamus etiā speciē specialissimam, eo quòd vltima sit & infima, indiuiduísq; proxima, & immediata. Definitur autem hoc modo.

Species specialissima.

Specialissimum est, quod cùm sit species, non est genus: vel etiam quod cùm sit species, non diuiditur in species.

Hoc est, quod quidē est species cōparatione ad subiecta indiuidua, nullas tamē habet sub se species quarū cōparatio ne queat dici genus, aut in quas possit diuidi, ad eum modū quo genus, essentiali diuisiōe secatur in species. Huiusmodi autē species specialissimæ sunt omnes quæ indiuiduis proximæ sunt, & sub quibus non est reperire nisi indiuidua. Sic per oppositum definitur genus generalissimum hoc modo.

Genus generalissimum.

Generalissimum genus est, quod cùm sit genus, nō est species, & supra quod non est aliud superueniens genus.

Hoc est, quod ita est secūdū suā significationē generale & eminens, vt supra omnia alia genera sui ordinis vel prædicamenti emineat, ipsum verò nihil superius se & generalius agnoscit in suo prædicamentali ordine cui subiiciatur. Exēpli gratia, Substantia generalissimum genus est, quoniā genus ita generale & eminens, vt super omnia constituatur quæ in ordine sunt prædicamēti sui tanquā omnium substātiarū genus: ipsum verò in eodem ordine nihil se habet superius. Animal verò genus quidē est, sed non generalissimum, quoniā supra se habet alia genera in eadem prædicamētali coordinatione. Habet enim supra se corpus animatum, corpus & substantiā altiora genera, quibus necessario subiicitur. Imò verò corpus tametsi genus sit admodum generale, & multò generalius quàm animal, nequaquam tamē ad hoc

per

pertingere valet, vt generalissimũ genus dicatur: quoniam vnũ habet supra se genus, nẽpe substantiã cui supponitur.

Hęc autẽ generalissima vocamus prima atq; suprema genera, eo quòd nihil sit illis generalius aut prius, quẽadmodũ specialissima dicimus vltimas species, eo quòd nullũ vniuersale sit sub illis specialius aut posterius. Sola enim habẽt sub se indiuidua. Quæ verò simul genus sunt & species, hæc subalterna rectè appellantur, eo quòd sub aliis sunt posita genera. Dicimúsque huiusmodi vel genera subalterna, vel species subalternas: quæ à Porphyrio ita definiuntur.

Subalterna.

Subalterna sunt, quorum vnumquodque genus & species esse potest, ad aliud quidẽ, & ad aliud sumptũ.

Ex prædictis verò manifestũ est, generalissimũ solum vnã habere habitudinem, siue respectum vnicum ad ea quæ inferius posita sunt genera & species, nempe habitudinem generis non autem speciei. Speciem quoq; specialissimam similiter habere vnicam habitudinẽ, nempe speciei tantùm, non autem generis. Subalterna verò duplicem habere habitudinem, alteram quidem generis, qua se habent erga subiectas species, & ad illas referuntur, dum illarum dicuntur genera: alteram verò speciei, qua se habent erga supraposita genera, & qua ad illa referuntur, vt dicantur eorum subiicibiles species. Quæ omnia in subiecta ordinatione substantialium generum & specierum ad oculum patent.

Generalissimum genus.

Differentiæ		Differentiæ
	Substantia.	
Corporea	Genera subalterna. Corpus	Incorporea. *cõstituit spiritũ.*
Animatum	Corpus animatũ	Inanimatum. *constituit corpus animatum.*
Sensibile	Animal	Insensibile. *cõstituit plantã.*
Rationale.	Homo	Irrationale. *cõstituit brutum.*
	Species specialissima *sub qua sola sunt indiuidua.*	

POSTQVAM de genere & specie breuis absoluta est determinatio, ad tractatum differentię bono ordine nobis est procedendum. Vbi primum omnium notandum est, differentiam esse triplicem, nempe communem, propriam, & magis propriam. Sic quoq; tripliciter dicitur alterū differre ab altero, nempe cōmuniter, propriè, & magis propriè. Quę ita apud Porphyrium definiuntur.

Communiter differre.

Communiter differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam differt quocunque modo, vel à seipso, vel ab alio.

Quam definitionē sic intellige. Cōmuniter illa differūt, quæ secundū separabile accidens (quā Porphyrius nominat quādā alteritatē) differūt: vt homo calidus differt à frigido, Petrus stans à Paulo sedente aut ambulāte. Atq; hoc modo nō solum ab altero, verùm etiā idē à seipso secundū diuersa tēpora differre dicitur. Vt (exempli gratia) Petrus iam sedēs differt à seipso, qui mox ambulabat: homo probè potus à seipso prius sobrio. Hæc autē cōmunis differētia nominatur, eò quòd nō sit secundū aliquā fixe inhærentem rei proprietatem. Secundū hunc autē modum, vt maximè frequenter, ita minimè certo distinguere solent homines, & differētias ponere. Maximè quidem frequēter, quod maximè pateant sensui: minimè autem certo, eò quòd nulla est instabilitas eius differentiæ, quæ secundum hæc accidentia sumitur.

Propriè differre.

Propriè differre alterum ab altero dicitur, quod ab aliquo inseparabili accidente differt.

Vt coruus niger ab albo cygno propriè differt, per suā nigredinē. Sic differunt, quorū alter albos, alter glaucos habet oculos aut capillos. Atq; hoc modo etiam idem à seipso potest differre. Petrus enim iam cicatricem firmatam habēs à seipso differt prius illā nō habēte, & iā morbillosus, à seipso prius bene sano. Dicimus autem inseparabile accidēs, quod secundū naturam, vel omnino non potest, vel certè non nisi admodum difficulter potest à subiecto emigrare, cui semel insederit, absq; subiecti sui corruptiōe. Quę verò facilè abscedunt, ea separabilia dicimus, vt calor in homine aut frigus,

Accidens Inseparabile quid.

gus, loquendo de exteriori membrorum calore aut frigore. Nam huiusmodi calor facilè emigrat, vbi in ventũ aut aërẽ frigidum quis fuerit ingressus: & facilè pellitur frigus, vbi ad ignem corpus admouerit. Cæterum, calor vitalis sine quo viuere non potest homo, accidens separabile non est. Hæc autem differentia, priore certior & firmior est, ac proinde rectè propria, in comparatione ad priorem nimis communem appellatur. Quid autem sit differre magis propriè ita definit Porphyrius.

Differre magis propriè.

Magis propriè alterum ab altero differt, quando specifica differentia differt.

Vt homo à Bruto differt per rationalitatem, quã Porphyrius vocat obscurius rationalẽ qualitatẽ. Specifica autẽ differentia dicitur, quæ speciẽ cõstituit & cõponit, quæq; intersecat inter species sub eodẽ genere positas, & speciem à specie diuidit atque distinguit essentialiter. Loquimur autem hic, non tantum de specie specialissima, sed etiam de specie: subalterna. Est enim rationale specifica differẽtia hominis, qua differt à brutis: & nihilominus sensitiuũ, differentia est specifica animalis, qua differt à planta insensitiua: animatũ corporis animati, qua nimirum differt à corporibus inanimatis. Corporeum corporis quoq; est specifica differentia, qua differt corpus à spiritu, qui est incorporeus.

De distinctione huius triplicis differentiæ. CAP. XIIII. ***

CIRCA has autẽ differentias aduertendũ est. quod duæ primæ nõ faciunt aliud, id est, essentiã & substantiã rei nõ distinguunt, neq; speciẽ cõstituunt, aut speciem à specie essentialiter distinguunt, sed faciũt tantùm alteratum, id est subiectũ solum faciunt aliquo modo aliter se habere. Non enim quia homo calidus sum qui mox fuerã frigidus, idcirco aliud sum quàm ante modicum temporis fueram. Idem enim sum & non aliud prius calidus, & pòst frigidus. Neq; aliud est homo cicatricẽ habens, à seipso prius illam nõ habente. Imò neq; homo ab equo aliud est, propter diuersam figurã. Faciunt tamẽ illæ priores differentiæ rem alteratã, vel quodammodo alteram dici, id est, aliter se habentẽ. Qui enim ante modicũ calidus, nunc factus est frigidus. Per hoc aduenies frigus rectè alteratus dicet, vel aliquo modo alter à seipso prius calido, id est, aliter se habens quã prius. Diffe-

rentia autem magis propria, non facit rem alteram tãtũ aut alteratam, id est, aliter se habentem, sed etiam aliud facit, & essentialem diuersitatẽ inter speciem & speciem constituit.

Differentia enim est, quæ genericæ naturæ aduenies ipsam contrahit & limitat ad certã speciem constituendam. Nam genus per se sumptum, indifferens est ad singulas species: quapropter ex genere non potest specierũ subiectarum sumi diuersitas. sed per aduenientem differentiã quasi stringitur eius indifferentia, & ad certam speciem cõponendam cogitur. Quamobrem ex differentiis istis sumi debet essentialis specierum diuersitas. Fiat autem exemplo clarũ, quod dicimus. Animal genus est, homini & bruto ex æquo commune, neq; quantum ad esse animal vlla inter hominem & brutum differentia est. Tam enim animal est brutum quàm homo. Verùm rationale accedens ad animal, ipsum contrahit, & constringit ad constituendam vnà secum certam speciẽ, quæ est homo. Similiter irrationale ex altera parte, contrahit animal, ad componendam cum ipso certam speciem, quæ est brutum. Nam species simul ex genere & differentia componitur, & essentialiter constituitur: estque genus cum differentia, tota essentia speciei. Homo enim est animal rationale, & brutum animal irrationale. Sic corporeum aduenies substantiæ, ipsam contrahit ad componendam speciem, quæ est corpus, & ex aduerso incorporeum, ad componendum spiritum. Rursum differentia animatum, contrahit genus corpus ad constituendũ corpus animatum. Hæc enim ita secundum compositam figuram in significatione simplici accipimus, propter nominum simplicium inopiam. Rursum corpori animato aduenies differentia sensibile vel sensitiuum; contrahit ipsum ad constituendũ animal: ex aduerso autẽ insensitiuum, ad componendã plantã. Postremo aduenies animali rationale (vt diximus) cõstituit hominem, ex aduerso autẽ irrationale brutũ cõponit. Atque hæ quæ modo numeratæ sunt, ferè sunt omnes differẽtiæ quas habemus cognitas, & suis propriis nominibus designatas. Et licet in aliis speciebus nõ habeamus nomina cognita, neque etiã ipsas differẽtias perspectas, hoc tamẽ cõstat omnem speciẽ quæcunq; sub genere ponitur, habere essentialem differentiam, quæ ipsam simul cũ genere essentialiter componit, & pars est essentiæ eius. Impossibile enim est, intelligere

speciem

speciem sine differentia & sine genere, quēadmodum neque viuēs homo esse potest sine anima. Ratio autē, quare tā paucas cognoscamus rerū differentias essentiales, est hebetudo nostri intellectus, & nostræ naturæ ratiōis imperfectio, quæ res vt in se sunt nō valet cognoscere, neq; intimè eas penetrare, & vt in seipsis sunt intelligere: sed circa exteriora occupatur, & ex illis ratiocinādo debet interiora quæ pōt cognoscere. Deus autē qui res vt in se ipsis sunt intuetur, similiter & intelligētiæ absq; materia, cuiusmodi sunt beati spiritus, qui rerū essentias intelligūt, & secūdum se cognoscūt, optimè cognitas habēt & perspectas singularū specierū essentiales differētias: & est illis iucūdissimū spectaculū, videre quomodo inter tam varias rerū species singulæ secundū propriam suam essentiā diuisæ sint atq; disiunctæ à singulis, ita vt ab vna in aliam non possit vnquam fieri commutatio.

Ratio inopiæ differentiarū

CAPVT XV.

Declaratur per analogiam, quomodo genus contrahatur per differentiam ad componendum speciem.

VT autem clarius fiat quod dicimus, genus per speciem contrahi, & differentiam limitare genus ad certæ speciei compositionem: genus ipsum materiæ comparabimus, & differentiam formę, speciem vero toti ipsi cōposito, quod ex materia & forma componitur. Habet enim genus rationem materiæ, differentia rationem formæ, & species rationem compositi, id est, similitudinem: secundum quem sensum dicit Porphyrius genus esse proportionabile cū materia, & differentiam cum forma, id est, comparabile vel assimilabile. Quemadmodum itaque materia (vt in Physicis plenius declaratur) indifferēs est ad compositionem vel huius vel illius naturalis compositi, sic & genus ad constitutionem huius vel illius speciei. Et quemadmodum forma adueniens cum materia certum compositum efficit (vt cùm anima rationabilis in materiam aduenerit, homo efficitur) sic differentia generi adueniens speciem componit. Et sicut compositum ex corpore simul & anima constat, sic species ex superiori genere & aduenientē differētia. Clarius quoq; hoc ipsum videmus ad oculū in massa ceræ, quod ex se sit indifferens ad suscipiendā impressionē sigillarē, quancunq; attulerit aduenies sigillū: sed sigilli sculptura impressa massæ iā ipsam cōstringit & limitat ad certæ imaginis re-

præsentationē. Est autē genus quomodo massa cerę indifferens, & differētia quomodo sigillaris illa figura determinās massæ indifferētiā. Patet itaq; ex prædictis, quēadmodū differētia magis propria (iuxta Porphyrij dictū) facit aliud: differentię autem priores, tantū alteratū: quapropter & nostro proposito non sunt accōmodæ, sed tantùm magis propriæ.

Differentias conducere ad diuidendum & definiendum.

CAPVT XVI.

OMNES verò differētiæ istæ magis propriæ ad duo sunt vtiles, nempe ad diuisionem generū, & cōstitutionem specierum. Diuidunt enim genus, & species cōstituunt: vnde & diuisiuæ generū vocantur, & cōstitutiuę specierū. Vt (verbi gratia) rationale & irrationale diuidūt animal, cōstituunt autem sub ipso species, illud quidem hominē, hoc verò brutū. Ad eundū modū sensibile & insensibile diuidunt corpus animatum, sed constituūt sub eo duas species animal & plantam: atq; ita in reliquis facilè est cōsyderare. Quomodo autem diximus differentias istas conducere ad speciei constitutionem, ita etiam dicimus eas ad diffiniendam speciem conducere. Definitur enim species per genus & differentiā, quæ sunt tota eius essentia. Est enim homo, animal rationale: brutū animal irrationale: animal, corpus animatū sensibile corpus, substātia corporea: spiritus, incorporea substātia, & ita in alijs. Insuper & hoc est notādum, quòd generalissima genera differentias habent tantum diuisiuas, non autē constitutiuas: species verò specialissimæ, cōstitutiuas habēt, nō diuisiuas. Quæ verò intermedia sunt subalterna genera, differētias habent & diuisiuas & cōstitutiuas: diuisiuas quidē, per quas in inferiores species diuidūtur, cōstitutiuas autē, ex quibus cum superioribus generibus essentialiter cōstituuntur. Generalissimum enim cùm sit primū genus, non habet constitutiuam differētiam. Alioqui primū genus non esset, sed oporteret aliud aliquod genus esse ipso superius, quod per hāc differētiā contraheretur ad eius cōpositionem. Specialissimū verò cùm sit vltima species, nō potest habere alias diuisiuas differētias. Alioqui oporteret post ipsam esse alias species inferiores, quæ ex his differētiis cum illis speciebus constituerentur. Sunt autē hæc planè absurda & impossibilia. De intermediis autē generibus monstratum est, nihil sequi incōmodi, si & constitutiuas habeant & diuisiuas differen

rentias. Imò necessarium simpliciter est intermediis generibus, vt vtrasq; habeant. Attamen illud notandum est, licet omnia intermedia habeant & diuisiuas & constitutiuas differentias, non posse tamen fieri vt eadē differentia, eiusdem speciei sit diuisiua, & cōstitutiua. Impossibile enim est eandē differentiam esse huius speciei constitutiuam, & simul eiusdem speciei esse diuisiuam, sed necessariū est, si huius sit generis diuisiua, vt inferioris speciei sit ei constitutiua, & si huius speciei sit cōstitutiua, necesse est superioris generis eam esse diuisiuam. Vt (verbi gratia) rationale est hominis cōstitutiua differentia, atque idcirco est generis superioris (nempe animalis) diuisiua differentia: & sensibile diuisiua est differentia, corporis animati, atq; idcirco est cōstitutiua subiectæ speciei, scilicet animalis. Necesse tamen est, omnem differentiam diuisiuam esse constitutiuam & econtrario: verùm respectu diuersorum, nimirum diuisiuam superioris generis, & constitutiuam inferioris speciei.

Specificam differentiam dici dupliciter. CAP. XVII.

SCIENDVM quoque est, differentiam specificam dici dupliciter. Cùm enim specifica dicatur, quæ facit speciem, species verò dicatur dupliciter, videtur etiam specifica differentia hac ratione dupliciter accipi. Primum enim à specie subiicibili dicitur, quæ videlicet speciem subiicibilem constituit sub certo genere. Atque ita hactenus specificam differentiam appellauimus: estque hoc modo omnis differentia magis propria, specifica differentia: neque inconueniens est, eandem differentiam specificam simul & genericam esse, etiam respectu eiusdem, quemadmodum idem hoc modo potest esse species & genus.

Nonnunquam tamen specificam differentiam accipimus strictius à specie specialissima: pro ea videlicet differentia, quæ speciem specialissimam constituit, quemadmodum est rationale. Atq; ita contra genericam distinguitur. Non enim potest eadem differentia generica esse, id est, generis constitutiua, & simul specifica, id est, speciei specialissimæ cōstitutiua, neq; respectu vnius, neq; respectu diuersorum. Vna enim differentia non potest nisi vnum constituere, siue genus illud sit, siue species: ita vt si cōstituat specialissimam speciem, non possit constituere genus: & si genus, non possit talem efficere speciem.

Ponuntur definitiones differentiæ magis propriæ.

CAPVT XVIII.

DEFINITVR autem differentia ista magis propria pluribus definitionibus. Primum quidem sic:

Prima definitio differentiæ.

Differentia est, qua abundat species à genere.

Id est, secundum quam species, essentialiter plus habet, & (vt ita loquar) ditior est quàm suum genus. Nam species homo, quia essentialiter in se includit rationale, vtpote partem suæ essentiæ, supra animal: ipsum verò genus animal in se non essentialiter includit rationale (aduenit enim ei quasi per accidentis modum) idcirco per eam speciem homo abundat, estque ditior supra genus animal. Sic animal abundat supra genus suum corpus animatum, per differentiam sensibile, & ita in reliquis omnibus. Quicquid enim habet genus, habet etiam generis ipsius species, & vltra totum hoc habet species differētiam in se, vt essentialem sui partem, quam sic non habet genus. Vnde consequitur per differentiā omnem constitutiuam, speciem abundare præ suo genere.

Altera definitio est:

Secūda definitio differentiæ.

Differentia est, quæ diuidit ea quæ sub eodem genere posita sunt.

Hoc est, quę species sub eodē genere positas ab inuicē secat, disiungit ac separat, essentiali distinctione. Atq; id quomodo fiat, in præcedentibus dictū est manifestius. Veruntamen hæ definitiones non videntur explicare rationē vniuersalis, neq; differentiam describūt secundum rationē prædicabilis. Oportet ergo aliā subiungere, quæ differentiā rectè definiat secūdū rationē huiusmodi, quatenus videlicet tertiū prædicabile est, & vniuersalis tertia species. Ea est hęc:

Tertia definitio differentiæ.

Differentia est, quæ de pluribus & specie differentibus, in eo quod quale est prædicatur.

Hoc est, vniuersale eiusmodi quod de multis siue specie, siue numero differētibus prædicari natū est, ad interrogationem factā de re qualis ipsa sit, qualis (inquam) essentialiter, non accidentaliter. Quomodo enim suprà dictū est, genus conuenienter responderi ad interrogationē quid est, factam de specie, & item speciem ad interrogationē quid est, de indiui

diuiduo: sic interroganti de indiuiduo vel de specie, quale quid sit (essentialiter intelligendo) responderi potest, & debet differentia. Si enim interrogaueris, quale animal sit homo? respondebitur proculdubio rationale. Aut si simpliciter interrogetur: qualis est homo secundum essentiam? respondebitur, rationalis est. Diximus autem in definitione, de pluribus specie differentibus: quoniam solum datur definitio de differentiis genericis, nisi quis adiiciat, vel numero, quod Porphyrij exemplis in veritate non repugnat. Ratio autē quare differentia prædicatur in eo quod quale est, & quare ad huiusmodi interrogationem aptè respōdeatur, est, quoniam (vt diximus) differentia rationem habet formæ, & est essentialis quædam qualitas: propter quod etiā à Philosophis rationalitas ipsa qualitas rationalis nūcupatur: secundū quem etiā modum ipsam animalis naturam possumus appellare quidditatē hominis. Rectè autem adiectū est, in eo quod quale est essentialiter, vt excluderētur à definitione, differentiæ cōmunis & propria, quæ licet in quale prædicētur de suis subiectis, non tamen nisi in quale accidentaliter, quēadmodum in consequentibus declarabitur.

De quatuor acceptionibus proprij.

CAP. XIX.

QVARTAM vniuersalis speciem assignant proprium, cuius etiam quatuor ponunt modos.

Proprium primo modo est, quod accidit soli, alicui speciei, sed non omni.

Proprium primo modo.

Hoc est, quod quantū ad aliquam speciem soli illi conuenit, ita vt nulli extra eam, sed nō omni, tamen eius speciei indiuiduo. Vt grammaticū esse aut prudentem, soli conuenit humanæ speciei, nō tamen omnes homines huiusmodi sunt. Sic proprium est homini, per fidem Deum cognoscere, & ratione Deum colere, veruntamen non omnes id faciunt.

Secundo modo proprium dicitur, quod omni, & non soli accidit.

Proprium secūdo modo.

Hoc est, quod alicuius speciei omni quidē indiuiduo conuenit, attamē nō illi soli speciei cōuenit, neq; ei est peculiare, sed etiā extra eā in aliis potest inueniri. Vt homini duos habere pedes, aut duos oculos. Nam hæc etiā extra humanam

nam ſpeciem licet inuenire, in aliis animantibus. Sic ſupernæ beatitudinis capacem eſſe, omni quidem homini conuenit, ſed non ſoli humanæ ſpeciei. Nam & angelicæ naturæ id cum homine commune eſt.

Proprium tertio modo.

Tertio modo proprium dicitur, quod omni ſoli, & aliquando accidit.

Hoc eſt, quod conuenit quidē ſoli alicui ſpeciei, & inſuper omni illius ſpeciei indiuiduo, ſed certo tantum ac definito tempore, non tamen ſemper. Vt caneſcere, ſoli humanæ ſpeciei conuenit: ſecundum proprietatem loquendo, & omni homini conuenit: ſed tantum in ſenectutis tempore, ita vt qui ad tempus illud attigerint, caneſcant. Ita & augeri conuenit omni, viuenti, & ſoli viuenti, verùm non ſemper: ſed vſque dum in perfectum robur & ſtaturam excreuerit, ſimiliter & diminui decreſcente robore.

Proprium quarto modo.

Quarto autem modo proprium dicimus quod omni, ſoli, & ſemper accidit.

Hoc eſt, quod conuenit alicuius ſpeciei omni indiuiduo, & ſoli ſpeciei, atq; etiam ſemper, non aliquo tantum determinato tēpore. Vt homini omni, & ſoli, & ſemper conuenit eſſe riſibilem & flebilem, id eſt, natū ridere & flere: ſic omni homini, & ſoli, & ſemper conuenit per exteriorem inſtructionem eſſe ſuſceptiuum diſciplinæ. Cùm autē propria huiuſmodi aſſignantur, proponi debent non ſecūdum actum, ſed ſecundum aptitudinem. Non enim ridere propriū eſt homini quarto modo, cùm nō ſemper homini cōueniat actu ridere, ſed riſibile propriū eſt huius quod potentiā quandā, id eſt, naturalem aptitudinem & propenſionē ſignificat ad ridendum. Sic non omnes homines diſciplinam ſuſcipiūt, imò quidā nec poſſe videntur: quemadmodū motiones furioſi, & donec abſque ratione ſunt pueri, idque propter defectū vſus rationis, & inſtrumētorum interiorum indiſpoſitionem, & organorum inhabilitatem. Quotquot tamē homines ſunt, ex naturali aptitudine diſciplinæ ſunt ſuſceptibiles.

Quomodo proprij natura fluat ex coniunctione differentiæ cum genere. CAPVT XX.

*** AD intelligendam autem plenius naturā proprij, ſciendū eſt huiuſmodi propria quarto modo ſignificare natura

turales quasdã proprietates seu aptitudines ad aliquid, quas etiam nonnulli proprias passiones vocare solẽt, aut naturales propensiones & inclinationes: quæ sanè propensiones, & inclinationes naturales, totam aliquam speciem consequuntur, vtpote naturaliter & necessariò effluẽtes ab ipsa rei essentia, sic tamen vt essentiæ sint extrinsecæ, neq; pars sint eius, sed tantum ab ea necessario effluant ac procedant.

Effluunt autẽ non à genere tantũ, neq; à differentia tantũ, sed à genere simul & differentia, ad eiusdem speciei cõpositionem coniunctis. Vt (verbi gratia) ex animali rationali, id est, ex natura animalis cum rationali qualitate coniũcta, & per eam contracta, ad humanæ speciei cõpositionem, effluit ac naturaliter necessarioq; procedit naturalis quædam propensio siue aptitudo, siue inclinatio ad capiendũ per ratiocinationẽ & instructionẽ disciplinam: similiter ad ridendum ex consideratione rei iucundæ, similiterq; ad flendũ in cõtemplatione rei tristioris. Huiusmodi autem naturales propensiones, quoniam adæquatè effluunt ex principiis intrinsecis speciei, id est, ex genere & differentia simul compositis, quæ (vt diximus) tota sunt speciei essentia, hinc fit, vt totã speciem consequantur, sintq; ex æquo in omnibus indiuiduis speciei, è cuius essentia fluunt. Neq; minus est quælibet naturalis propẽsio in eo indiuiduo, quod nũquam fortè actum habuit, aut habebit illius inclinationis, quàm sit in alio indiuiduo quod frequenter admodũ eundẽ actum habet: vt non est minus susceptibilis disciplinæ morio aut amens, quàm alius quilibet ex iis qui sunt præstantissimi discipuli. Neq; minus erat risibilis ille quẽ ferunt omnia fleuisse Heraclytus, quàm fuerit alius ille omnia ridens Democritus. Neq; sunt cachinnones, hominibus terricis magis risibiles, dum secundũ proprietatẽ loquimur. Ipsa enim naturalis passio siue propẽsio, in omnibus est æqualiter. Proniores tamẽ ad risum sunt & in actũ frequentius exeunt alij aliis secũdũ dispositionẽ variã organorũ, quibus huiusmodi actus exercẽtur: vt in illis in quibus est splen maioris petulantiæ, facilius risus & cachinni excitantur, in illis autẽ qui sunt splene duriori, difficilius. Sic qui cerebrũ habent rectè dispositum, & vires internas bene habiles, hi disciplinã citius & facilius capiunt illis, qui eiusmodi organa habẽt per vllũ excessum aut disproportionem, vel omnino mala vel non ita feliciter

dispo

disposita. Omnes tamen homines ex æquo risibiles sunt & disciplinæ susceptibiles, quemadmodũ omnes ex æquo animalia rationalia sunt, tametsi non æqualiter omnibus adsit rationis vsus. Patet ergo quemadmodum huiusmodi naturales propensiones totam speciem consequãtur, à cuius principiis effluũt, ac proinde omnibus ipsius individuis sunt cõmunes. Sed & solis eiusdem speciei individuis cõueniant necesse est. Cùm enim essentialia principia speciei sint tota atque adæquata causa & velut fontalis origo, à qua effluunt, vt effectus à sua causa adequata, fieri nõ potest, vt alicubi inueniantur extra illam speciem. Sine causa enim sua esse non possunt, à qua necessariò habẽt semper effluere. Essent autẽ sine sua causa, si extra speciem inueniri possent, cuius essentiam cõsequuntur. Similiter & ex his manifestũ est, quomodo semper cõueniant propria suis speciebus. Si enim semper & necessariò effluũt hæ naturales propẽsiones ex specierum essentiis, necesse est, vt vocabula quoq; has propensiones significantia semper & necessariò de ipsis speciebus dicantur.

Definitio proprij, vt est quartum prædicabile.

CAPVT XXI.

QVONIAM verò (vt diximus) propriũ huiusmodi quarto modo quarta solet poni vniuersalis species, & quartum prædicabile: iustum est, vt huic quoq; secundum rationem prædicabilis atq; vniuersalis definitionẽ assignemus, sicuti hactenus tribus præcedẽtibus similes dedimus ex modo prædicandi definitiones. Sic autem definitur.

Definitio proprij.

Proprium est, quod prædicatur de pluribus in quale accidentaliter & necessariò.

Hoc est vniuersale eiusmodi, quod de multis, siue specie, siue numero differẽtibus prædicatur, in eo quod quale quid est, accidentaliter, necessariò tamen, hoc est, ad interrogationem factam de re, hoc modo, qualis est, accidentaliter, & necessariò. Vbi cùm dicimus, in quale, excluduntur genus & species: quæ in eo quod quid, non in quale prædicantur. Cùm verò dicitur in quale accidentaliter, differentia excluditur, quæ in eo quod quale quid est respondetur, sed quale essentialiter non accidentaliter. Non enim homo accidentaliter rationalis est, sed essentialiter: cũ sit rationalis qualitas pars ipsius essentialis. Cùm verò additur postremo loco,

neces

necessariò tamen, ab accidente disiungitur proprium, quod (vt in sequentibus dicetur) prædicatur quidem in eo quod quale est, non tamen in quale necessariò, sed tantùm contingenter. Neque enim necessariò est homo doctus, vel bonus, vel magnus, vel albus. Est tamen necessariò disciplinæ susceptibilis, & risibilis, atque flebilis.

Sciendum autem est, non solas specialissimas species habere huiusmodi propria, sed etiam subalternas, omnes videlicet quæ ex genere componuntur superiori & contrahente differentia. Vnde & animali assignamus proprium, sensitiuum esse: vt significet aptitudinem, & naturalem inclinationem ad sentiendum: corporis animati sunt propria, nutribile, augmentabile, minuibile: corporis verò, mobile. Vnde quemadmodum suprà distinximus differentias, quasdam genericas, quasdam specificas, sic non incommodè distinguere licebat propria quædam generica, quæ videlicet consequuntur genericam naturam: quædam verò specifica, quæ naturam consequuntur specialissimæ speciei. *Propria generica, & specifica.*

Nequaquam tamen aliam differentię diuisionem, in diuisiuam & constitutiuam, proprio accommodare valebimus. Nam tametsi vtcunque diuidere possint propria, constituere tamen nequaquam possunt vllam speciem. Nō enim sunt aut esse possunt speciei pars essentialis. Nihil autē rem constituere potest, quod non sit pars essentialis ipsius compositi. Et hæc quidem de proprio dicta sint satis. Nunc ad vltimam vniuersalis speciem pergamus.

De accidente. CAP. XXII.

DE accidente autem, quæ est vniuersalis quinta species & quintū prædicabile, pauca iam in prioribus dicta sunt, cùm de differentia communi & propria fieret sermo. Distinximus enim illo in loco, quid accidens separabile, quidq; inseparabile: quapropter harum rerum repetitione, nihil erit opus. Sat nobis erit naturam huius quoque quinti vniuersalis, & eius prædicandi modum declarare.

Definitur autem accidens à Porphyrio pluribus definitionibus, quarum prima hæc est.

Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem. *Prima definitio accidentis.*

Hoc est, quod suo subiecto, cui inest, nō necessariò inest, sed etiam

etiam abesse potest,& ab eo separari,sic vt propter hoc non sit necesse interire subiectũ cui prius inerat. Exempli gratia, albedo accidens est corporis eius quod habet albedinẽ:quoniam licet insit,nõ inest tamen ei necessariò,sed contingenter, ita vt possit non inesse, permanente nihilominus subiecto,& absq; eius interitu à quo abscedit. Potest enim corpus quod modo albũ est,fieri nigrum,neq; ob hoc læsionem vllam patietur corpus. Similiter homini virtus, atq; doctrina est accidens:quoniam etsi nũc insit,potest tamen fieri vt aliquando eam deperdat homo ille, fiatq; vacuus & doctrina, & virtute:neque propter hoc desinet esse quod fuerat.

Idẽ quoq; sibi vult altera accidẽtis definitio,quæ talis est:

Secũda definitio accidentis.

Accidens est,quod contingit inesse & non inesse eidem.

Intellige ex priori,præter subiecti corruptionem. Hæ autem duæ definitiones, de rebus potius quàm de vocibus videntur intelligendæ , nisi impropriè admodum accipiatur adesse & inesse pro prædicari:abesse verò & non inesse, pro non prædicari. Sed hac inuentione nihil est opus,cùm (vt in initio huius libri declarauimus, & totius docuit rei processus) passim liceat fieri nunc de vocibus significãtibus, nunc de rebus significatis, sermonem. Neque difficile est iis quibus quicquam est ingenij,ea quæ de rebus dicuntur suo modo ad voces res eiusmodi significantes referre , & econtrario,quæ de vocibus significantibus, suo modo ad res significatas accommodare.

Definitur etiã accidẽs per abnegationẽ quatuor aliorum prædicabilium iam suprà determinatorum ad hunc modũ:

Tertia definitio accidentis.

Accidens est, quod neque est genus, neq; species, neque differentia,neque proprium,semper autem est in subiecto subsistens.

Quæ sanè definitio, pro hoc loco nõ est omnino incommoda,eo quòd iam explicata sint sufficiẽter quatuor prædicta. Et necesse est,omne vniuersale quod neq; genus est, neque species,neq; differentia,neque proprium, esse accidens: posteaquàm cõstat, omne vniuersale horũ quinque aliquod esse debere. Veruntamen non æquè bona fuisset hæc descriptio,si ante hũc locum,vllum aliorum prædicabilium simili

mili modo fuisset descriptū. Nam si initio statim libri definiuisses genus esse, quod nō est species, neq; differentia, neq; propriū, neq; accidens, non fuisset probanda huiusmodi descriptio, eo quòd nondum nota fuissent, quæ in definitione ponuntur. Nunc verò, dum præcedētes quatuor species explanatæ sunt, nō malè nec obscurè vltima per priorū abnegationem definitur: atq; id similiter licebit, vbicunq; plures sunt species sub eodē genere, in numero determinato: præter vnā omnibus definitis vltimam tandē per priorū abnegationem describere. Vltima verò particula: semper autē est in subiecto subsistens, adiicitur nō ad aliquam necessitatem, sed propter naturæ accidentis manifestationem. Tanto enim est descriptio siue definitio melior, quanto melius ac plenius naturam exprimit eius quod definitur vel describitur. Est autem hoc de natura accidentis, quòd quādiu est, in suo subiecto subsistit. Quanquam enim (vt iam dictum est) possit accidens à subiecto abesse absq; corruptione subiecti, vt accidente perdito, in sua nihilominus subsistentia subiectum permaneat: non est tamen secundum naturam possibile, vt accidens separetur à subiecto, sic vt permaneat in rerū natura. Non solum enim nō potest accidens ab omni subiecto separatum subsistere, sed nec potest extra subiectum particulare cui semel infuerit, existere: ita vt nec migrare possit de subiecto alio in aliud. Cùm enim (iuxta Physicorū sententiam) accidentis esse sit inesse, necesse est, vt quandiu est, in subiecto cui inest, debeat permanere. Secundū verò rationem vniuersalis quatenus quintum prædicabile est, ita potest accidens definiri.

Accidens est vniuersale, quod de pluribus contingenter natum est prædicari. Quarta diffinitio accidētis.

Hoc est, nō essentialiter quidē, neq; etiam necessariò, sed tantùm cōtingenter, ita vt possit etiam de eo verè abnegari. Sic sanè doctum esse aut bonū, de multis prædicatur. Cōplures enim reperiuntur viri, & boni, & eruditi: de nullo tamen ista prædicantur essentialiter, imò neq; necessariò: sed de quibuscūq; prædicantur, de illis cōtingenter prędicātur, sic videlicet, vt possit etiā de illis abnegari. De quocunque enim verè iam dicimus, quòd probus sit aut doctus, de eodē fieri potest vt dicamus aliquando, iam probus non est, neq;

doctus. Atq; hac vna particula differt accidēs à quatuor reliquis, genere, specie, differentia, ac proprio. Nullū enim horum prædicatur contingenter, sed proprium necessariò: differentia autem non tantum necessariò, sed essentialiter etiā prædicatur: similiter quoq; genus & species.

De accidentibus, diuersis separabilibus, & inseparabilibus.

CAP. XXIII.

*** DIXIMVS autem in prioribus de differentia tractatis, accidentia quædā esse separabilia, quędā inseparabilia, quæ ibi latius explicata sufficiant. Hoc autem in loco adiiciendum nobis est, ad pleniorem accidentis notitiam, etiam inter inseparabilia accidentia esse quandam differentiā, nequaquam silentio pertranseundā. Sunt enim inseparabilia accidentia quædā singularia siue particularia, quæ videlicet vni insunt indiuiduo, nō alteri eiusdem speciei. Huiusmodi sunt, cicatrix post sanatum vulnus relicta, oculorum color cæsius aut albus, atq; id genus alia. Sunt enim hęc inseparabilia accidentia, particularia tamen sunt, vtpote vni indiuiduo conuenientia, non similiter alteri. Alia verò sunt quæ toti alicui speciei cōueniunt, & omnibus eius indiuiduis. Vt coruo nigredo cōuenit secundum totam speciem, & cygno albedo, ita vt vel omnino non, vel vix reperiatur coruus nisi niger, neq; cygnus nisi albus, potissimum vbi tempus aduenerit, quo solent hūc sibi colorem acquirere. Verùm id forsitan parum videatur, cùm legamus pullos coruorum non statim nigras pennas accipere, neq; cygnorū albas. Nōnulli quoq; visos aliquando albos coruos asserunt. Illud vt minimum, quantum ad huiusmodi, constat: quod licet sic videamus coruos omnes fieri colore nigros, & cygnos albos, non appparere tamen vllam necessitatem ex parte speciei, quæ videatur expostulare huiusmodi accidens. Magis verò mirandū est in hominibus, atq; adeò in omnibus animalibus, de potentiis quibusdā naturalibus, sine quibus nemo hominū, imò nullum animaliū possibile est subsistere. Huiusmodi sunt, sensus tactus, quem Aristot. attestatur omni animali esse necessariū, ita vt sine eo nō possit subsistere, ipsoq; abla to necesse sit mox animal corrumpi. Similiter & nutritiua potentia. Sicut enim idem author testatur, necesse est omne viuens quandiu viuat nutriri. Simile est de naturali calore (qui hominem non potest priusquam diem clauserit extremum

Quæstio.

mũ deſerere) & vitali operatione, cordisq; pulſione, & ſpirituum agitatione, quæ omnia animali cuilibet adeſſe experimur, donec ſubſiſtit: nunquam verò abeſſe contingit, niſi cũ ſubiecti corruptione. Cõſtat tamen, hæc omnia nõ aliud quàm accidentia eſſe. Nam potentiæ illæ naturales, manifeſtè ſub ſecunda qualitatis ſpecie abſq; hæſitatione cõſtituuntur: ab omnibus philoſophantibus. Cætera quoq; aut qualitates ſunt, aut actiones quædam: quæ omnia eſſe accidentia nemo poteſt negare. Ex his ergo dubitatio ſatis perplexa oritur, quinam fieri poſsit, vt hæc ſint accidentia, cũ tamen videantur neceſſariò ſuo ineſſe ſubiecto, non cõtingẽter, cùm nõ poſsint abeſſe ſuis ſubiectis abſq; eorum corruptione. Accidens verò ſuprà definitũ eſt, quod abeſſe poteſt, & quod cõtingit nõ ineſſe, abſq; ſubiecti iniuria & corruptione. Quomodo autẽ ſine ſubiecti corruptione poteſt abeſſe, quod vbi primum abſceſſerit extinctúmq; fuerit in ſubiecto, ſtatim corrumpi facit ſubiectũ cui inerat? Huic autem quæſtioni reſponderi poteſt, ex ſublimiori cõſideratione & diligenti inſpectione horum accidentiũ, & earum quæ ſuprapoſitæ ſunt naturalium proprietatum. Naturales enim illas inclinationes ex natura & eſſentia ſpeciei diximus effluere, atq; ex compoſitione generis cum differentia neceſſario efluxu prodire. Hæc autem accidentia quę dicta ſunt, quantumcunq; videantur ad rei ſubſiſtẽtiam neceſſaria, non tamen fluunt à principiis eſſentialibus ſpeciei. Alioqui, vnus eſſet idemque tactus in omnibus hominibus, non multi, neq; diuerſi in diuerſis: ſicut eadem omnino eſt ſpecifica natura, & eadẽ eius principia eſſentialia in omnibus, nõ in diuerſis indiuiduis diuerſa: & ſicut eadẽ eſt in omnibus hominibus riſibilitas, aut in omnibus animalibus ad ſentiendũ naturalis aptitudo. Similiter quoq; dicendũ de aliis, quæ ſuprà fuerant aſsignata. Cùm ergo hæc non fluant ab ipſa natura ſpeciei, neq; ab ipſius eſſentia, conſequitur etiã hoc, quòd non neceſſario debeant ſubiectis adeſſe, poſsintq; abeſſe ſuis ſubiectis abſq; eorum corruptione, quantum eſt ex parte naturę ſpeciei: quemadmodum coruo, quantum ex parte ſpecificæ naturæ, non eſt neceſſarius color niger, neq; cygno albus. Sic quælibet accidentia prædicta, quantum ex parte ipſius naturæ ſpecificæ hominis, abeſſe poſſunt. Vt enim Petrũ intelligam ſub hominis ratione, nõ opus eſt co-

Solutio.

gitare quòd vllum sensum habeat: sed sufficit, quòd ipsum vt animal rationalis naturæ considerẽ. Iam si quis obiiciat, sic etiam proprium abesse posse, & rem posse intelligi absq; naturali sua proprietate. Respõdebitur, sine iniuria specificæ naturæ proprietatem naturalẽ nõ posse intelligi absentẽ indiuiduo. Velut qui hominẽ intelligit vt non risibilem aut nõ disciplinæ susceptibilẽ, sine specificę naturæ iniuria id nõ facit. Cùm enim ex ipsius essentialibus principiis effluat naturaliter & necessariò risibilitas disciplinæq; susceptibilitas, fieri non potest, vt absq; specificæ naturæ iniuria, quodcunq; hominis indiuiduum imaginemur subsistere, & simul ipsum non esse risibile aut disciplinæ susceptiuum. Includit enim hæc imaginatio manifestam repugnantiam specificæ naturæ hominis, eò quòd in specie includatur propriũ, tanquã ab ipsius essentia necessario & naturali fluxu effluens, ipsaq; in se susciperet à suis intrinsecis principiis effluens. Cæterũ, si intelligã Petrũ vt nõ habentem qualitatẽ aliquã huiusmodi quę tactus nominetur, aut vt nõ habẽtẽ qualitatẽ calorẽ, aut cordis actualẽ pulsionẽ, nulla in hoc est repugnantia aut iniuria hominis specificę naturæ: quemadmodũ cum cygnum imaginor nigrũ, nulla fit specificæ naturæ iniuria. Quantũ enim ad naturam specificam, cygno perinde est, siue colorem habeat nigrum siue album. Quòd si quis roget, vnde ergo hæc necessitas, vt secundũ rei veritatem non possit subsistere animal, absq; sensu tactus & cæteris? Si enim naturæ specificæ nõ repugnat, quid ergo prohibet, vt fieri id nunquam videamus, imò neq; fieri possit? Huius rei causam (quoniã in physicis requirere magis oportebat) breuiter assignantes, dicimus, quòd ex parte formæ substãtialis prouenit, & vnione corporis cũ anima rationali: quæ duo adinuicem vnita permanere non possunt, nisi quandiu certa quædam harmonia, consensus atque proportio qualitatũ in materia perdurat, quam sanè proportionem, sensus tactus consequitur: qua etiam proportione dissoluta anima vltrà nõ potest materiam informare, sicq; subiectum cogitur deficere, & simul cum huius harmoniæ dissolutione perit sensus tactus. Similiter ferè, & de aliis suprapositis, & si quæ sunt similia, dicendum, quòd ob hoc non possint à subiecto separari, quia absque illorum inexistentia non potest forma substantialis permanere in materia. Sed altius ista

Solutio ob iectionis circa prædicta.

for

fortasse ac latius cuiquã dicta videbuntur, quàm Dialecticæ patitur consideratio. Nos tamen ad plenam horũ quinque prædicabilium cognitionem ea arbitramur non minimum habere momenti, apud illos potissimum, qui diligenti curiositate harum rerũ naturam ac proprietatem exactius voluerint penetrare, penitúsq; introspicere. Nunc verò ad vniuersalium quinq; differentiam & conuenientiam paucis describendam transeamus.

De conuenientia prædicabilium.

CAP. XXIIII.

VT ergo breuiter ac summatim recapitulemus quæ hactenus dicta sunt, cõueniunt quidẽ in hoc omnia prędicabilia, quòd de pluribus nata sint prædicari, & habere certum aliquod subiicibile, siue potius subiicibilia. Subiicibile enim correlatiuum est prædicabilis: & habet vnumquodq; vniuersale suum subiicibile, vel subiicibilia potius, ad quæ comparatum dicitur vniuersale vel prædicabile. Subiicibile enim generis est species quę sub ipsa ponitur: speciei subiicibile, indiuiduum: differentiæ subiicibile, species quam constituit, & omnia eius indiuidua. Proprij verò, species è cuius natura fluit, & omnia eius speciei indiuidua. Accidentiũ autem subiicibilia sunt, subiecta quibus inhærent. Cùm autẽ ita subiicibilia dicimus, non intelligimus de subiectiõe quæ est secundum prædicamentalem ordinem (sic enim neque differentiæ subiicitur cõstituta species neq; proprio sua species, neq; item accidenti subiectum cui inhæret) sed accipitur secundum prædicationem, quoniam videlicet secundũ prædicationem rectam & ordinatam, vniuersalia de suis subiicibilibus prædicari nata sunt.

De prædicatione ordinata, & inordinata.

CAP. XXV.

Quid sit prædicatio ordinata vel inordinata.

SOLAE autem hæ prædicationes in quibus aliquid quinque prædicabiliũ de suo subiicibili dicitur, à recentioribus ordinatæ nominãtur, & secundũ veritatẽ solæ ordinatæ sunt, quasi in quibus naturalis ordinis correspõdẽtia obseruatur. Cæteræ verò, aut ordinẽ prædictũ perturbantes sunt, aut male cõmutantes, quas proinde inordinatas cõtra ordinẽ appellant, cùm videlicet subiicibile cõtra naturalis ordinis correspondentiã de suo prædicabili dicitur, vtpote species de genere, aut indiuiduũ de specie, aut species vel genus

de differẽtia cõstituente, aut ſpecies de proprio quod ipſam conſequitur, aut ſubiectũ de eo, quod ipſi inhæret accidenti. Vt ſi dicamus, animal eſſe hominem, hominem eſſe Petrum, rationale eſſe hominem, riſibile eſſe hominẽ, & nigrum eſſe cygnũ. Et ſicut cùm ordinata prædicatione genus de ſpecie, aut eius indiuiduis dicitur, prædicationem ſolent vocare primi prædicabilis, id eſt generis, quatenus genus eſt, eã verò quæ eſt ſpeciei ſpecialiſsimę, vocare ſolent prędicationem ſecundi prædicabilis, id eſt, ſpeciei quatenus ſpecies eſt. Differentię autem de ſpecie conſtituta aut ipſius indiuiduis prædicationem, prædicabilis tertij, id eſt, differentiæ quatenus differẽtia eſt, atq; ita & de proprio & accidente proportionabiliter: ſic per contrarium, quoties ordine perturbato ſpecies de genere dicitur, prædicationem rectè vocant inordinatam, contra ordinem prædicabilis primi. Contra enim naturalem generis ordinem eſt, quod ſuæ ſpeciei in prædicatione ſubiiciatur. Cùm verò indiuiduũ de ſpecie dicitur, prædicatio eſt inordinata contra ordinem prædicabilis ſecundi, id eſt, contra naturam ſpeciei, cui magis conuenit ſecundum naturalem ordinem de indiuiduo prædicari, quàm ei ſubiici. Atq; ita proportionabiliter in reliquis. Sic enim in his prædicationibus ordinis eſt perturbatio, & in ordinata ſunt omnia: cùm id quod ſecundũ ſuæ ſignificationis naturam ſubiicibile eſt prædicatur, quod autem prædicabile eſt ſubiicitur: quomodo in regimine agitur, cùm is qui ſeruus natus eſt perturbato naturæ ordine, dominatur: qui verò liber & rex natus eſt, econtrario ſubiicitur. Vt enim hîc regni, ita illic prædicationis eſt perturbatio, contra iuſtum ordinem.

Prædicatio inordinata contra ordinem.

De *prædicationibus identicis, & per accidens.*

CAP. XXVI.

NONNVNQVAM verò prædicationes fiũt quæ dicũtur & ſunt, non cõtra ordinẽ vllius prædicabilis, ſed præter omnem ordinem, hoc eſt, prorſus abſq; ordine. Illę nimirũ, in quibus nec vniuerſale prædicatur de ſuo ſubiicibili, nec econtrario ſubiicibile de ſuo prædicabili. In his enim nullus ordo neq; rectus neque commutatus poteſt inueniri, ita vt etiã ſi vertas extrema, non inuenias tamẽ prædicationẽ ordinatã. Diuiditur autem hæc prædicatio inordinata præter ordinem, in prędicationẽ identicam, per accidens, & extrinſecam.

secam. Prædicatio identica, appellatur, in qua idem prædicatur de seipso. Vt cum dico, Ioannes, est Ioannes, hic homo est hic homo, Marcus est Tullius, Gladius est ensis, hic homo est Ioannes. Nihil enim refert, siue indiuiduum prædicetur de seipso, siue vniuersale. Neq; enim refert si vocabula sint diuersa, modò significatio sit eadem. Huiusmodi prædicationes manifestum est præter ordinem esse: quoniam nullus est ordo rectus eiusdem ad seipsum, quantum ad prædicationē attinet. Prædicatio per accidens dicitur, quādo res per prædicatum significata principaliter non est in re significata per subiectum, nec econtrario, ambo tamen reperiūtur simul in eodem tertio. Verbi gratia, cùm dicimus, album est dulce, manifestum est nec dulcedinem esse in albedine, nec albedinem in dulcedine (quæ sunt res per extrema prædicationis illius principaliter significatæ) sed ambæ simul in eodem tertio inueniuntur, nempe in lacte. Sic per accidens dicimus, calidum esse siccum, frigidum esse humidum. Non enim calor est in siccitate, nec econtrario siccitas in calore, simul tamen in eodem igne inueniuntur. Ita non est humiditas in frigiditate, neque hæc in illa, sed ambæ sunt in eadem aqua. Hæc autem prædicatio, quoniam latè patet, & *** eius cognitio est philosopho admodum necessaria (cuius est vbique ea quæ per se ab iis quæ per accidens diligenter separare) idcirco pauculas ad eius cognitionem hoc in loco regulas dabimus. Prima hæc est. Quando aliquis terminus consertiuus nouem vltimorum prædicamentorum verè prædicatur, de simili termino alterius prædicamenti, ferè est prædicātio per accidens. Vt cū dicimus. Quantū est quale, lineatum est coloratum. Pater est quātus. Filius est eruditus. Grammaticus ambulat. Existens in loco est in tempore. Sedens est vestitus. atq; ita in aliis. Signanter adiecimus fere, particulam diminuentem & subtrahentē aliquid à generalitate regulæ, quoniam interdū cōtingit prædicationem esse ordinatam, & non per accidens, in qua terminus cōcretiuus vnius prædicamenti prædicatur de alio alterius prædicamenti. Vt est in his prædicationibus. Quātum est coloratum. Superficiatum est album. Lineatū est figuratum. Corpulētum est sphæricū, atq; ita in similibus iuxta illorum probabilem sententiam, qui dicūt corporalia accidentia immediate in quantitatibus subiectari, ac mediāte quantitate in

Prædicatio identica.

Prædicatio per accidens.

Prima regula prædicationibus accidens.

substantia. Idem est de his iudicium. Quantum est æquale aut inæquale. Album est simile. Nigrum est dissimile: vbi terminus prædicamenti ad aliquid prædicatur de termino prædicamenti quãtitatis vel qualitatis.

Secunda regula. Secunda regula. Quãdo verè prædicantur de se inuicem diuersa accidentia eiusdem prædicamenti sub diuersis generibus aut speciebus cõtenta, prædicatio ferè est per accidens. Huiusmodi sunt iste: Pater est filius. Dominus est seruus. Durum est coloratum. Album est dulce. Flauum est amarum. Lineatum est numeratũ. Percutiens est intelligens. Vestitus est armatus, & aliæ consimiles. In singulis enim, subiectum & prædicatum sunt eiusdem prædicamẽti sed sub diuersis sunt generibus. Pater & filius, ambo sub ad aliquid sunt, sed Pater est ad aliquid superpositionis, filius ad aliquid suppositionis. Idem est de domino & seruo. Durum & coloratum, ambo sub qualitate sunt, sed durum sub secunda specie, coloratum, sub tertia. Ita in cæteris. Signanter adiecta est excipiens particula, ferè, quoniam interdum regula, instãtiam patitur. Vt cùm dicimus, Corporale est superficiatum, superficies est lineata, secundum eorum sententiam qui dicunt superficiem esse in corporea quantitate vt accidens in subiecto, & lineam similiter in superficie. Verùm harum rerum plenior cognitio, ex prædicamentis pendet.

Tertia regula. Tertia regula. Quandocunque verè vna differentia vniuersalis prædicatur de alia item vniuersali, aut proprium vniuersale de alio simili, prædicatio est per accidens. Exempli gratia. Hæ sunt per accidẽs prædicationes, Rationale est sensibile. Sensibile est animatum. Animatum est corporeum. In quibus prædicantur differentiæ communes de se inuicem. Similiter & hæc: Risibile est flebile. Risibile est capax disciplinæ. Rudibile est portatiuum onerum, Mugibile est natum lac dare. Risibile est mobile secundũ locũ. Huius regulæ ratio est, quoniã vna natura differentialis nunquam est in alia, cùm sit natura differentialis (vt suprà declaratum est) omnino simplex & incomposita. Idem consequitur & de natura proprij, quòd vnum non sit in alio, sed simul insunt eidem naturæ specificæ à qua effluunt, vt supra dictum est.

Signanter autẽ dictum est in regula. Quando differentia cõmunis prædicatur de differentia simili, aut propriũ commune de simili: quoniam (iuxta cõmunẽ multorum sententiam)

tiam)quoties differentia communis prædicatur de suo indiuiduo proprio,est prædicatio ordinata,& secundi prædicabilis.Item & quando proprium commune prędicatur de suo indiuiduo.Vt cùm sic dicitur:Hoc rationale est rationale, hoc sensibile est sensibile,hoc susceptiuũ disciplinæ est susceptiuum disciplinæ.Dicunt enim,omnẽ differentiam vniuersalem in comparatione ad suum propriũ indiuiduum, esse speciem specialissimam,& speciem prædicabilem, similiter & de proprio vniuersali dicunt respectu sui indiuidui.

De prædicatione extrinseca. CAPVT XXVII.

» PRAEDICATIO extrinseca est quando res principaliter *Prædicatio extrinseca.*
» significata per prædicatũ,nõ est in re ipsa per subiectum
» significata,nec ecõtrario,nec ambo sunt in vno tertio,dicũ
» tur tamen de se inuicẽ propter certã aliquam habitudinem rerum significatarũ adinuicem.Vt hæ sunt extrinsecæ:Color videtur.Sonus auditur.Odor odoratur.Calor aut frigus tãgitur.Lapis intelligitur.Cœlũ cõsideratur.Manifestũ est enim quòd visio,auditio,odoratio,tactio,intellectio, & cõsideratio nõ sunt in rebus visis,auditis &c.Sed in ipso homine,qui videt & intelligit.Est autem quædã specialis habitudo coloris ad visum & visionem,soni ad auditionẽ, odoris ad odorationem,qualitatis tãgibilis ad tactionem,rei intellectæ ad intellectionẽ,nimirum habitudo obiecti ad actum, qui est circa ipsum vel de ipso.Atq; ob hanc habitudinẽ sic de se inuicẽ dicuntur,non ratione mutuę inexistentiæ. Huiusmodi dicũtur esse omnes prædicationes,in quibus prædicãtur termini,qui à Dialecticis appellãtur secũdæ intentionis,aut impositionis,de terminis primę impositionis:cuiusmodi sunt penè omnia,quæ definiũtur in scientiis sermocinalibus,Grãmatica,Rhetorica,Dialectica.Vt cùm dicimus, Ioannes est nomẽ.Amo est verbum.Amans est participium. Homo currit est propositio.Animal est genus.Homo est species.Petrus est indiuiduum.Homo est secunda substãtia.Petrus est prima substantia.Et quia hoc in loco opportunè se *** nobis offert commoda occasio de terminis primæ & secũdæ intentionis siue impositionis tractandi, operæpræciũ nobis visum est eorum differentiam hic proferre,idque nõ nisi ex sententia Seuerini Boëtij inter cõmentatores Aristotelis fidelissimi.Cuius hæc est super ea re sentẽtia, primũ omniũ *Termini primæ & secũdæ intentionis.* rebus ipsis singulis ad arbitrium imponentiũ fuisse impos-

ta nomina: vt substantiæ quæ est homo, suum est nomen assignatum, & illi quæ est equus suum item peculiare quo appellaretur vocabulum. Ipsis quoque rerum accidentibus, quæ & ipsæ res sunt accidentales, sunt imposita sua nomina: vt accidens illud secundum quod dicitur homo quantus diceretur quantitas: vt qualitas illa, quæ visibilem facit substantiam appellaretur color, atque ita in cæteris: vt operationes quæ substantiis conueniunt, distinctis quoque vocabulis nominarētur, per huiusmodi vocabula, calefacere, frigefacere, agere, pati, percutere, secare, indurare, emollire: item vt habitudo ipsa ex parte rei inter substantiam gignentem & genitam exprimeretur nominibus patris & filij: habitudo imperantis & subditi per nomina domini & serui, atque ita in cæteris omnibus habitudinibus, quæ ex parte rei in ipsis rebus inuenirentur. Hæc proinde omnia dicuntur vocabula primæ intentionis vel impositionis, quoniam

Cur vocabula primæ intentionis dicta.

hæc prima fuit intentio, & hoc primum fuit studium impositoribus, vt rebus ipsis & substantialibus & accidentalibus singulis singula inderent vocabula. Postea verò quàm huic primæ intentioni fuisset satisfactum, & prima illa impositio circa res fuisset perfecta: animaduersum est, inter vocabula illa primæ impositionis, ex parte significationis acceptæ per primam illam impositionem, quædam cum seinuicem conuenire, alia differre, non secundum aliquid ex parte rei existens, sed secundum vim & vsum significationis acceptæ. Animaduersum est, quædam vocabulorum illorum supponi & substerni ex suæ significationis iam acceptæ proprietate, alia verò subtractis & subiectis apponi, omnia nimirum nomina apta esse ad subiiciendum, non per se ad prædicandum, contrà verò verba esse apta ad prædicandum per sese, non ad subiiciendum. Adnimaduersum est, quædam vocabula ex impositis esse generalia valde, & multis etiam speciebus diuersis conuenire, alia non nisi vnius speciei individuis. Hæc ergo fuit

Secunda impositionum intentio.

secunda impositorum intentio & studiū subsequens, ipsis quoque vocabulis iam antè pro arbitrio effictis noua indere vocabula, quæ iam non rerum foris existentium, sed ipsorum tantum vocabulorum, ex parte acceptæ significationis essent nomina siue vocabula. Vnde ex hac secunda intentione, consulto impositores illa vocabula, quæ subiici per se nata sunt, non per se prædicari, nomi-

na

na decreuerunt appellanda: illa autem quæ prædicari de aliis nõ subiici nata sunt, essent verba. Item vt illa vocabula quæ inuenirentur ex accepta significatione de multis speciebus prædicari dicerentur genera: quæ autẽ solũ de singularibus vnius speciei, dicerentur species: ipsa autẽ singularia quę de nullis subiectis possunt prædicari, dicerẽtur indiuidua. Ita in cæteris potest declarari. Ecce habes intẽtionem secũdam, quę posteriorẽ subsequuta est, & quasi è priori enata. Ab illa enim ad hanc profecta est humani animi sagax industria, & præsupponit hæc illã. Hoc scilicet est dici vocabulũ primæ intẽtionis, id est, circa quod ac similia primũ versata est imponentium intẽtio. Hoc est vocabulũ primæ impositionis, quod in illa prima rerum impositione est institutũ ad suam rem significandã. Secundæ autẽ intentionis vocabula sunt, circa quæ non primũ studiũ primáq; attentio & intentio imponẽtium fuit, sed posterius ex prima impositione facta, excitata est impositorum intentio ad ipsa quoq; posterius certæ significationi destinanda. Et hæc sunt impositionis secũdæ vocabula, quæ in ista secunda impositione post primam subsequuta suæ significationi sunt deputata. Hæc est vera & indubitata super prædictis Boëtij sentẽtia, quam nos idcirco prolixius declarauimus, quoniam pulchra est cõsyderatio, sed captu satis difficilis, vt ferè sunt (iuxta prouerbium) difficilia quæ pulchra. Hæc autẽ vocabula secundæ impositionis siue intentionis, nõ significãt res ipsas foris existẽtes, nec substantias, nec eorum realia accidentia, sed tantũ habitudines quasdam & comparationes siue relationes intellectus humani, quas proinde relationes rationis appellare solent: quæ non in ipsis sunt rebus, sed tantũ in intellectu humano. Quod ita euidenter monstratur. Quod enim vox homo dicatur nomen & non verbum, quod vox homo sit species & non genus, quod rationale differentia & nõ propriũ, manifestũ est nõ esse ex parte alicuius rei vel realis proprietatis, in ipsa voce realiter existentis. Nam si nulla omnino circa vocem illam fiat mutatio realis, ex solo arbitrio hominum poterit fieri, vt vox illa homo sit genus & non species: contrà animal fiat species, & non genus: rationale proprium & non differentia: risibile, differentia & non proprium. Videlicet voce intacta & inuariata permanẽte, tantum ex suo arbitrio, homines authoritate præcellentes in lingua Latina

na decernāt vocabula, homo & animal, permutare ex nūc significationē: itē rationale & risibile, vt quod hactenus Latinis significauit animal, post hac significet homo, & ecōtrariò quod hactenus rationale, post hac risibile: proculdubiò ex hac tātum mutatione humani arbitrij sine vlla sui mutatione, iam erit homo genus, animal species, rationale proprium, risibile differentia. Velint quoque homo iam significare, quod hactenus amo significauit, & econtrario statim erit vox homo sine sui reali mutatione verbī, & cōiugabitur per personas homo, homas, homare. Amo autē nomen erit, & declinabitur amo amonis amoni. Patet ergo, quòd nullam realem proprietatē vel accidēs vllum realiter inexistens ipsis rebus significent termini secundæ impositionis.

Ex quo deinde manifesto cōsequio infertur, quod in principio huius capitis diximus, prædicationes illas in quibus prædicātur termini secūdæ impositionis de terminis primæ impositionis esse extrinsecas. Videlicet in prōptu est ratio: quoniā quod per prædicatū significatur, nō est in illo quod per subiectū significatur in ipso, videlicet vocabulo pro quo est in tali prædicatione semper subiecti acceptio. Terminus enim primæ impositionis (vt est regula Dialecticorum) qui subiicitur respectu prædicati, quod est terminus secundæ impositionis, nō illic accipitur pro ipsa re, ad quam significandam ex primaria impositione est impositus, sed pro ipsomet vocabulo, quatenus est significatiuum talis rei.

De differentia quinque prædicabilium secundum modos prædicandi diuersos.

CAPVT XXVIII.

DIFFERENTIA autē quinq; prædicabilium, tametsi ex prædictis satis colligitur, placet tamen hìc breuiter eā repetere. Sciendum itaque est genus & speciem differre secundum subiicibilium diuersitatem, nimirū quòd genus prædicetur de specie differentibus, species verò de solis numero differētibus: cæterùm, ipse prædicādi modus, quo hæc tantū de numero differētibus, illud de differentibus specie prædicatur, idē est, nempe in eo quod quid est, in responsione ad interogatiuum signum quid. In reliquis autē, ex ipso prædicandi modo porissimum accipienda est differētia. Habet enim genus & species aliū modū prædicandi, quàm habeat

beat differentia, alium quàm proprium, alium quàm accidens: differentia item alium habet à genere & specie, itemque à proprio & accidente: faciuntque hi modi prædicandi ordinatas prædicationes diuersi generis. Genus enim & species quoniam ad interrogationem quid est respondentur de subiicibilibus, prædicationes faciunt, quas (licet con ficto, tamen ad rem significandam apto satis vocabulo) vocant Dialectici quidditatiuas. In illis enim, subiecti quidditas, id est, quid sit exprimitur, vt in superioribus factū est di lucidum. Differentia verò non prædicatur quidditatiua prædicatione, quoniā non ad interrogationem quid est respondetur, neque quid res sit exprimit, sed prædicatur in eo quod quale quid est: neque quomodolibet quale, sed essentialiter atque idcirco predicationem essentialem facit & qualitatiuam, vt rebus secundum necessitatem accommodemus apta vocabula. Potestque hæc differētiæ de suo subiicibili prædicatio, essentialiter qualitatiua, vel essentialis & qualitatiua noncupari. Indicat enim de re, qualis essentialiter existat: & essentialem ipsius qualitatem (vt sic Porphyriano more loquamur) assignat. Proprium autem, ne que quidditatiuam facit prædicationem, quoniam non in eo quod quid est prædicatur neque essentialem, quoniam non essentialiter de subiecto prædicatur: qualitatiuam tamen facit, sed accidentalem, id est, non essentialem, necessariam tamen. Vnde prædicatio proprij de suo subiecto, accidentalis & necessaria rectè nuncupabitur, sic accipiendo accidentaliter largè, vt valeat, non essentialiter. Indicat enim propriū, qualis sit res necessariò, & nō essentialiter. Nouissimè autem omnium accidens prædicationem facit contingentē, quoniā videlicet subiecto prædicatū conuenit cōtingenter, ita vt adesse possit, & abesse: prædicari & negari. Indicat enim de re qualis sit contingenter. His verò de prædicabili bus ita determinatis & assignatis per singula, finē huic imponamus tractatui, ad omnipotētis Dei gloriā, qui sua prouidissima æternæ sapientiæ dispositione sic res rerumque naturas aptissimo digessit ordine, vt quicquid de vniuersa rerum natura cogitari possit, id sub quinque vocum determinatione possit comprehendi. Ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

DIA

DIALECTICAE CONSIDERATIONIS LIB. II.

QVI DE PRAEDICAMENTIS INSCRIBITVR.

*

PRAEFATIO.

INFINITAM rerum ab optimo maximoq; Deo, ad ostentationem immensæ potētiæ, sapientiæ, atque bonitatis suę conditarum, varietatem, quoniam sigillatim non potuit humanum ingenium inuestigare atq; pertractare, laboriosa sagacitate infinitatē illam particularium, in pauca aliquot vniuersalia coëgit, sub quibus illa omnia, tam multa, tam varia, tam abinuicem distantia, saltē generatim concluderet, quæ distinctè & sigillatim nequisset comprehendere. Hæc sunt decē illa prima genera, substātia, quātitas, qualitas, ad aliquid, agere, pati, vbi, quādo, situs, & habitus: ad quorū aliquod necesse est redigi, quicquid in creatis rebus, vel substantiale, vel accidētarium posset reperiri. Propter quod & prima vel generalissima genera appellantur, eo quòd ante ipsa nō sint alia priora genera, & ipsis subiiciantur cætera omnia. Dicūtur quoq; Categoriæ, id est prædicamēta, quod ipsa de aliis omnibus generibus & speciebus atq; indiuiduis singula de sibi subiectis prædicentur. De his igitur decem primis generibus vniuersali significatione totam rerum infinitatem complectentibus, in præsenti libro sermo instituitur. In quo Aristotelis Philosophorum facilè principis ordinem atque determinationem præcipuè insequimur, quomodo in præcedēti quinque prædicabilium libro Porphyrij potissimum traditionem pro viribus fuimus insequuti.

Generalissima genera prædicantur.

De triplici acceptione termini prædicamentum.

CAPVT I.

ET primum quidem de Categoriæ, siue prædicamēti vocabulo (ne ignoto nomine quis hæreat) sciēdum est, triplici ipsum significatione vsurpari. Interdū enim generaliter pro vocabulo quolibet, quod dicitur siue prædicatur de alio

alio, sumitur: vt homo, equus, album, nigrum, currere iacere dicantur prædicamenta, & in summa quicquid potest de altero prædicari. In quam ferè significationẽ, vocabulo isto vsus est diuus Grægor. homelia vij. dicens, Ioannem Baptistam ad se venientibus respondisse prædicamẽta vitæ, id est, verba vitæ, verba scilicet veritatis & iustitiæ. Atq; hoc modo omnia vocabula, quæ in ordine quolibet prædicamẽtali ponuntur, prædicamenta dici possunt. Secundo prædica-
2. mentũ accipitur pro tota aliqua collectione & coordinatione generũ ac specierum, sub vno aliquo genere generalissimo, secundum suum ordinẽ dispositorum: vt tota illa coordinatio generum & specierum sub genere substãtia quæ in libro prædicabilium posita est, dicitur prædicamentũ substantiæ, videlicet à genere supremo (quod caput est totius collectionis, & quasi primum principium) habẽs appellationem. Hoc modo accipitur prędicamentũ, cùm dicitur apud Dialecticos, vocabulũ aliquod in hoc aut illo prædicamento constitui, id est, in hac aut illa collectione prædicamentali.

3. Tertio, prædicamentum accipitur specialiter pro ipso quod est summum in aliquo prædicamentali ordine, nempe pro primo tantùm & generalissimo genere. Atq; in hac significatione sumitur prædicamentum, cùm dicitur, Homo est sub prædicamento substãtiæ, id est, sub illo prædicamento quod est substantia. Sic dicimus substantiam esse primum prædicamentum, quantitatem secundum prædicamentum, &c. In proposito igitur cum dicimus, librum istum de prædicamentis pertractare, accipiendum est prædicamentum, vel secundo, vel tertio modo. Tractat enim liber iste de primis decem generibus, atque etiam de totis coordinationibus, quarum illa sunt capita.

De anteprædicamentis, & primum de æquiuocis.

CAP. II.

ANTEQVAM ad prædicamẽtorũ determinationẽ procedat Aristoteles, quædã præmittit ad eorum cognitionem, præparamẽta siue præambula: quæ proinde à recentioribus, non impropriè effecto vocabulo, appellata sunt anteprædicamẽta, quasi antè prædicamentorũ determinationẽ tradita. Hæc sunt definitiones tres, nẽpe æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorũ: diuisiones duæ, & duæ item regulę. Quæ omnia eo ordine quo ab illo sunt posita, nobis

veniunt

veniunt declaranda, priusquam prædicamentorũ aggrediamur elucidationem. Definitio igitur æquiuocorum hæc est.

Definitio æquiuocorum.

Æquiuoca dicuntur, quorum solum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est diuersa.

Pro cuius definitionis intellectu notãdum est, æquiuocũ dici dupliciter. Interdum enim dicitur æquiuocum, vocabulum ipsum quod plura habet significata, vel potius significationes plures: quemadmodum dictio canis habet plures significationes, quarum vna significat animal domesticum, quod latrando domum seruat: altera cœleste sydus illud, quod se prodente ardor immodicus exurit segetes, vnde canniculares dies vulgò appellãtur. Quas duas significationes nemo dubitat esse diuersas. Interdũ verò æquiuocũ dicitur ipsum significatũ, & æquiuoca dicũtur ipsa significata diuersa, quæ sic per idem vocabulum significantur, mediantibus diuersis significationibus siue conceptibus. Vt canis domesticus latrans, & cœleste illud exurens sydus, æquiuoca sunt comparatione ad vocabulum canis, per quod ambo significãtur, mediãtibus diuersis significationibus aut cõceptibus.

Quod signanter adiicitur: quoniam non omnia plura significata eiusdem vocis, dicũtur æquiuoca in comparatione ad illam vocem, sed oportet plura illa significata secundum diuersas significationes, aut diuersos conceptus significari. Homo nanq; & equus diuersa sunt significata vnius termini animal, nõ tamen æquiuoca sunt, sed vniuoca: quoniã licet plura sint significata vnius termini animal, significãtur tamen per illum mediante vno conceptu, vel secundũ eandem significationem. Secundũ vnam quippe & eandẽ significationem, & secundum conceptum siue cogitatũ vnum genus animal, significat hominem, equum, asinũ, & omnes species. Interdum itaq; æquiuocum dicitur ipsa dictio plures habens significationes, interdum verò ipsum significatum quod per dictionem talem significatur. Ad quarũ duarum acceptionum distinctionem, recentiores nõ incommodè effictis vocabulis, prius appellant æquiuocũ æquiuocans, id est, æquiuocè plura significans: posterius dicunt æquiuocum æquiuocatum, id est, æquiuocè significatum. Hoc prẽmisso, ad elucidandam Aristotelis suprapositam definitionem

nē accedamus. Quæ licet posit & æquiuocantibus & æquiuocatis citra absurditatem, suo modo applicari, cōmodius tamen de æquiuocatis intelligitur hoc modo. Aequiuoca æquiuocata, dicuntur alicuius vocabuli plura aliqua significata, quibus sōlum nomen æquiuocans commune est, per significationem atq; etiam per prædicationē, sed ratio substantiæ secundum illud nomen est diuersa, id est, licet idem nomen plura significet, & de illis prædicetur, nō tamen secundū eandem rationem, vel secundum eundem cōceptum essentialem, vel secundū eandem definitionem substantialē. Exēpli gratia, canis latrās in domo, & canis æstuās in cœlo, plura sunt significata, quibus vnū nomē canis, in significando, atq; etiam in prædicādo, cōmune est. Dictio siquidē canis vtrunq; significat & de vtroq; prædicatur. Verumtamē sōlum nomen commune est illis, ita quòd non est communis ratio substantiæ, sed diuersa, quia non secundū eandem significationem, canis vtrunq; significat, nec mediante vno eodémq; conceptu, sed mediantibus diuersis significationibus, & conceptibus. Ideo plura illa significata, dici debent æquiuoca æquiuocata, comparatione ad terminum canis, æquiuocè illa plura significantem. Per rationem autē substantiæ, quidam intelligunt conceptum substantialem siue essentialem, alij definitionem essentialem, vel (si deest definitio) descriptionem. Et vtrunq; ferè in idem redit. Siquidē adinuicem connexa sunt, diuersus conceptus & diuersa definitio: vt si terminus aliquis plura significet mediantibus diuersis conceptibus, etiam de eisdem dicatur, secundū diuersas rationes, siue definitiones: contra verò, si mediante vno cōceptu essentiali, etiā mediante vna definitione essentiali. Exempli gratia, animal mediante vno essentiali cōceptu, significat hominem, equum, asinū, &c. idcirco de omnibus illis etiā secundū vnam rationē siue definitionem essentialem prædicatur. Homo enim est animal, quia corpus animatum sensibile: equus item est animal, quia corpus animatum sensibile: atq; ita in reliquis. Contra verò terminus canis, quia secundū diuersas significationes, aut mediantibus diuersis cōceptibus significat sydus vrens & latrās animal, idcirco nō secundū vnam definitionē vel rationē de vtroq; dicitur. Si enim queras, quare sydus cœleste illud canis dicatur, non eadē assignabitur ratio, ac si quæratur de latrante

*** *Ratio substantiæ.*

animali, sed longè diuersa. Nihil itaq; aut perparum refert, siue per rationē substantiæ, in hac definitione æquiuocorū, atq; item in illa quæ sequitur vniuocorum intelligatur cōceptus siue definitio. Si verò de æquiuocis æquiuocantibus cuiquam placeat interpretari suprapositam definitionē, ad hunc modū eam explicabit. Aequiuocantia dicuntur vocabula aliqua, quorum nomē est commune, id est, quæ secundū nomen sunt communia pluribus suis significatis, sed ratio substantiæ nominis est diuersa, id est, diuersa ratione significant plura illa, aut de pluribus illis dicuntur. Verùm prior expositio commodior, minúsq; torta videtur.

De æquiuoco à casu, & à consilio. CAP. III.

Aequiuocū à casu.

Est autem duplex æquiuocum, nempe æquiuocum à casu, & æquiuocum à cōsilio. Aequiuocum à casu dicitur, quod plura habet significata æquè principalia, ita vt nō vnū significet propter similitudinem cum altero, vel relationem ad alterum. Sic dictio canis æquiuocum est respectu animalis latrantis, & cœlestis syderis. Sic dictio Petrus æquiuocè significat hunc atq; illum. Malus æquiuocè significat arborem pomiferam, & malum nauis. Polypus æquiuocè significat piscem & morbum. Aequiuocum autem à cōsilio dicitur, quod plura habet significata, sed vnum principalius, & aliud minus principale, vtpote propter similitudinem vel comparationem aut relationem ad significatum principale. Vt homo æquiuocè significat hominem viuum, quod est ipsius principale significatum: & hominis imaginē depictā, aut sculptā, aut fusam, quod est significatum minus principale, vtpote quod non nisi propter similitudinem imaginis cū viuo homine, secundum lineamentorū protractionē & colorum dispositionem, per dictionē homo repræsentatur.

Aequiuocum à cōsilio.

*** Sic Deus prima & præcipua significatione, significat id quod naturam habet diuinā, siue quod secundum naturam Deus est: deinde minus principaliter quod sola æstimatione Deus putatur, significat: item & eos qui secundum aliquam participationem similitudinis dij appellantur, vt iudices & præpositi populorū dij appellantur in sacris literis, eò quòd aliqua ex parte Deo vero sint similes, secundū acceptam ab eo potestatē atq; authoritatē. Ita sanū principaliter id quod sanitatem in se habet, significat, nempè ipsum animal quod in se habet sanitatem. Minus autem principaliter significat

id

id quod sanitatis est effectiuum, quo modo medicinam dicimus sanam, atq; etiam id quod est indicatiuũ sanitatis, quomodo vrinam dicimus sanam. Ratio autem harum appellationum, secundũ quam distinctè, priora æquiuoca vocentur à casu, ista posterior à cõsilio, hæc est: quoniam id quod plura habet significata æquè principalia, quorũ non alterũ propter similitudinem cũ altero, vel relationẽ ad alterum significat, manifestum est casu & fortuito nactum esse plures illas significationes, nimirũ quòd casu obtigerit idẽ vocabulum pluribus accommodari significationibus. Quod verò plura habet significata, sed alterũ tantùm propter similitudinem cũ altero, vel cõparationem ad alterũ, manifestum est, id nõ casu sic obtigisse, sed ex consideratione, iudicio, & consilio hominũ, qui cõsiderantes similitudinẽ huius cũ illo, eodẽ nomine iudicant appellandam similitudinem, quo ipsum præcipuũ cuius est similitudo. Vt videntes statuã Cæsaris similitudinẽ habere in lineamẽtis atq; habitus apparentia exteriori, cũ viuo ipso Cæsare statuã appellitant Cæsarẽ. Appellatur quoq; istud æquiuocũ à cõsilio alio nomine analogũ, quasi secundũ relationẽ aut comparationẽ plura significans. Verũtamen nõ dicitur dictio aliqua analogũ, nisi respectu significati alicuius minus principalis. Vt verbi gratia, homo nõ dicitur analogũ respectu hominis viui, quoniã non ipsum significat per relationẽ aut cõparationẽ, sed per propriam impositionẽ: analogũ autem dicitur respectu hominis picti, quem nõ ex propria & primaria impositione, sed ex similitudine & comparatione significat. Aequiuocũ tamen à cõsilio dicitur, respectu amborum significatorum alterius principalis, & alterius minus principalis.

Tres ponuntur de æquiuocis regulæ.

CAP. IIII.

DE his autem æquiuocis tres solent poni regulæ, quarũ prima & tertia omnibus generaliter cõueniunt, secunda tantum æquiuocis à cõsilio siue analogis.

Prior hæc est.

Nullum æquiuocum vt æquiuocum, potest constitui in vllo prædicamento, neque vlla definitione potest definiri, neque diuisione diuidi. De æquiuoco prima regula.

Huius dicti ratio est, quia æquiuocũ vt æquiuocum nihil vnũ significat, sed plura indeterminatè. Oportet autẽ determinatè vnũ habere significatum, quod debeat in prædicamento constitui, aut definitione aliqua definiri, aut diuisione diuidi. Quod intelligi debet de diuisione propriè dicta. Nã impropria diuisione posset canis diuidi in canem latrantem, & sydus cœleste. Verùm hæc potius enumeratio est significationum termini æquiuoci, quàm ipsius diuisio.

Signanter dicitur, æquiuocum vt æquiuocum, nõ posse in vllo prædicamẽto, &c. quoniam æquiuocum secundũ vnam significationem consideratum, rectè in prædicamento constituitur, & definitur, & diuiditur. Sic enim non vt æquiuocum consideratur, sed vt vniuocum.

Secũda regula.

Secunda regula.

Analogum per se positum stat pro suo significato famosiori.

Hoc est, pro significato præcipuo & primario accipitur, & pro eo vno verificatur id quod dicitur. Dicitur autem per se poni analogum, id est, æquiuocum æquiuocans à cõsilio, quando nõ additur ei dictio alia quę ipsum trahat ad significatum minus principale, aut quę ipsum indicet pro minus principali accipi. Exẽpli gratia, dictio Cæsar, cùm dico, Cæsar est longus sex pedes, Cæsar agit Romæ, per se ponitur, quoniam nõ additur ei aliqua particula, distrahẽs ipsum ad significatum alterũ minus principale, sed in sua consistit libertate. Ideo pro suo significato præcipuo sine hæsitatione accipitur. Cùm autẽ dico, Cæsar sculptus, pictus, fusilis, aut fictilis: itẽ, Cæsar terreus, vel aureus, vel argẽteus, vel huiusmodi aliquid, manifestũ est per aliquam illarum adiectionũ distrahi terminũ à significato præcipuo ad secundarium & minus principale. Facile enim quilibet intelligit, illic nõ de vero Cæsare, sed de eius imagine fieri sermonem.

Tertia regula.

Tertia regula.

Æquiuoco non debet esse vsus in disciplinis, nisi fuerit distinctum.

Hoc est, nisi prius fuerit indicatũ, pro quo significato debeat accipi. Cuius ratio est, quoniam æquiuocũ indistinctũ (vt re

(vt rectè dici solet) confusionem parit. A disciplinis autem omnis cōfusio longè arcēda venit, vtpote in quibus omnia conuenit esse quā ordinatissima, minimeq; perturbata. Qui enim cōfusioni & perturbationi rerum vocumq; studēt, hos constat, nō bonæ disciplinæ, sed sophisticæ cauillationis esse studiosos. Hactenus de æquiuocis equiuocātibus, & æquiuocatis à casu, item & à cōsilio. Nunc ad vniuoca pergamus.

De definitione vniuocorum. CAPVT V.

VNiuoca dicuntur, quorum & nomen est commune, & ratio substantiæ secundum nomen est eadem. *Definitio vniuocorum.*

Huius definitionis intellectus magna ex parte haberi potest ex supraposita & declarata definitione æquiuocorū. Secundum cōparationem nanq; omnia sic dicēda sunt de vniuocis, quemadmodū illic de æquiuocis diximus. Quomodo enim æquiuoca diximus æquiuocātia vel æquiuocata, sic vniuoca dicimus vniuocantia vel vniuocata. Vniuocū quippe vniuocans est dictio vniuocè plura significās, id est, quę mediante vno essentiali cōceptu plura significat, aut secūdum vnam orationem siue definitionē essentialem de pluribus prædicari potest. Vt animal genus est vniuocum respectu omniū specierum suarū, quas omnes mediante vno conceptu essentiali significat, & de quibus omnibus secūdū vnam essentialem rationem siue definitionem prædicatur. Homo enim est animal, quia corpus animatū sensibile, & eadē ratione est equus animal, & itē asinus, atq; ita in reliquis. Vniuocata verò dicuntur ipsa plura significata, quæ sic per vnū vocabulum mediāte vno conceptu essentiali significantur.

Ex his facile est, supradictam Aristotelis definitionē exponere in hunc modum. Vniuoca vniuocata dicuntur plura aliqua significata, quorum est vnum commune nomē vniuocans, id est, quæ per vnum aliquod vocabulum vniuocās significantur, & non solum nomen est illis commune, verùm etiam ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem, id est, mediante eodem conceptu essentiali, per illud nomē significantur, vel secundum eandem rationem siue definitionem essentialem. De eis prædicatur illud nomen. Quid autē sit ratio substantię, patet ex dictis circa declarationem defi- *Exponitur definitio.*

nitionis æquiuocorum. Signãter verò in definitione dicitur, quòd ratio substantiæ secundũ illud nomen commune, debeat esse eadem: quoniã ad rationem vniuocorũ nõ sufficit quamlibet rationẽ esse communem, sed oportet rationẽ substãtiæ esse cum nomine cõmunẽ, id est, oportet vocabulum illis significatis pluribus conuenire secundũ eundẽ cõceptum essentialem, vel secundũ eandem definitionẽ essentialẽ. Homo enim & equus nõ possunt dici vniuocata à respectu albi: attamen homo & equus habent nomen albi sibi commune, siue per prædicationem, dicendo homo est albus, equus est albus: siue per significationẽ & conceptũ, quoniã album generali significatione omnia illa in quibus est albedo significat. Verùm non est illis secundum nomen istud ratio substantiæ eadem. Nam ratio albi non est homini & equo substantialis, sed tantùm accidentalis.

De quibusdam ad cognitionem denominatiuorum spectantibus. CAP. VI.

*** PRo intellectu definitionis denominatiuorũ, quam subsequenter ponit Aristot. prẽmittenda est differentia quã ponunt Dialectici cõformiter ad communem vsum & modum loquendi, inter terminos concretiuos siue concreta, & terminos abstractiuos siue abstracta. Terminus cõcretiuus siue concretum, dicitur vocabulum quod de subiecto aliquo per semetipsum accidentaliter prædicatur. Huiusmodi sunt nomina aut verba, quæ à Grammaticis adiectiua appellantur: vt albus, niger, doctus, sedere, currere, &c. Hæc enim de subiectis per semetipsa prædicantur accidentaliter dicendo Petrus est albus, niger, studet, currit. Dictũ est autem de prædicatione accidentali, quoniã propriè nõ dicitur terminus concretiuus ille, qui solum essentialiter de aliquo prædicatur. Vt homo licet prædicetur verè de hoc homine & illo, non propriè tamen concretum dicitur, licet aliquãdo sic minus propriè dicatur. Terminus autẽ abstractiuus siue abstractum dicitur vocabulum significans aliquã formam accidentalem subiecto alicui inexistentem: per semetipsum tamen non potest de illo subiecto verè prædicari, sed tantùm mediante altero termino adiectiuo siue concretiuo: vt albedo, nigredo, sessio, cursus, & huiusmodi infinita. Significant enim ista nomina formas accidentarias inexistentes suis subiectis. Attamen non per semetipsa possunt

Quid sit cõcretum.

Quid sit abstractum.

sunt prædicari de subiectis illis, quibus insunt res per ea significatæ. Non enim verè quis dixerit, Petrum esse albedinem, aut nigredinem, cursum aut sessionem. Sed mediantibus aliis terminis adiectiuis debent ista prædicari, dicendo, Ioannem esse album vel nigrum, sedere vel currere.

Differentia inter concreta & abstracta

Inter hæc autem abstracta & concreta est quædam conuenientia, & quædam differentia. Siquidem abstractum & suum concretum in principali significato cõueniunt, sed in minus principali differũt. Abstractum enim ipsam formam accidentariam nudè repræsentat, concretum verò formam quidem illam principaliter significat, nõ tamẽ nudè ipsam, sed cum ipsa simul subiectum cui inest, quoniam ipsam formam tanquam inexistentem subiecto significat. Exempli gratia, terminus albedo nihil nisi puram formam accidentariam in suo conceptu repræsentat: album verò, principaliter quidem significat illam formam accidentariam sed circa subiectũ eã determinat, quod nõ facit terminus albedo id est, significat formam illam tanquam subiecto inexistentem, sicq; minus principaliter & secundariò ipsum subiectum significat. Atque hinc procedit, quod terminus abstractiuus per semetipsum verè non possit dici de subiecto; cui tamen res per ipsum significata verè & realiter inexistit. Nimirum quia tantum formam significat, non etiam subiectum. Nullus autem terminus potest verè prædicari de eo quod in suo cõceptu non significat. Terminus autem cõcretiuus, quia in suo conceptu subiectũ significat, tanquam id quod in se formam accidentalẽ habet, ob hoc rectè quoque per semetipsum & verè potest prædicari de subiecto.

Concreta & abstracta quare sic appellentur.

Atq; ex his facilè est intelligere rationem huius appellationis, quare videlicet cõcreta, & abstracta appellentur. Nimirum abstracta dicuntur, eo quòd significẽt formã nudam & quasi abstractã à subiecto, ita quod ipsum nõ simul cũ forma significant. Concretũ verò dicitur, eo quòd subiectũ cõcernat, simulq; subiectum cum forma repræsentet & in suo conceptu velut coniungat atq; commisceat, nempe vno cõceptu suo significans & formam, vt inhærẽtẽ, & subiectum, vt in se eam continens. Hac etiã ratione videntur à Grammaticis nominata esse adiectiua, verba vel nomina, quòd videlicet significent formã accidẽtariam tanquã adiacentẽ rei, siue quatenus rei inexistit. Hæc autem quæ diximus sic ap-

pellari concreta vel adiectiua vocabula, Aristoteles in presente definitione vocat paronyma, id est, denominatiua, eadem vtique ratione nimirum, quòd secundũ huiusmodi vocabula debeat fieri denominatio subiectorum, & quòd ipsa denominationem suam, qua subiectum denominant, habẽt à nomine abstracto, id est, à re per ipsum significata. Forma enim accidentalis in subiecto existens, ipsum semper aliquale denominat, dans ei esse quoddam accidentariũ: quæ quidem denominatio cùm non possit aptè veréq; fieri per nomen abstractum, necesse est eam fieri per cõcretum siue denominatiuum. Vt iustitia in Petro existens, ipsum denominat appellariq́ue facit non per abstractum nomen iustitiam sed nomine concreto iustum. Petrum namque habentem in se iustitiam, non denominamus iustitiam, sed iustum. Ita eum in quo est actio vel passio, cursus vel sessio, denominamus ab huiusmodi formis accidentariis agentem, patientem, currentem, sedentem, non actionem, passionem &c.

Vnde pro dictorum clariori notitia, ac post explicãdę definitiõnis faciliori intelligentia, tria hic adinuicem pertinẽtia, & velut cohærẽtia, sed adinuicem distincta assignamus, nempe, denominãs, denominatiuum, & denominatum. Denominans appellatur ipsa forma accidentaria, quæ subiectum denominat aliquale, vt albedo, cursus, & huiusmodi.

Quid sit denominãs, denominatiuũ et denominatum.

Denominatiuum dicitur ipsum vocabulum quo mediante fit deminatio, vt iam dictum atque declaratum est.

Denominatũ verò dicitur ipsum subiectũ, quod à forma denominãte secundum vocabulum denominatiuum denominatur, aut appellatur tale vel tale. Exẽpli gratia, Humilitas est denominãs, humilis est denominatiuũ, homo est denominatũ, quia ab humilitate homo denominatur humilis.

Denominans verò & denominatũ possunt indifferenter dici res vel termini. Ipsa namq; forma accidẽtaria inexistẽs subiecto realiter, propriè dicitur denominãs; vel minus propriè ipse terminus qui formam illam nudã significat, terminus videlicet abstractiuus. Ita subiectũ illud in quo realiter est forma, propriè dicitur denominatum, vel minus propriè terminus ipse subiectum significans. Denominatiuũ verò non potest dici nisi ipse terminus, quo mediãte fit denominatio, & per quẽ simul denominãs forma cum subiecto denominato significatur. His præmissis, ad explicandam Aristot

ſtotelis definitionem accedamus, quæ talis eſt.

Explanatio definitionis denominatiuorum.

CAPVT VII.

Definitio denominatiuorum.

DEnominatiua dicuntur quæcunque ab aliquo ſolo differentia, caſu, ſecundum illud nomen habent appellationem.

Quam definitionẽ ita intellige. Denominatiua ſunt vocabula, quæ ab aliquo denominante ſiue abſtractiuo vocabulo, aut ab aliquibus abſtractis, differunt ſolo caſu, id eſt, ſola finali terminatione, vel transfiguratione, ita vt in principio vocis ſint conuenientia: & deinde ſecũdum illud nomen habent appellationem, id eſt, accidentalem habent prædicationem, ſecundum rem per nomen illud abſtractum ſignificatam. Hæc enim accidentalis prædicatio, in propoſito appellatur denominatio. Exempli gratia, humilis, ſuperbus, vocabula hæc ſunt denominatiua. Nã à ſuis abſtractis ſiue denominantibus (quæ ſunt humilitas & ſuperbia) differunt ſola transfiguratione ſiue terminatione finali, quæ in propoſito caſus appellatur. In principio namq; conueniunt, neque niſi in finali terminatione eſt differẽtia. Deinde appellationem habent ſecundum illa abſtracta, id eſt, accidentalem prædicationem, ſecundum res per nomina abſtracta ſignificatas, quoniam humilis & ſuperbus accidentaliter prædicantur de ſubiectis, ratione humilitatis & ſuperbiæ, dicendo, Iſte eſt humilis, ille ſuperbus. Circa quam definitionem aduerte, triplicia diſtingui ſolere denominatiua, nempe voce tantum, ſignificatione tantum, voce & ſignificatione ſimul: in propoſito tamen ſola definiuntur denominatiua voce & ſignificatione.

Denominatiuum voce tantum.

» Denominatiuum voce tantum dicitur, quod cum aliquo
» abſtracto habet quidem ſecundum vocem conuenientiam
» in principio, & differentiam in terminatione finali, ſed non
» conuenit cum eo in ſignificatione, nec habet ſecundum rem
» per ipſum ſignificatam denominationem, ſiue accidentalem prædicationẽ. Vt pugillator eſt denominatiuum voce tantum, reſpectu pugillatorię, accipiendo eam vt ſignificet habitum artis pugillandi: pugillatorem verò, vt ſignificet naturalem potentiam ad pugillandũ. Sic enim licet in principio conueniant, & differant in fine, in ſignificatione tamẽ

non conueniunt, neque habet concretum appellationem secundum rem per abstractum illud significatam. Non enim dicitur quis pugillator secundum illam significationem ab habitu artis, sed à naturali potẽtia. Ita somnolentus respectu somni est denominatiuũ voce tantùm, quia non dicitur quis somnolẽtus à somno, sed à somnolentia. Sic cursor respectu cursus, est denominatiuũ voce tãtũ: quoniã non dicitur quis cursor à cursu, sed ab habitu & arte quę cursoria dicitur. Ita quoq; in aliis dicendũ. Denominatiuum autem significatione tantum dicitur, quod cum aliquo abstracto conuenit in significatione secundum rem per ipsum significatam habet denominatiuã prædicationẽ: attamen ab eo non differt sola finali terminatione, verumetiã in principio. Vt dormiẽs est denominatiuum somni secundũ significationẽ: quoniã à somno animal denominatur dormiẽs. Sic probus aut sapiẽs. aut studiosus, est denominatiuũ virtutis. Eum enim, qui virtutem habet, dicimus probũ, aut sapiẽtẽ aut studiosum, virtuosum autem non dicimus, quoniam vox illa latinis auribus est incognita. Maxima autem in Græco idiomate nomini areti quod virtutem significat, nullum proprium concretũ inuenitur, sed assignatur illi propter defectum spudæos, id est, studiosus. Denominatiuũ autem voce & significatione simul dicitur quod cum aliquo abstracto cõuenit in principio, & differt in fine, & insuper secundum rem per illud idem nomen significatam habet denominationem, siue vt denominet aliud ipsum videlicet in quo fuerit res per abstractum significata, vt album respectu albedinis, somnolẽtus respectu somnolentiæ. Atq; hæc sola denominatiua in definitione Aristotelis intelligũtur definiri. Denominatiua quippe voce tantum excluduntur à definitione, per secundam eius particulam, eo quòd non habeant appellationem secundũ illud nomẽ. Denominatiua autem significatione tãtum, abiiciuntur per partem priorẽ: videlicet quia non differũt solo casu ab abstracto. Nõ enim solo casu, id est, sola finali terminatione differũt, quæ etiam differũt in principio.

Denominatiuũ significatione tantũ.

Denominatiuũ voce et significatione.

De prædicatione æquiuoca, vniuoca, & denominatiua.

CAPVT VIII.

Ex prædictis triplex sumitur prædicatio, nẽpe æquiuoca, vniuoca, & denominatiua. Prædicatio æquiuoca est in qua æquiuocũ æquiuocè sumptũ, prędicatur de aliquo significa

Prædicatio æquiuoca.

fica

ficatorum suorum. Quæ prædicatio à disciplinis reiiciatur, tanquã incommoda ad docendũ vel discendum propter confusionẽ indistincti vocabuli. Prædicatio vniuoca dicitur, in qua prædicatur vniuocũ de aliquo suo significato, id est, vniuocans de vniuocato. Vt homo est animal, equus est animal, iustitia est virtus, superbia est vitiũ. Et vniuersaliter, omnis prędicatio generis de aliqua specierũ, est vniuoca: item speciei de indiuiduis. Adiiciunt quoque prædicationem essentialis differentiæ de specie constituta, & eius indiuiduis. *Prædicatio vniuoca.*

Prædicatio autẽ denominatiua dicitur, in qua denominatiuum prædicatur de subiecto siue denominato. Vt Petrus est iustus, fortis, bonus, humilis, &c. Et vniuersaliter omnis prædicatio accidentalis de suo subiecto, dicitur denominatiua. Adiiciunt quoq; hi prædicationem proprij de suo subiecto, vt homo est risibilis. Habet enim etiam proprium, secundum rem per abstractum significatam denominationẽ, id est, accidentalem prædicationem, si accidentalis prædicatio sumatur largius. Hactenus anteprædicamẽtales Aristot. definitiones tractauimus, nunc ad diuisiones transeamus. *Prædicatio denominatiua.*

Prima diuisio anteprædicamentalis.

CAP. IX.

Eorum quæ dicuntur, alia secundum complexionem dicuntur, alia verò sine complexione. *Prima diuisio.*

Cuius diuisionis sententia est, terminorum quosdam esse complexos siue compositos ex pluribus, quosdam esse simplices, incomplexos, atque incompositos. Terminus incomplexus dicitur, qui ex pluribus dictionibus significatiuis non componitur, vt iustus, superbus, homo, equus, currere, sedere, &c. Terminus autem complexus dicitur qui ex pluribus dictionibus significatiuis adinuicem rectè vnitis componitur. Vt homo albus, Petrus & Ioannes, Petrus est probus, Ioannes est doctus, &c. *Terminus cõplexus.*

Signanter dicitur, ex pluribus dictionibus significatiuis, quoniam terminum complexum non facit compositio syllabarum aut literarum, neque etiam dictionum plurium non significantiũ, sed tantum compositio plurium significatiuarum dictionum. Imò neq; hoc sufficit ad terminum complexum, quod cõponatur ex partibus, quæ extra cõpositionem per se sumptę, sunt significatiuę, sed oportet in illa cõplexione

ne eas habere significationem. Quòd dicimus propter nomina quæ appellantur figuræ compositæ, quemadmodum corpus animatum, vt pro genere accipitur, Respubl. aliaq; huiusmodi. Hæc enim propriè non dicũtur cùm complexione, sed sine complexione: quoniã licet ex partibus componantur per se & separatim significatiuis, illic tamen in compositione illa non significant. In nominibus enim compositæ figuræ partes nihil significant, sed ex compositione partium resultat vna totius nominis significatio. Alioqui si partes accipiantur vt significantes, non erit compositum nomen, sed oratio appellari debebit. Oportet ergo terminum complexum ex partibus in ipsa cõplexione significantibus cõponi.

Signanter quoq; dictum est, ex partibus rectè adinuicem vnitis, quoniam terminum complexum nõ facit multarum dictionum etiam significãtium, sine ordine coaceruatio, nisi adinuicem rectè fuerint ordinatę atq; counitæ. Nam si dixero sine coniunctione, homo, equus, bos, Grãmaticus, Logicus, Musicus, complexum nullum terminũ habebo, sed multos incomplexos terminos: quoniam non est ibi debita partium vnio. Non enim secundum aliquã Grammaticam constructionem siue compositionem vniuntur. Cùm verò adinuicẽ plures dictiones secundum aliquam Grammaticã constructionem bene vniuntur, inde terminus complexus efficitur. Vtpote cùm per coniunctionem adinuicem vniuntur, dicendo, homo & equus, Petrus vel Paulus, vel sine coniunctione ex vi alterius regiminis, vtpote adiectiui & substantiui, dicendo homo iustus. Vel demonstratiui & rei demonstratæ dicendo, iste homo: vel possidentis & rei possessæ, dicendo domus Petri: vel secundum appositionem coniungendo in eodem casu adinuicem pertinentia, vt animal homo, Virgo Maria, atq; ita in cæteris, quæ apud Grãmaticos tractantur exactius. Quemadmodum enim non facit ædificiũ vnum multorum lignorum & lapidum aceruus, nisi fuerint partes adinuicem debito ordine compositæ: ita non facit complexum terminum multarum dictionũm congeries, nisi debito ordine adinuicem fuerint counitæ.

De triplici complexo, & triplici incomplexo.

CAPVT X.

*** SOLENT autem ad pleniorem huius diuisionis notitiam triplex distinguere complexum, & triplex item incomplexum:

plexum: nempe complexum voce tantum, complexum significatione tantùm, complexum voce & significatione simul: atque item incomplexum voce tantùm, significatione tantùm, voce simul & significatione.

Complexum voce tantùm.

» Complexum voce tantùm dicitur, quod secundum apparentiam vocabuli ex pluribus componitur dictionibus significatiuis, quæ tamen secundum veritatem in illa compositione significatiuæ non sunt, sed vnam simplicem significationem totum habet. Huiusmodi sunt nomina & verba figuræ compositæ, de quibus iam suprà diximus.

Complexum significatione tantùm.

» Complexum significatione tantùm dicitur, quod secundum vocem non habet partes significatiuas ex quibus componatur, in mente tamen plures habet cõceptus adinuicem coniunctos, & significationem habet compositam. Vt cùm dico, curro, subintellecto pronomine, secundum vocẽ quidem. Hoc incomplexum est, in mente tamen respondet conceptus pronominis & verbi, ego curro. Ita putant nonnulli de verbis impersonalibus passiuis, legitur, docetur, curritur. Videntur enim significatione esse complexa, quoniam legitur tantundem valet, ac si dicas, lectio fit: curritur, fit cursus: docetur, fit doctrinatio. Similiter sentiunt de illis verbis quæ vocantur exemptæ actionis, pluit, ningit, tonat, grandinat, &c.

Complexum voce & significatione.

» Complexum autem voce & significatione, est quod & in voce & in mente plures habet dictiones significatiuas adinuicem compositas, vt homo iustus, vir bonus, Deus viuit. Et de hoc principaliter fit sermo.

Triplex incomplexum.

Per contrarium verò facilè est definire incomplexum voce tantùm, significatione tantùm, voce & significatione simul. Incomplexum enim voce tantùm est, quod secundum vocem non componitur ex partibus significãtibus, attamen in mente est compositio, & conceptus respondet compositus. Incomplexum autem significatione tantùm est, quod secundum vocem est compositum ex pluribus dictionibus, sed in mente non est compositio, tantumq; simplex conceptus toti vocabulo, respondet in animo. Estq; omne complexum voce tantùm, incomplexum significatione tantùm, quemadmodum omne complexum significatione tantùm, est incomplexum voce tantùm, & econtrario. Incomplexo autem voce & significatione simul omnino ex aduerso opponit

ponitur complexum voce & significatione simul. Ipsum est quod neque secundum vocem ex pluribus dictionibus componitur significatiuis, neque etiam secundum rem & significationem. Et hoc propriissimè incomplexum dicitur. Nihilominus etiam propriè incomplexum dicitur, quod est incomplexum significatione tantùm, & incomplexum voce. In proposito nanq; complexionem maximè reputamus secundum significationem, ita vt vbi significatio inueniatur composita, propriè dicamus complexionem: incomplexionem verò, vbi fuerit significatio simplex & conceptus incompositus. Conducit autem hæc diuisio ad distinguendum complexa ab incomplexis propter ordinem prædicamentorum: quoniam (vt maxima habet Dialectica) nullum complexum in prædicamento aliquo locum habet, intelligendo de complexione secundum significationem. Nam secundum vocem complexio nihil impedit.

Secunda diuisio antepræd icamentalis.

CAPVT XI.

Secunda diuisio.

EOrum quæ sunt, alia de subiecto quodam dicuntur, in subiecto verò nullo sunt: alia in subiecto quidem sunt, de subiecto verò nullo dicuntur: alia de subiecto quodam dicuntur, & sunt in subiecto: alia verò neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur.

Pro cuius diuisionis intellectu explicandum est, quid in proposito sit, esse in subiecto & dici de subiecto. Possumus autem ista, vel rebus applicare, vel vocibus, sicut & alibi admonuimus, quæ rebus conueniunt, ea & vocabulis suo modo aptari: atque econtrariò, quæ de vocibus dicuntur, suo modo rebus applicari.

Dici de subiecto, & esse in subiecto quid.

Loquēdo de vocibus, dici de subiecto est prædicari essentialiter de aliquo: esse autem in subiecto, est prædicari de aliquo accidentaliter. Vt animal dicitur de homine, tāquàm de essentialiter subiecto, & album dicitur de homine accidentaliter, tanquàm de subiecto accidentali. De rebus autem loquēdo, dici de subiecto est essentialiter esse in aliquo, vel

vel mediãte vocabulo de aliquo essentialiter prædicari. Esse verò in subiecto, est accidentaliter esse in aliquo, tãquàm in subiecto accidentali, vel mediante vocabulo accidentaliter de aliquo prædicari. Sic natura generica animalis dicitur de homine, & ipsa albedo est in homine. Ex quo patet, aliter accipi subiectum, cùm dicitur prædicari de subiecto: aliter cùm dicitur esse in subiecto. Illic enim subiectum intelligitur essentiale, quod videlicet in se aliquid essentialiter continet, tanquàm sui partem essentialem, si de rebus loquamur. Vel vocabulum quod essentiali prædicatione alicui prædicabili subiicitur vt est species respectu generis, indiuiduum respectu suæ speciei, & constituta species respectu constituentis differentiæ. De quibus in præcedenti prædicabilium libro plenius est determinatum. Cùm autem dicitur esse in subiecto, intelligitur subiectum accidentale, cui videlicet aliquid inhæret accidentaliter, si de rebus loquamur, vel vocabulum quod subiicitur alicui prędicato in prędicatione accidentaria. Hoc præmisso ita est intelligenda diuisio. Eorum quæ sunt, id est, inter omnia quæ subsistunt in rerum natura, hæc est, quadruplex differentia, vt aliqua dicantur de subiecto aliquo essentialiter, de nullo autem accidentaliter. Alia sint in subiecto aliquo accidentaliter, & accidentaliter prædicentur de eo, essentialiter tamen de nullo subiecto possint prædicari. Alia & prædicentur de aliquo essentialiter, & de aliquo alio (nunquam autem de eodem) accidentaliter. Vltima neque essentialiter de aliquo prædicentur, neque item accidentaliter de aliquo. Hæc autem diuisio quadrimembris, omnia complectitur, quæ inueniuntur in rerum natura subsistentia. Omne enim quod est creatum, vel est substantia, vel accidens: & rursum, omnis substantia vel vniuersalis & communis est, vel particularis. Sic item accidens vel est vniuersale, vel singulare: ex quorum adinuicem compositione, ista consurgit quadrimembris diuisio.

Exponitur diuisio.

Sub primo nanq; membro comprehẽduntur omnes substantiæ vniuersales, omnes videlicet naturæ genericæ & specificæ prædicamenti substãtiæ: quæ omnes dicuntur de subiectis, quoniam essentialiter insunt speciebus & indiuiduis sibi subiectis, sed nulla illarum potest esse in subiecto, quoniã nulla substantialis natura generica vel specifica, potest alic

Primum membrũ.

alicui subiecto inesse accidentaliter, aut de aliquo accidentaliter prædicari. Nihil enim potest dici accidentaliter homo, vel animal, vel substantia. Sub hoc membro comprehendi etiam videntur, naturæ differentiales, quæ species constituunt. Nã & ipsę essentialiter insunt speciebus, quas componunt, & nulli insunt merè accidentaliter, secundum eum modum, quem paulò pòst dicemus in definitione Aristotelis, qua definit ipse quid sit esse in subiecto. Nihil enim potest assignari quid sit accidentaliter rationale, aut sensibile: sed quicquid tale est, essentialiter tale est.

Secũdum membrũ. Sub secundo membro comprehenduntur accidentia singularia, vt hæc albedo, ista humilitas, atque ita in cæteris. Hæc enim in subiecto aliquo sunt accidentaliter, & de eo prædicantur accidentaliter mediantibus suis denominatiuis. De nullo autem essentialiter valent prædicari, neque essentialiter vlli inesse.

Tertium membrũ. Sub tertio membro continentur omnia accidentia vniuersalia, vt albedo in generali, virtus, scientia, & similia. Hęc enim communia accidentia, & subiecta habent in quibus accidentaliter inhærent, & insuper singularia accidentia habent, quibus insunt essentialiter, sicut natura specifica accidentalis est in omnibus suis indiuiduis, id est, singularibus accidentibus illius naturæ. Vel etiam accidentia vniuersalia inferiora habent quibus insunt, vt natura generica accidentalis est in naturis specificis sibi subiectis, vt natura coloris est in natura albedinis, & natura albedinis, in hac atque illa albedine, & in singulis indiuiduis. Sub hoc membro propria communia simul comprehendi solent, vt risibile, flebile, sicut propria particularia ad membrum secundum reducuntur. Sunt enim propria accidentibus similia, vt differentiæ generi & speciei.

Quartũ membrũ. Quartum verò membrum habet substantias particulares, siue indiuidua prædicamenti substantiæ. Quæ neque de subiecto aliquo dici possunt essentialiter, cùm nihil habeãt se inferius de quo possent prædicari. Neque in vllo subiecto possunt inesse accidentaliter, cùm æquè repugnet substantiæ esse in aliquo accidentaliter, atque accidenti repugnat, ex sua natura per se subsistere. Ad hunc autem modum enarrata diuisione ac rebus applicata, facilè est eandem & vocibus suo modo accommodare.

FIGVR

FIGVRA AD OCVLVM DEmonstrans singulorum membrorum prædictæ diuisionis conuenientiam aut differentiam.

*

Substantia vniuersalis.
Dicitur de subiect. & nõ est in subiect.

Partim cõueniunt, quia vtrunque de subiecto dicitur.

Accidens vniuersale.
Dicitur de subiect. & est in subiecto.



Substantia singularis.
Neque dicitur de subiect. neq; est in subiecto.

Partim conueniunt, quia neutrum de subiecto dicitur.

Accidens singulare.
Est in subiecto, & non dicitur de subiecto.

FIGVRA BOETII.



Inter substantiã & accidens, item vniuersale & particulare, ponit asystaton: quoniam simul nequeunt consistere aut conuenire. Inter substantiam autem & vniuersale nõ ponit asystaton: quoniam simul constant, item in aliis.

Desi

Definitio esse in subiecto posita ab Aristotele.

CAP. XII.

QVID autem sit esse in subiecto, & quæ sit natura eorũ quæ sunt in subiecto, plenius definit Aristoteles, in hunc modum.

In subiecto esse dico, quod cùm in aliquo sit, non sicut quædam pars impossibile est sine eo esse in quo est. Esse in subiecto definitio.

Cuius definitionis hic est sensus. Illud est in subiecto, quod existens in aliquo non per modũ partis, neq; integralis, neq; essentialis, sic ipsi tamen inhæret & sic in illo sustentatur cui inest, vt separatim extra ipsum subiectum non possit subsistere, sed quàm diu est, in subiecto debet sustentari.

Quæ definitio pulchrè explicat naturã accidẽtis, ipsumq; ab essentialibus distinguit. Modum enim describit quo accidens suo inhæret subiecto, longè differentem à modo quo essentialis natura inest illi, cuius est. Natura enim essentialis, id est, generica & specifica, atq; etiam differentialis, inest rei in qua est, sicut pars ipsius essentialis, nimirum ipsam cõponens & constituens essentialiter, quemadmodũ in priori libro ostendimus naturam genericam esse in speciebus subiectis, specificam in indiuiduis, & differentialẽ in specie constituta ac subiectis indiuiduis. Accidens verò dicit Aristot. esse in subiecto, non sicut partem aliquam.

Quod tamẽ ita supplendo exponunt, vt id quod in subiecto est secundũ propositum loquendi morem, debeat esse in aliquo, non sicut pars ipsius subiecti, neq; etiã alterius vnius quod simul cũ ipso constitueret atque componeret, ita vt id quod dicitur in aliquo vt in subiecto esse, non solum nõ possit ipsum constituere, sed neq; cum ipso aliquid verè & substantialiter vnũ possit constituere. Quemadmodum iustitia existens in anima, nec est animæ pars, nec cũ anima aliquid vnũ componit. Similiter nec color cum corpore, vt cui subiecto inest. Ex accidente quippe & subiecto nihil propriè vnum constat, sed aggregatione tantùm sunt vnum. ***

Hoc autẽ ita supplendo exponitur, propter formas substantiales, quæ nõ dicuntur esse in materia tanquã in subiecto, cùm nõ sint formæ accidentales, sed omnino subsiãtia-

les. Attamen definitio tota iam posita illis cõueniret, si non supplementum illud adiiceretur. Sunt quippe formæ substãtiales in materia, non sicut eius quædã partes: est quoq; impossibile eas esse sine materia vel extra eam, loquendo de omnibus formis substantialibus, sola anima rationali excepta. Verùm per adiectionẽ supplementi illius apertè excluduntur, quoniam sunt formę in materia, tanquã partes eius, quòd simul cũ ipsa componunt atq; constituunt. Siquidem forma cum materia rem naturalem componit, quod verè & propriissimè quid vnũ est. Vt verbi gratia, anima rationalis cum corpore humano constituunt hominem, anima equi cum materia constituunt equum, anima vegetatiua arboris cum materia in qua est, componit arborem: atq; ita in reliquis, iuxta quod plenius tractauimus in libris de consideratione rerum naturaliũ, lib. 1. qui inscribitur de materia & forma. Quamuis itaq; forma substantialis non sit in materia, tanquã pars eius, non tamen est in ea, vt in suo subiecto, ꝯ ꝙ sit pars eius cõpositi, quod simul cũ ipsa cõponit, id est, quia simul cũ ipsa aliquid verè vnũ cõstituit. Similiter dicunt & de differẽtiali natura respectu naturæ genericæ quã diuidit, & contrahit ad certam speciem componendã, iuxta modum in priori libro determinatum, in capite de differentia. Sic enim videtur se habere natura differentialis ad genericam naturã, quam contrahit in constituendo certã speciem cũ ea, quemadmodũ se habet forma substãtialis respectu materiæ, in cõponendo cũ ipsa vnum aliquod suppositũ indiuiduale. Vnde sicut non admittitur forma esse in materia, vt in subiecto: ita neq; videtur cõcedendũ, differentiam esse in genere vt in subiecto. Posset tamen ei definitio dicta rectè applicari, nisi adderetur supplementum illud. Est enim natura differentialis in genérica, quam diuidit & contrahit, nõ sicut pars aliqua ipsius: cũ manifestum sit, genus non cõponi ex differentiis suis diuisis, sed tantùm constitutiuis. Per prædictũ autem supplementum fit, vt ei definitio nõ possit applicari: quoniam licet ipsa sit in genérica natura non vt pars aliqua ipsius, est tamen in ea vt pars eius quod simul cũ ipsa componit, nempe speciei quam simul cum ipsa constituit, facítque cum ea quid verè vnum, nempe specificam naturam. Sic enim in libro præcedenti declarauimus, naturam genericam, adueniente natura differentiali, pariter cõ-

stit

ſtituere ſpecificam naturam. Quòd autem pro ſecũda definitionis parte ſubiungit Ariſtoteles, dicẽs, impoſsibile eſt ipſum eſſe ſine eo in quo eſt. partim facit ad declarãdã naturam eius quod eſt in ſubiecto, quemadmodum Porphyrius in libro prædicabilium definiendo accidens, dixit ſemper ipſum in ſubiecto ſubſiſtere, id eſt, nõ poſſe ſeparatim extra ſubiectũ eſſe: ſed debere quandiu eſt, ſuo ſubiecto inhærere. Cui aſtipulatur, quod ait in Phyſicis Ariſtoteles, Accidentis eſſe, eſt ineſſe: quoniam videlicet ſicut de natura ſubſtantiæ eſt per ſe ſubſiſtere, vt non poſsit alteri inhærere: ita eſt de natura accidẽtis, in ſubiecto aliquo hærere, atq; ab illo portari & ſubſtentari. Loquimur in his naturalibus, ſecundum naturalẽ tantùm potentiam, ſecundũ quam philoſophorum dicta (quæ rationi innituntur nõ fidei) ſemper ſunt exponẽda. Fide enim edocti ſcimus, authori naturæ Deo nõ eſſe impoſsibile omne verbũ, vt poſsit ipſe accidens quod in ſubiecto eſt, & de ſubiecto hoc trãsfundere idẽ numero in aliud, & prorſus extra omne ſubiectũ conſtituere: quemadmodũ de ſpeciebus in Sacramento altaris apparẽtibus credunt omnes, qui piè & rectè credũt iuxta normã orthodoxæ fidei.

Partim quoq; addita eſt particula illa, propter excludenda ea quæ ſecundũ alios modos eſſendi in, ab eo de quo nos loquimur diuerſos, ſunt in aliquo. Quemadmodũ videlicet vinũ in vaſe eſt, tanquã locatũ in loco, & annulus eſt in manu tanquam circumdans & ornans eam, item res temporales ſunt in tempore quo menſurantur. Hæc autem non ſic ſunt in illis, vt in ſubiectis. Neque tamen per priorem particulam definitionis excludũtur, quoniam locatum eſt in loco non vt pars quædam eius, ſimiliter annulus in digito, & res temporalis in tempore. Per poſteriorem ergo hanc particulam excluduntur, quoniam poſsibile eſt illa eſſe ſine iis in quibus ita ſunt. Poteſt enim vinum eſſe ſine vaſe, & annulus ſine digito, & res poteſt eſſe elapſo hoc tẽpore in quo nunc eſt, & quo nunc menſuratur.

Octo modi eſſendi in aliquo.

Pro cuius rei pleniori intellectu, operæpretium fuerit hîc paucis annotare octo modos eſſendi in aliquo, quos in phyſicis ſuis Ariſtot. enumerat. Primo enim dicitur aliquid eſſe in alio, vt pars integralis in toto integrali, vt manus hominis in homine. Secundò, totũ eſt in omnibus ſuis partibus, id eſt, in eis & ex eis conſiſtit, quia ex ipſis eſt cõpoſitũ. Tertio,

ſpecies dicitur eſſe in genere, id eſt, ſub genere: quoniã genus ſua cõmunitate ambit, & intra ſe complectitur omnes ſuas ſpecies. Quarto, genus eſt in ſuis ſpeciebus, tanquam pars earum eſſentialis. Quinto, forma ſubſtantialis eſt in materia quam informat, & accidens in ſubiecto ſuo. Inter quæ tamen eſt hæc diſtinctio (vt ſuprà latius declaratum eſt) quod forma facit cum materia quid vnum, non autem accidens cum ſubiecto. Sexto, dicitur effectus eſſe in cauſa, ſecundum virtutem & efficaciam, vt in ſole dicitur eſſe calor. Septimo, dicitur eſſe rex in regno, ſecũdum authoritatem, ſcilicet, poteſtatem, & imperium. Octauo modo dicitur locatum eſſe in loco, vel contentum in continente. Hæc ita paucis dicta ſufficiãt, pro intellectu antepredicamentalium diuiſionum, quarum quæ ſit vtilitas, in ſubſequentibus fit manifeſtum.

De prima regula anteprædicamentali.

CAPVT XIII.

POST tres definitiones & duas diuiſiones, duas adhuc regulas ante predicamentorum tractatum premittit, quarum prior hæc eſt.

Prima regula.

Quando alterum de altero prædicatur vt de ſubiecto quæcunque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicuntur.

Huius regulæ ſenſus eſt. Quando alterum de altero prædicatur eſſentialiter, quicquid de illo prius predicatur eſſentialiter vt de ſubiecto poteſt prædicari, omne illud neceſſariò debet etiam de primo ſubiecto prædicari. Vt verbi gratia, animal de homine prædicatur eſſentialiter, dicendo, homo eſt animal. De animali verò prædicatur eſſentialiter corpus animatum, dicendo, animal eſt corpus animatum. Propter hoc & corpus animatum de homine primo ſubiecto, debet verè atque eſſentialiter prædicari, dicendo, homo eſt corpus animatum. Signanter dictum eſt, quando alterum de altero prædicatur eſſentialiter vt de ſubiecto, ac deinde iterum repetitur eſſentialiter, dicẽdo quæcunq; de eo quod prædicatur, eſſentialiter dicuntur: quoniam non niſi in prædicationibus eſſentialibus habet hæc regula certam veritatem. Id quod manifeſto probatur exemplo, illic etiam vbi prior prædicatio eſſentialis erit. Homo nanque eſſentialiter

ter de Ioanne prædicatur, dicendo, Ioannes est homo. De homine verò prædicatur (sed accidentaliter non essentialiter) humilis, bonus, sanctus, dicendo, homo quidam est sanctus & iustus & bonus. Hinc tamen non licebit inferre prædicata illa dici de primo subiecto nempe Ioanne, qui forsitan totus est improbus.

Quanquam autem hoc in loco regulam istam constituēs Aristoteles non intenderit argumentationū formam describere, eò quòd hic non sit argumentationū locus, sed tractatus vocum simplicium, certum est tamen, ex vigore & virtute eius validas sumi posse argumentationes, eásq; sub duplici forma. Prius quidem per propositiones (quas vocant neoterici de actu signato) ad hunc modum: Homo prædicatur de Ioanne, & animal prædicatur de homine. consequēs igitur est, animal prædicari de Ioanne, vbique intellige essentialiter. Secundo per propositiones (quas appellant de actu exercito) ad hunc modum, Ioannes est homo, & homo est animal, est igitur Ioannes animal. Intellige item vbique essentialiter. Sic in accidentibus, humilitas est virtus, virtus est habitus, humilitas ergo habitus.

Non est tamen bona hæc argumentādi forma, sed ratione tantum materiæ valent istæ iam factæ argumētationes: quoniam videlicet ex materia conficiūtur certa, nempe prædicationū essentialium: vbi si alia acciperetur materia prædicationum videlicet accidentalium, seruata penitus eadem argumentandi forma, malè cōcluderet argumentatio, quēadmodum est suprà exemplo monstratū. Si verò modū hūc argumentandi volumus ad bonā formā redigere, ita vt ipsa forma argumentandi valeat quacūq; acceptata materia, vtpote tam in accidētalibus, quā in essentialibus prædicationibus, nihil opus est nisi secūdam prædicationem vniuersalē accipere: ita videlicet vt terminus ille, qui in prima prædicatione prædicatur de altero, in secūda vbi subiicitur, cum vniuersali signo sumatur. Sic enim erit bona & infallibilis argumētādi formula ad hūc modū: Ioānes est homo, omnis autē homo est animal, est ergo & Ioānes animal. In accidentalibus prędicationibus similiter argumētare: Ioānes est homo, omnis autem homo est iustus ac probus, ergo Ioānes iustus est ac probus. Hanc formā argumentandi nemo calumniari potest. Non enim poterit simili forma argumētā-

di retenta, vlla argumẽtatio mala inueniri in qua posit antecedens dari verũ sine consequente. Hoc etiã seruato, quòd si prima propositio fuerit particularis, inferatur conclusio similis. Nã si prima propositione existente particulari, cõclusio inferretur vniuersalis, mala esset forma, tãetsi forsitã interdum ratione materiæ valeret argumentatio. Vt si quis ita argumẽtaretur. Animal est homo, & omnis homo est rationalis, igitur omne animal est rationale. nihil valet forma eiusmodi, quoniam manifestũ est illic antecedẽs esse verũ, consequente existẽte falso, quod in bona argumentatione fieri non potest. Argumẽtationes autem quæ ex vi huius regulæ formantur à disputantibus, interdum ab ipsa regula solent appellari argumẽtationes primæ regulæ anteprædicamentales, vel per primam regulam anteprædicamentalẽ factæ, eò quòd suam bonitatem sumãt ex vi huius regulę secũdum debitum modum intellectæ, iuxta quod suprà expositũ est. Interdum appellantur argumẽtationes à primo ad vltimum eò quòd in conclusione tandem fiat redditus ad coniungendum vltimũ prædicatum eius propositionis, quæ in antecedẽte fuit vltima, cum subiecto primæ propositionis.

Fitq; frequenter hæc argumentatio multiplex, ita vt vna in se multas concludat. Exempli gratia, cum ita argumẽtor, Ioannes est homo, homo est animal animal est corpus animatum, corpus animatũ est corpus, corpus autẽ est substãtia, Igitur Ioannes est substantia. Vel secundũ formam bonam, hoc modo. Ioãnes est probus, omnis probus credit in Deũ, omnis credens in Deum est gratus Deo, omnis Deo gratus est filius regni, Igitur Ioannes est filius regni. Hiusmodi autem argumentationes propriæ appellãtur à primo ad vltimum, in quibus sic per multas prædicationes fit transitus. Omnes autem huiusmodi argumentationes, etiã quæ fiunt ex non essentialibus prædicationibus, ex vi regulæ huius accipiũt robur, si ita intelligatur. Quæcũq; de eo quod prædicatur dicuntur vniuersaliter, si ita tantũ addicũtur addatur vniuersaliter. Manifestũm tamẽ, Aristotelem non esse locutũ nisi de essentialibus propositionibus, neque à proposito hic tradere voluisse vllam argumentandi formã. Quare hæc tãquã à proposito nostro extranea, omittamus prosequi longius, inq; syllogismorum librum (vbi proprius est eorum locus) plenius tractandæ argumentationum formæ

fer

seruentur. Pauca tamen hæc quæ iam dicta sunt, hoc in loco breuiter tractare voluimus, ne multis disputatoribus celebrem hunc argumentandi modum, qui secundum regulam istam sumitur, prorsus non attigisse videremur.

Secunda regula antepræd icamentalis. CAP. XIIII.

Secunda regula.

Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ. Subalternorum verò genera nihil prohibet eadem esse differentias.

Vbi primo notandum est, in exemplaribus vulgatis hanc regulam corruptè legi. Sic enim passim legitur. Diuersæ sunt species & differentiæ, vt & coniunctio copulet inter species & differentiam, tanquam inter duos nominatiuos. Ex originali autem Græco textu manifesta inuenitur corruptio. Sic enim habet. Τ ἑτερογενῶν τὴ μὴ ὑπάλληλα τεταγμένων ἑτέραι τῶν εἴδει καὶ διαφοραί. Hoc est. Diuersorum generum & non sibiinuicem positorum, diuersæ specie, vel secũdum speciem sunt etiam differentię. Atq; ita legit Boëtius, tam in commentariis, quàm in textu interposito. In textu enim sic legit, Diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt specie differentiæ. In Commentariis autem sic legit, Diuersæ sunt secundum speciem. &c. Commẽtator quoq; Auerrois, locum istum exponens sic ait: Genera diuersa & non subiecta vel ordinata, alia sub aliis, differentias habent diuersas in specie. Arbitror autem hanc corruptionem literę factam esse à non intelligentibus, quibus mirandum videbatur, dicere, differẽtias specie diuersas. Quãquã nõ est in hoc difficultas permagna. Dicimus enim differẽtias diuersas secundum speciem, quæ species diuersas constituunt, sicut differentias diuersas genere, quæ constituunt diuersa genera.

Habet autem hæc regula Aristotelica duas partes. Prior est. Diuersorum generum, & nõ subalternatim positorum, id est, quorum neutrum ponitur sub altero, esse etiam diuersas differentias. Id declarat exemplo, in animali & scientia, quæ manifestum est genera esse non subalternatim posita, quoniam nec animal sub sciẽtia, nec sub animali scientia ponitur. Habent autẽ differẽtias diuersas. Animal enim habet

differẽtias per quas diuiditur, gressibile, volatile, bipes, aquatile. Volatile namq; sub animali cõstituit auẽ, aquatile piscem, sicut reptile serpẽtẽ: & ob hoc quod sic sub eodẽ genere diuersas species constituũt, rectè dicuntur differẽtię secũdum speciem diuersæ. Scientia verò non illas easdem habet differẽtias. Non enim sciẽtia diuiditur in grebisibilẽ, volatilem, aquatilem, aut bipedẽ, sed potius in sermocinalem, rationalem, & moralem. Ita in eodẽ prædicamento substãtiæ, corpus animatũ & corpus inanimatum, duo genera nõ subalternatim posita habẽt diuersas differentias, per quas diuidũtur. Nã corpus animatũ diuiditur per sensibile & insensibile, corpus inanimatum verò diuiditur in cœleste & elementare. Loquitur autem Aristoteles, in hac parte priori de differentiis diuisiuis, id quod ex ipsius declaratione exemplari facilè patet. Loquendo enim de differentiis constitutiuis superioribus, sic generum etiam non subalternatim positorum eædem possent assignari differentiæ. Vt verbi gratia, animal & planta genera sunt non subalternatim posita: quoniam nec animal sub planta ponitur, nec ecotrario planta sub animali, sed sub eodem genere corpus animatum ex æquo sunt posita, vt species proximæ. Habent tamen easdem aliquas differentias superiorem constitutiuas sibi communes, nempe animatum & corporeum. Veruntamen de constitutiuis propriis generum differentiis loquendo, id foret impossibile, vt duo genera non subalternata easdem haberent differentias, vel eandem differentiam constituentem vtrumq; genus. Proximas enim & proprias generum diuersorum constitutiuas differentias oportet diuersas esse, quemadmodum in prædicabilium libro plenissimè tractatum est. Secunda pars regulæ ita habet: Subalternorũ generum nihil prohibet easdem esse differẽtias. Vbi primo nõ tãdũ est genera subalterna hîc accipi pro subalternatim positis. Simpliciter enim genera subalterna, vt in libro prędicabilium definita sunt, differũt à subalternatim positis, cũ possint assignari subalterna genera quæ nõ sint subalternatim posita. Vt verbi gratia, animal & plãta sunt genera subalterna, quemadmodũ ex prædicabilibus liquet, non sunt tamen hic subalternatim posita, quoniã neutrũ ponitur sub altero. Horum ergo generũ subalternorũ siue subalternatim positorum, nihil prohibet (inquit Aristot.) easdẽ esse differẽtias.

Quod

Quod ita declarat, quoniam superiora semper de inferioribus prædicantur: atq; ob hoc quæcunq; erunt differentiæ prædicati, easdem & inferiori subiecto cõuenire secundum prædicationem, iuxta priorem regulam. Quando alterũ de altero &c. In qua parte, dũ ita loquitur: Nihil prohibet easdem esse differentias. indicat, non omnes necessariò differẽtias easdem esse eorum quæ subalternata sunt, posse tamen aliquas esse easdem. Atq; ita sanè res habet. Nam auis, & animal genera sunt subalternata, quæ aliquas differentias habent easdem, sed non omnes. Gressibile nanq;, volatile, aquatile, reptibile, bipes, omnes sunt differẽtiæ animalis: auis autem tantùm vna harum differentia, nempe volatile, quæ auis est constitutiua. Non igitur omnes differentiæ in his subalternatis generibus sunt eædem. Aliquæ tamen eædem inueniuntur. Primum, illa quæ est animalis diuisiua & auis constitutiua, est vtriusq; differentia, licet diuerso modo, illius nempe diuisiua, & huius constitutiua. Deinde, ea quæ immediatè constituit animal, nempe sensibile, aliquo modo vtriusq; est differẽtia. Sicut enim est animalis immediatè constitutiua, sic auis, quod sub animali ponitur, est constitutiua mediatè: & de aue essentialiter vtiq; prædicatur, sicut de animali. Ita & de omnibus aliis differentiis superioribus dicendum. Nulla enim differentia constitutiua, neque mediata, neque immediata alicui generi conuenit, quæ non simul omnibus etiam conueniat sub ipso positis. Ac de his quidem constitutiuis differentiis intelligere se posteriorem istam partem monstrat Aristoteles, cùm declarando subiungit: Superiora de inferioribus prædicãtur. Quare quæcunq; fuerint prædicati differentiæ, erunt eædem & subiecti. In diuisiuis nanq; id manifestã haberet falsitatem. Quamuis enim animal de homine prædicatur, vt de subiecto: nõ tamen quæcunq; sunt diuisiuæ prædicati, eædem erunt & subiecti. Generum itaq; subalternatim positorum, nihil prohibet esse easdem differentias, sed nõ necesse est omnes esse easdem. His ergo de anteprædicamentis vtcunque tractatis, & qualiacunque claritate elucidatis, ad præcipuum prædicamẽtorum tractatum alacres transeamus, illo prius admonito, ne istam nostram in anteprædicamentis hisce qualemcunque prolixitatem, quasi superuacaneã, aut superstitiosam lector morosus ægrè accipiat. Solet enim nimia in fundamentali

talibus initiis quæsita breuitas, ita se vlciſci, vt poſtmodum in præcipuo negotio, vel obſcuritate confundat omnia, vel moram duplo tardiorem adducat. Ac proinde hanc noſtram in initiis ínque præparamentis præcipui negotij moram, aliquanto longiorem, in ſubſequentibus magno lucro nobis futuram ſperamus.

De enumeratione decem prædicamentorum.

CAPVT XV.

INCIPIENS Ariſtoteles de prædicamentis tractatum primo diuiſionem conſtituit, in qua prædicamenta ſingula enumerat. Ea eſt hæc.

Diuiſio prædicamentalis.

οὐσία.
ποσόν.
ποιόν.
πρός τι.
ποιεῖν.
πάσχειν.
πῦ.
πότε.
κεῖσθαι.
ἔχειν.

Eorum quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, ſingulum aut ſubſtantiã ſignificat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut ſitum eſſe, aut habere, aut facere, aut pati.

Vbi dum pro diuiſo conſtituit ea quæ dicuntur manifeſtè indicat, de vocibus ſe loqui, ſicut & in eo quod ſequitur, ſingulum aut ſubſtantiam ſignificat &c. Vocabuli quippe eſt ſignificare, ſicut rei eſt ſignificari. Dat quoq; exempla ſingulorum membrorum per ordinem. Eſt autem ſubſtantia (inquit) vt homo, equus: quantitas, vt bicubitum, tricubitum: qualitas, vt album grammaticũ: ad aliquid, vt duplum, dimidium: vbi, vt in foro eſſe, vel in lycio: quando, vt heri fuiſſe, aut cras fore: ſitum eſſe, vt ſedere, iacere: habere, vt calceatũ eſſe vel armatũ: facere, vt ſecare, vrere: pati, vt ſecari, vri.

Enumerantur autem hęc decẽ genera maximè quantum ad accidentia, vel in concreto, vel in abſtracto. In abſtracto ſic, quantitas, qualitas, ad aliquid ſiue relatio, vbi ſiue in loco exiſtentia, quando ſiue in tempore exiſtentia, ſitus, habitus, actio, paſſio. In concreto verò ſic enumerantur: Quantum, quale, ad aliquid ſiue relatiuum, vbi ſiue in loco eſſe, quando ſiue in tempore eſſe, ſitum eſſe, habere, agere, pati. Eſt autem hæc diuiſio ſiue potius enumeratio decem primorum generum ſufficiens, quoniam neque ſuperfluit, neque deficit vllum membrum. Nec enim aliud genus poterit inueniri, quod his decem primis adiiciatur, neque ex enumeratis aliquod rectè ſubtrahi poterit.

De

De substantia in speciali. CAP. XVI.

INTER omnia prædicamenta, meritò primum obtinet locum substantia: quoniam cætera omnia sunt accidẽtium prædicamẽta. Substãtia autem, accidente est dignior, vt pote quæ ipsum debeat sustentare, & quia accidentia omnia propter substantias sunt, ad eas videlicet ornandas atq; perficiendas. Inter substantias autẽ distinguit Aristoteles, quasdam vocans primas substantias, alias autem secundas. Primas substantias (vt figuraliter dicamus) appellat substantias indiuiduas siue singulares, id est, indiuidua prædicamenti substantiæ, Ioannem, Petrum, hunc equum, illum asinum. Secundas autem substantias appellat substãtias communes siue vniuersales, id est, genera & species prædicamenti substantiæ: vt homo, equus, asinus, animal, & huiusmodi, sunt secundæ substantiæ. Definitio autem siue descriptio, quã Aristoteles assignat primæ substantiæ, hæc est.

Substantia quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, est, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est. Definitio primæ substantiæ.

Quæ definitio siue descriptio, duas in se includit. Prior in periphrasi, quæ ponitur à parte definiti innuitur, nempe ista prima substantia est, quæ propriè, principaliter, & maximè substãtia dicitur. Posterior hæc est, Prima substãtia est, quæ neq; de subiecto dicitur, neq; in subiecto est. In priore explicatur ratio nominis, quare videlicet substãtia singularis dicatur prima substantia. In posteriore ex iis quæ prius dicta sunt notificatur, quæ appellandæ sunt primæ substãtiæ.

Quantum itaque ad priorem illam descriptionem, sciendum est, tres illas particulas, propriè, principaliter, & maximè, accipi posse pro eodem, vt ad maiorem rei declarationẽ tria illa vocabula adinuicem sic dicantur coniuncta. Nam id frequenter iis qui aliquid intellectu difficile explicare laborant, euenire solet, vt ita per coniunctionem copulatiuam plura vocabula adinuicem connectant, vt quod vno minus sufficienter, aut non satis lucidè potest explicari, saltem per plura dicatur lucidius. Secundum hanc ergo sententiam propriè substare, aut substantiã esse, nihil est aliud quàm substare principaliter, & hoc iterum nihil est aliud, quàm

quàm ſubſtare maximè. Quare autem primæ ſubſtantiæ dicantur maximè ſubſtare, aut eſſe maximè ſubſtantiæ, ratio eſt, quia plus omnibus ſunt ſubiectæ, & plus omnibus ſubſtant. Quæ autem magis ſunt ſubiectæ aut amplius ſubſtant, meritò magis ſubſtantiæ dicũtur: & quæ maximè ſunt ſubiectæ, meritò maximè ſubſtãtiæ dicuntur. Quòd autem primæ ſubſtantiæ plus omnibus ſubſtant aut ſubiectæ ſunt, ita declaratur: quoniam omnia vel in ipſis ſunt, vel de ipſis dicuntur. Omnia quippe accidentia, tam communia, quàm ſingularia, ſingularibus ſubſtantiis inſunt, vt in ſubiectis. Omnes verò ſubſtantiæ vniuerſales, de primis ſubſtantiis eſſentialiter vt de ſubiectis prædicantur. Sunt igitur primæ ſubſtantiæ, & ſubiectæ omnibus accidentibus accidentaliter, & ſubiectæ omnibus ſecundis ſubſtantiis eſſentialiter.

De accidentibus ſingularibus, id eſt, manifeſtum ad oculum, quoniam omnis color eſt in aliquo corpore, omnis item magnitudo, omnis qualitas, in aliqua ſingulari debet eſſe ſubſtãtia, vt in ſubiecto. De accidentibus vniuerſalibus, ex cõſequenti idem patet, quoniã accidẽtia vniuerſalia ſunt in ſingularibus accidẽtibus eſſentialiter. Sicut ergo accidentia ſingularia ſunt in ſubſtãtiis primis accidẽtaliter, ita & accidẽtia cõmunia, quæ non poſſunt nõ eſſe vbi ſunt ſingularia. De ſubſtantiis quoq; vniuerſalibus manifeſtum eſt, quomodo eis ſunt primæ eſſentialiter ſubiectæ: quoniam de primis ſubſtantiis ſecundæ prædicantur eſſentialiter, vt ex libro prædicabilium notum relinquitur. Meritò ergo ſubſtantiæ ſingulares peculiariter veniunt appellandæ primæ ſubſtantiæ, eo quòd maximè ſubſtent, & maximè ſubiectæ ſint.

*** Seuerinus autẽ Boëtius, tres illas ſuprapoſitas particulas, propriè, principaliter, & maximè, ſubtili conſideratione diſtinguit. Propriè nanq; ſubſtantias ait dici ſubſtãtias ſingulares, eo quòd ſenſui primum ſubiectæ ſint, & propriè atque immediatè cognoſcantur per ſenſum: ac deinde ex ipſis prẽcognitis acquiritur cognitio vniuerſalium ſubſtantiarum. Quemadmodũ videlicet ſenſui primum proponitur & offertur Ioãnes, Petrus, Paulus, hic equus, ille equus, ac deinde ex his elicitur cognitio animalis, hominis & equi: ex quibus deinde elicitur cognitio animalis, atq; ita ſemper aſcendendo in ſuperiora, de quo modo cognoſcendi per abſtractionem vniuerſalia ex ſingularibus, ſuo loco plenè determinauimus,

uimus, in libris de consideratione rerum naturalium, lib. 11. de intellectu, cap. 11. & 12. Principaliter verò substantias appellari dicit, eo quòd omne accidens prius insit substātiæ singulari, quàm vniuersali, vt quasi secundo loco in vniuersale veniat. Exempli gratia, color quilibet primum & immediatè est in hoc aut illo homine, & secundariò est in homine. Sic & per prædicationem, prius dicitur hic homo esse albus aut doctus, ac posterius quasi ex consequenti dicitur homo esse albus aut doctus, nimirum quia hic vel ille homo est albus aut doctus. Idcirco enim de substantia vniuersali dicitur accidens, quia de prima aliqua secundam illam includente dicitur. Rectè igitur (inquit) quod prius subiectum est, principaliter substantia dicitur. Maximè autem substantiam appellari dicit eadem ratione quam suprà nos assignauimus, nimirum quia maximè subiecta est rebus aliis: quoniam omnia aut de primis substantiis dicuntur, aut in ipsis sunt, vt iam antè declarauimus.

De secundis substantijs. CAP. XVII.

Secundas substantias ita definit Aristoteles.

Secundæ substantiæ dicuntur species in quibus illæ quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt: hæ quidem & harum specierum genera. *Definitio secundarū substātiarum.*

Cuius definitionis hic est sensus. Secundæ substātiæ dicūtur species illæ, in quibus insunt, id est, sub quibus cōtinētur essentialiter illæ quæ dicūtur principaliter substātiæ, id est, substantiæ singulares: & nō solum species earum immediatè, sed etiā genera illarū specierum. Vt homo & equus sunt secundæ substantiæ: quoniam sunt species in quibus sunt, & sub quibus continētur essentialiter primæ substantiæ. In homine enim vel sub homine, essentialiter continētur hic homo, ille homo, & cætera omnia indiuidua hominis. Sic in equo vel sub equo sunt, iste equus, ille equus, & cętera omnia equi singularia. Capitur autem hîc, esse in, secundū eum modū, quo inferius esse dicitur in suo superiori: vtputa indiuiduū in sua specie, & species in suo genere. Ne verò putemus solas species specialissimas proximas indiuiduis esse secūdas substātias, adiungit: Hæ quidem & harum specierū genera. Qua adiectione indicat, omnes substantias vniuersales dici secun

secundas substantias: quoniam omnes substantiæ vniuersales, quæ non sunt species specialissimæ, sunt genera aliquarum specierum, quas sub se, siue in se comprehendunt.

Quare autem istæ dicantur secundæ substantiæ, facile quiuis potest intelligere, cõtraria nimirum ratione ad eam quæ de primis substantiis est reddita. Secundæ enim substantiæ meritò dici debent, quibus aliæ sunt priores substantiç. Dici quoque possunt substantiæ minus propriè, minus principaliter, & minus substantiæ, comparatione ad primas substantias, iuxta suprapositam Boëtij declarationem. Minus propriè quidem, eo quòd posterius cognitioni hominis subliciantur, vtpote quarum cognitio non nisi ex primis substantiis posit elici. Minus principaliter verò, quoniam accidentia eis posterius insunt, prius autem individuis. Simpliciter autem dicuntur minus substantiæ, quoniam non tantùm subiectæ sunt, quantum primæ. siquidem substantiæ omnibus subiiciuntur quibus secundæ fuerint subiectæ, & cætera ipsis subiiciuntur secundis: propter quod, nemo dubitat primas esse magis & maximè subiectas.

Ponuntur quædam regulæ ad cognoscendum, inter secundas substantias, quæ sint magis substantiæ.

CAPVT XVIII.

*** QVANQVAM autem genera omnia & species prædicamenti substantiæ dicantur communi nomine secundæ substantiæ, sunt tamen inter eas aliæ aliis magis substantiæ, quædam autem æqualiter substantiæ dicuntur. Pro cuius rei intellectu, notandæ sunt duæ regulæ, quas ponit, & declarat Aristoteles. Prior hæc est.

Regula de secũdis substantijs.

Secundarum substantiarum, species magis est substantia quàm genus.

Cuius sensus est, inter secũdas substantias magis propriè, magis principaliter, & simpliciter, magis substãtias dici species, quàm ipsarũ genera. Vt homo & equus, magis sunt substãtiæ, quàm animal: itẽ pomus & pyrus, magis sunt substantiæ, quàm arbor aut planta. Declaratur hæc regula dupliciter. Primò sic, Illud quod est magis propinquũ primæ substãtiæ, meritò debet dici magis substãtia, quàm quod est magis elongatũ ab ea: quoniã in vnoquoq; genere, id quod magis appropinquat maximè tali, est magis tale, quàm id quod

long

longius abeſt. Species autem viciniores ſunt primis ſubſtãtiis, quàm ipſarũ genera. Rectè ergo magis ſubſtantiæ ſunt dicendæ. Secũdo idem declaratur: Primæ ſubſtantiæ dicũtur maximè ſubſtantiæ, eò quòd maximè ſint ſubiectę, nẽpe omnibus accidentibus, & omnibus ſecũdis ſubſtantiis. Cum ergo ſpecies ſint magis ſubiectæ quàm ſua genera, vtpote quæ ſubiectæ ſint omnibus quibus genera ſubiiciuntur, ac præterea ipſis generibus, cõſequens eſt, ſpecies dici magis ſubſtantias quàm ſua genera. Sicut enim ſe habent primæ ſubſtantiæ ad ſecũdas ſubſtãtias, ita ſpecies ad omnia genera ſuprapoſita. Quomodo autẽ ſuprà ex Boëtio declaratũ ex de prima ſubſtantia, dici eã propriè ſubſtantiã, & principaliter, & maximè, ſic per ordinẽ diſtinctè tria iſta accommodando ſpeciei in cõparatione ad genus declarari poteſt, ſpeciẽ magis propriè, magis principaliter, & ſimpliciter magis ſubſtantiã dici, quàm ſuũ genus. Magis propriè, quoniã propinquius obiicitur ſenſui ſpecies quàm genus, id eſt, vicinior eſt cognitio ſpeciei cognitioni primæ ſubſtantiæ, ex qua immediate elicitur, quàm cognitio generis quę ex ſpeciebus diuerſis elicitur. Magis itẽ principaliter, quoniã prius accidens venit in ſpeciẽ, quàm in genus. Sicut enim prius dicimus hunc hominem eſſe doctũ, ac poſterius hominem doctũ eſſe, ita prius dicimus hominem eſſe doctum quàm animal. Simpliciter quoq; magis ſubſtãtia dicitur ſpecies quàm genus, quoniam omnibus ſubſtat ſpecies quibus genus, ac præterea ipſi generi: qua parte genus in ſubſtando excedit.

In prædicta autẽ regula, cùm de ſpecie loquimur, non ſolum ſpecies ſpecialiſsimas intelligimus, ſed generaliter omnes ſpecies ſubiicibiles, in comparatione ad ſua genera. Quemadmodũ enim homo eſt magis ſubſtantia quàm animal, ſic animal eſt magis ſubſtantia quàm corpus animatũ, corpus animatum verò eſt magis ſubſtãtia quàm corpus: & genus ſubſtantia, cũ ſit generaliſsimum eſt minus ſubſtantia quàm corpus. Quemadmodũ enim infima prędicamẽti ſubſtantiæ, nempe indiuidua dicuntur primæ ſubſtantiæ: ita per oppoſitum, ſupremũ genus dici debet vltima ſubſtãtia, quoniam minimè ſubiacet aut ſubſtat. Nam ſolis ſubiacet accidẽtibus, nulli autẽ ſubſtantiæ: cætera omnia genera & ſpecies & indiuidua ſub ipſo poſita, ſubiecta ſunt etiã ſubſtantiis, quædã quidẽ omnibus vniuerſalibus, vt indiuidua: quę-

dam pluribus, vt ſpecies, quædam paucioribus, vt ſuperiora & generaliſsimo viciniora genera. Sicut enim ſecundæ ſubſtantiæ, quantò viciniores ſunt primæ, tantò dicũtur magis ſubſtantiæ, ita quantò viciniores ſunt generaliſsimo, tantò ſunt minus ſubſtantiæ tantò minus propriè & minus principaliter ſubſtantiæ dicuntur. Poſterior regula, quam ponit Ariſtoteles de ſecundis ſubſtantiis hæc eſt:

Altera regula.

Specierum, quæ non ſunt genera, vna non eſt magis ſubſtantia, quàm alia.

Hoc eſt ſpecies ſpecialiſsimæ, quæ ſolùm ſpecies ſunt & nõ etiam genera, ſunt æqualiter ſubſtantiæ, non alia magis alia. Cuius ratio eſt, quoniã illarum alia non eſt magis ſubiecta quàm alia, neq; illarum alia eſt propinquior primę ſubſtantiæ, quàm alia. Omnes enim ſpecies ſpecialiſsimæ ſunt æquè propinquæ ſuis indiuiduis: proximæ nimirũ & immediatæ. Quomodo ergo primarum ſubſtantiarũ nulla dicitur magis ſubſtãtia quã altera: ſed omnes ſimpliciter primæ dicũtur, quoniam æquè omnes ſubiectæ ſunt omnibus quæ de ipſis dicuntur, vel quæ in ipſis ſunt, ita ſpecies earũ proximæ æqualiter omnes ſubſtantiæ ſunt dicendæ. Secus verò dicendũ eſt, de ſpeciebus illis, quę ſunt etiam genera, ſiue de ſpeciebus ſubalternis. Illarum nanque alia poteſt eſſe alia magis ſubſtantia vel minus. Vt animal eſt magis ſubſtantia, quàm corpus, & corpus magis, quàm ſubſtantia.

De conditionibus, ſiue communitatibus, & proprietatibus ſubſtantiæ. CAP. XIX.

AD pleniorem ſubſtantiarum cognitionem, ponit Ariſtoteles quaſdam conditiones ſubſtantiarum. Ex quibus earum natura perfectius cognoſci poterit: id tamen quod vltimo loco ponit, ſolùm appellat proprium, cætera autem non omnino propria audet appellare. Tametſi enim in prædicabilibus diſtinxerimus proprij quatuor modos: ſolus tamen quartus modus verè & perfectè proprij meretur appellationem. Vnde quia nulla earum conditionum, quas hic poſiturus eſt Ariſtoteles, conuenit ſubſtantiæ conuertibiliter, id eſt, omni & ſoli ſubſtantiæ, & ſemper (ſed aliqua tantum ſoli & non omni, alia omni, ſed non ſoli) eo excepto quod vltimo loco ponendum eſt, id-

circo

circò hoc ſolum audet ſubſtantiæ proprium nominare. Cætera autem dicit ſubſtantiis conuenire, vel ineſſe, vel communia eſſe, non autem dicit ea eſſe ſubſtantiæ propria.

Prima igitur proprietas hæc eſt.

Commune eſt omni ſubſtantiæ in ſubiecto non eſſe. *Prima proprietas ſubſtantiæ.*

Id manifeſtè probatur per inductionem: quoniã omnis ſubſtantia, prima eſt vel ſecunda. Sed neq; prima, neq; ſecũda ſubſtantia vlla in ſubiecto poteſt eſſe, igitur cõmune eſt omni ſubſtantiæ, in ſubiecto non eſſe. Quod autem prima ſubſtantia non ſit in ſubiecto, manifeſtum eſt: quoniam hic homo & hic equus in nulla re exiſtũt vt in ſubiecto, ſed ipſa potius ſunt accidentium ſubiecta. Quid autẽ ſit eſſe in ſubiecto, ex iis quæ dicta ſunt in ſecunda diuiſione anteprædicamentali, notũ relinquitur. De ſecunda autem ſubſtãtia, forſitam magis videri poſsit, quod in ſubiecto aliquo ſit, eò quòd de primis ſubſtantiis prædicetur. Secundũ veritatem tamen, non amplius ſecunda ſubſtantia quàm prima, alicui ſubiecto poteſt ineſſe. Licet enim ſecunda ſubſtãtia prædicetur de prima, id fit eſſentialiter, tanquã de ſubiecto eſſentiali. Vnde nõ conſequitur ſecundam ſubſtantiam in prima eſſe accidentaliter, vt in ſubiecto accidentali. Propter quod, ſuprà dictũ eſt, ſecundas ſubſtantias contineri ſub membro illo. Quædã dicuntur de ſubiecto, & non ſunt in ſubiecto.

Præterea, nullum vniuerſale poteſt eſſe in aliquo ſubiecto, niſi ſecundũ aliquod ſuũ ſingulare inſit eidem. Vt exẽpli gratia, albedo eſt in ſubiecto ratione huius albedinis ſingularis, quæ eſt in ſubiecto eodem, & ſi nulla albedo ſingularis in ſubiecto fuerit, neq; poterit verè dici, albedinẽ eſſe in ſubiecto. Si igitur ſecunda ſubſtantia poſſet eſſe in ſubiecto, conſequens eſſet & primam ſubſtantiã in ſubiecto poſſe exiſtere, quod eſt ſenſui repugnans, ac prorſus impoſsibile. Eſt igitur omni ſubſtantiæ commune, in ſubiecto nõ eſſe.

Verùm iſtud licet communiter omni conueniat ſubſtantiæ, non tamen meretur dici proprium quarto modo ipſi ſubſtantiæ, eò quòd non ſoli conueniat ſubſtantiæ. Nam & differẽtiis ſubſtãtialibus conuenit, quæ in nullo ſunt ſubiecto. Nam ſi in aliquo eſſent vt in ſubiecto, id maximè videretur de conſtituta ſpecie ſiue genere. Sed de his id minimè

verum est, quoniã de his vt de subiectis essentialibus dicuntur. Quemadmodũ enim secundæ substantię genera & species, de primis dicuntur, vt de subiectis essentialibus, sic & differentiæ constitutiuæ de generibus & speciebus constitutis, atq; omnibus eorum indiuiduis dicuntur vt de subiectis, prædicatione vtique essentiali. Differentiæ autem substantiales, non sunt substantiæ, sed substantiarum tantum differentiæ. Primæ enim substantiæ esse non possunt, quoniam illæ secundis substant, quod non faciunt differentiæ. Secundæ quoq; nõ sunt substantiæ, quoniam illæ supra primas ponuntur, tanquam species earum vel genera, vt ex definitione secundarum substantiarum est manifestum, quòd substantialibus differentiis non conuenit.

Secunda communitas siue proprietas substantiæ.

CAP. XX.

Secunda proprietas substãtiæ.

INest secundis substantijs & differentijs vniuocè prædicari.

Hoc est, substantiis & differentiis substantialibus hoc est cõmune vt omnes prædicationes quæ ab ipsis egrediuntur, sint prædicationes vniuocæ, intelligẽdo de prædicationibus ordinatis. Quod declarans Aristoteles, primum à prædicatione excludit primam substantiam, dicens: A' principali, id est, singulari substantia, nullam exire prædicationẽ, eò quòd nihil habeat sibi subiectum, neque essentialiter, vt manifestum est, neque accidentaliter, quoniam in subiecto nullo est, vt ex præcedenti conditione liquet.

Maxima Aristotelica.

Debet autẽ hoc intelligi de prædicatione ordinata, qua secũdũ verum ordinẽ aliquid, vel in subiecto, vel de subiecto dicatur. Nam prædicatione quam identicam appellant, nihil prohibet primam substantiam prædicari. Vt cum dico: Ioannes est Ioannes, vel hic homo est Ioannes. Sic item prędicatione inordinata dicitur, homo est Ioannes. Hoc igitur supposito, quòd à prima substantia nulla exeat prædicatio, facile est ostendere, omnes prædicationes ordinatas, quæ egrediuntur à substantiis atq; differentiis substantialibus, esse vniuocas. Omnes enim prædicationes quæ à secundis substantiis egrediuntur, sunt speciei de indiuiduo, vel generis de specie aut indiuiduo. Quæ autem à differentiis substantialibus sumuntur, vel sunt differentiæ de genere cõstituto,

tuto, aut subiectis eius speciebus & indiuiduis: vel de specie cõstituta, aut eius indiuiduis. Omnes autem hæ prædicationes, sunt vniuocæ, quemadmodum planissime liquet ex iis quæ suprà in anteprædicamentis sunt dicta de prędicatione vniuoca. Verum est ergo, omnes prædicationes quæ à substantiis aut earũ differentiis sumuntur esse vniuocas.

Loquimur semper de ordinatis prædicationibus. (Inordinatas enim, philosophi non dignas reputant prædicationis nomine) Secundum inordinatam namque prædicationem non prædicantur vniuocè secundæ substantiæ, neque differentiæ. Nam si dixeris, animal esse hominem, aut rationale esse hominem, prædicationes istæ vniuocæ non sunt: sed si conuertas prædicationes illas, vt fiant ordinatæ, inuenies simul & vniuocas, dicendo homo est rationalis, homo est animal.

Tertia proprietas siue communitas substantiæ.

CAP. XXI.

Omnis substantia videtur hoc aliquid significare. *Tertia proprietas substãtiæ.*

Posuerat Aristot. duas conditiones substantiæ, quæ ideò propriè dici non poterant, quòd non soli substantię, sed etiã differentiis conuenirent. Nunc aliã ponit conditionẽ, quæ ob hoc non rectè dicitur substãtiæ proprium, quia secundũ veritatem non omni substantię conuenit, tametsi prima facie aliquo modo id videatur. Ait ergo, omni quidẽ substantiæ hoc esse cõmune, vt videatur hoc aliquid significare: attamen secundũ veritatem non omnem substantiam hoc aliquid significare. De prima enim substantia fatetur, secundũ veritatem eam significare hoc aliquid, id est, aliquã particularem, singularem, & indiuiduam substantiã. Vt vocabulum Ioannes hoc aliquid, id est, hunc hominem significat: & hic equus significat hoc aliquid, equũ particularem. De secunda autem substantia ait, videri eã significare hoc aliquid, secundũ appellationis figuram, id est, propter modum denominandi primas substantias, & appellandi per secundas substãtias. Vt quia Ioannem & Petrum dicimus esse hominem & animal, sicq; nominibus secundarum substantiarum appellamus primas substantias: hinc videtur secundũ apparẽtiam externam secundæ illæ substantiæ significare hoc ali-

quid,id est,singularē & indiuiduam substantiam.Verū non ita rem habere asserit,sed potius ipsas quale quid significare,id est,substantiā communem,siue naturam communem substantialem.Quod est intelligendum de primario & magis principali significato. Secundæ enim substantiæ primario & magis principaliter significāt quale quid,hoc est,vniuersalem substantiā siue naturā aliquam substantialē multis cōmunem,in qua videlicet conueniunt multa indiuidua aut plures species:minus principaliter verò & quasi secundario significāt hoc aliquid,id est,substantiam singularem: illa,scilicet indiuidua aut illas species,quę in illa natura cōmuni primario significatu cōueniunt.Significant enim secundæ substantiæ naturam illam cōmunem,tanquā essentialiter inexistentem aliquibus:atq; ita secundario etiā illa significant,quibus vt inexistens natura cōmunis significatur.Exempli gratia,vocabulum homo secunda substantia, significat primario naturam humanā,id est,naturam omnibus particularibus hominibus essentialiter communem, quam dicimus humanitatem:quia tamen non absolutè ac nudè naturam ipsam significat terminus homo,sed eam significat vt essentialiter inexistentem aliquibus,ob hoc secundario dicitur omnia illa quæ in natura humana conueniunt,significare,omnes videlicet indiuiduos homines.Sic animal,primario naturam omnibus animalibus communē significat,secundario autem omnia animalia. Quòd autē secundæ istæ substantiæ,homo animal,& similes,non significant solam vniuersalem substantiam,id est nudè ipsam cōmunem naturam,dupliciter ostēditur,ex cōparatione duorum horum terminorum,homo & humanitas,adinuicem. Primum namque manifestū est,duas istas dictiones differre in significando.Non videtur autem assignanda differentia alia,nisi quòd vocabulum humanitas nudè ipsam humanam naturam significat:homo autem significat ipsam naturam principaliter atq; primario,sed simul secundaria significatione omnia in illa natura communicantia:id quod etiam explicando vocem monstratur,quoniam homo tantundem valet atq; humanam naturam participans.Deinde,ipsa prędicatio significationem arguit.Nam quia terminus homo de singularibus substantiis prædicatur,dicendo:Ioannes est homo,Petrus est homo,consequens est,etiā singulares substan

stantias per ipsum significari. Absurdum namque foret prędicari aliquid de eo quod non aliquo modo significet.

Hinc itaq; declarat Aristoteles, quod à principio proposuit, secundas substantias nō significare hoc aliquid. Intellige principaliter, sicut primæ substātiæ principaliter hoc aliquid significāt, sed primariò significare quale quid, id est, naturam communem substantialem, quam tamē ita significāt, vt eam circa substantiam determinent, id est, tāquam particularibus substantiis inexistentem significent. Vnde consequitur, secundariò & minus principaliter, etiā secundas substantias significare, hoc aliquid siue substantiā singularem.

Ex quo etiam patet intellectus eius quod subiūgit de hac determinatione Aristoteles dicēs, Plus autem siue plurium in genere, quàm in specie determinatio fit. Dicens enim animal, plus complectitur, quàm dicens hominem. Quo verbo significatur, genus substantialem illam naturam quam significat genericam, circa plura determinare, quàm species naturam suam specificam determinet, hoc est (vt nostro more dicamus) genus plura secundariò significare, quàm ipsius speciem. Quod ita euidentissimè monstratur, quoniā species suam quam significat specificam naturam tantùm determinat circa sua indiuidua, significando naturam illam communem, vt omnibus illis singularibus inexistentem & omnia illa singularia indiuidua secundariò significando, vt in specifica ipsa natura essentialiter communicantia. Genus verò, genericam naturam quàm significat determinat, non solum circa indiuidua vnius speciei, sed circa plures species, & omnia earum indiuidua. Animal enim non solum singularia omnia vnius speciei, sed omnia singularia omnium suarum specierum secundariò significat, vt participātia animalis naturam, & ipsam naturam illam genericā principaliter significat, vt omnibus communē siue cōmunicabilem.

Quarta proprietas siue communitas substantiæ.

CAP. XXII.

Quarta proprietas substātiæ.

I*Nest etiam substantiis, nihil esse contrarium.*

Hoc est substantiis conuenit, non esse alicui cōtrariū, neq; cōtrarium vllum habere. Id patet tam in primis quàm in secūdis substantiis. Neq; enim hic homo vel hic equus aliquid habet contrarium, neq; etiam homo vel equus. Conue

Obiectio. nit proinde hæc conditio omnibus substantiis. Quod si quis obiiciat, ignem & aquam sibi inuicem contrariari, eo quòd ignis sit calidus & siccus, aqua frigida & humida. Respondetur, ignem & aquam per se non contrariari, sed tantùm per accidens. Illa autem dicuntur per se contraria, quę ex sua propria natura adinuicem contraria sunt, vt albedo & nigredo, calor & frigus, humor & siccitas. Illa autem per accidens, quæ non ex sua natura contrariantur, sed tantum ratione accidentium contrariorum sibi inexistentium. Sic ignis & aqua, quia qualitates in se cõtrarias retinẽt nempe calorem & frigus, siccitatem & humorem, idcirco per accidens cõtraria dici possunt, quemadmodum etiam homines duo, contrarias habentes opiniones, contrariari dicuntur per accidens, ratione earum quæ in eis sunt contrariarũ opinionũ: Per se autem nequaquam huiusmodi contrariantur. Conuenit igitur omni substantiæ, non esse vlli contrarium, neq; vllum habere contrarium. Verùm non soli substantiæ conuenit. Nam & quantitates contrarium non habent, vt duo, tria, nihil habent contrariũ, neq; bicubitũ, tricubitũ. Neq; hoc igitur potest dici substãtiæ propriũ secundum quartum modum, sed tantùm iuxta modum secũdum.

Quinta communitas vel proprietas substantiæ.

CAPVT XXIII.

Quinta proprietas substãtiæ. *VIdetur substantia non suscipere magis, aut minus.*

Hoc est, nullus terminus substantialis potest prædicari cũ aduerbio magis & minus, neq; vlla substantia realis aut res substantialis potest suscipere intentionẽ vel remissionẽ. Vt Ioannes nõ dicitur magis homo quã Petrus, neq; iste equus magis equus quã ille, neq; homo est magis animal quã brutum, atq; ita in cæteris. Natura enim substãtialis si specifica fuerit ex æquo participatur, non secũdũ plus & minus omnibus indiuiduis. Generica verò ex æquo omnibus speciebus acearũ indiuiduis. Ac proinde, nõ possunt termini naturas illas siue genericas, siue specificas significantes, prædicari de speciebus vel de indiuiduis, secundũ magis vel minus. Eadem ratione, facta comparatione ad seipsum non potest dici Ioãnes magis homo nunc quãm antè, quoniam nõ potest natura substantialis, secundum plus & minus, pro diuersis

tem

temporibus communicari ſpeciei, vel indiuiduo. In qualitatibus autem inuenitur prædicatio ſecũdum magis & minus, ſiue comparando adinuicem diuerſa, ſiue idem ad ſeipſum ſecundum diuerſa tempora. Vt Ioannes eſt magis albus, vel magis doctus, vel magis iuſtus Petro. Imo idem homo nunc eſt magis, aut minus doctus vel iuſtus, quàm antè fuerat. Obiecto. Quod ſi quis obiiciat, ex his quæ prædicta ſunt: Auditæ ſunt primæ ſubſtantiæ dici magis ſubſtantiæ quam ſecundæ, ac rurſum inter has dictæ ſunt ſpecies magis eſſe ſubſtantiæ quàm genera. Videtur ergo ſubſtantia ſuſcipere magis & minus. Hoc ita diſſoluit Ariſtoteles, non Soluitio. negans vnam ſubſtãtiam magis dici ſubſtãtiam quàm alteram, quemadmodum dictum eſt primam ſubſtantiã eſſe magis ſubſtantiam quàm ſecundam, ſed vnũ quodq; dici ſecundũ hoc ipſum quod eſt, nõ dici magis & minus. Vt ſi aliquid eſt homo, ipſum nõ eſt magis homo altero, neq; ſeipſo. Sic id quod animal eſt vel corpus, nõ eſt magis animal vel magis corpus. Hoc eſt genera & ſpecies prædicamenti ſubſtãtię nõ prædicari de ſibi ſubiectis indiuiduis aut ſpeciebus, ſecundũ magis & minus. Ad plenioré autẽ & clariorem huius difficultatis diſſolutionẽ, ſolent diſtinguere duplicẽ ſignificationẽ huius vocabuli ſubſtãtia. Dicunt enim ſubſtantiam dici, vel à ſubſtando, vel à ſubſiſtẽdo. Subſtãtia vt à ſubſtãdo dicitur, relatiuũ eſſe videtur. Dicitur enim aliquid hoc modo ſubſtãtia, in reſpectu vel cõparatione ad alterum, vt primæ ſubſtantiæ dicũtur ſubſtãtiæ, in reſpectu ad ſecũdas quibus ſubſtant, & in reſpectu ad accidentia, quibus itẽ ſubſtãt. Secundæ quoq; ſubſtantiæ, ſimiliter dicũtur ſubſtantiæ reſpectu ſuperiorum generum & accidẽtiũ, vt ſuprà declaratum eſt. Ita accipitur ſubſtantia, cùm diuiditur in primã & ſecundam. In hac autem ſignificatione nõ eſt terminus iſte, ſubſtantia generaliſsimum genus prædicamenti ſubſtantię. Cùm enim relationẽ ſignificet, quî fieri poteſt, vt ſuprà ponatur terminis abſolutam naturam abſq; omni relatione ſignificantibus? Cuiuſmodi ſunt omnes termini prædicamenti ſubſtantiæ. Subſtantia verò vt dicitur à ſubſiſtẽdo, relatiuè non dicitur, ſed abſolutè ſine relatione & comparatione ad alterum. Quemadmodum enim id quod dicitur homo, aut animal, aut corpus, ita dicitur nõ per relationẽ ad aliud vel alia, ſed omnino abſolutè videlicet, quia naturam

hominis, animalis aut corporis participat: ita & substãtia hoc modo aliquid dicitur absolutè, sine comparatione ad aliud, eò quòd naturã substantialitatis participet. Atq; hoc modo acceptũ vocabulũ substantia, genus est generalissimũ supra omnia genera, & species prædicamenti substantiæ neque vllo modo dicitur secundum magis & minus, sicut nec cætera genera subiecta. Nihil enim est magis substantia altero, quoniã quæcũq; naturã substantialitatis habẽt, eandẽ ex æquo participant, sicut & de cæteris generibus supra dictum est. Hanc autem distinctionem proposito applicantes, pro dissolutione propositi argumenti, clarè dicimus, quanquam terminus ille substantia, vt à substando deducitur, secundum magis & minus prædicetur. Dicendo vnam substantiam esse magis substantiam quàm alteram, non tamen hinc consequitur, vllam substantiam dici secundum magis & minus. Nam substantia à substando, non est terminus substantialis, sed relatiuus. Vult autem suprapositа conditio siue proprietas, nullum terminum prædicamenti substantiæ prædicari secundum magis & minus, id est, cum aduerbiis eiusmodi magis & minus, vel nullã substãtiã suscipere huiusmodi prædicationẽ secundũ aliquod prædicatũ sibi essentialiter cõueniẽs. Hoc est enim quod dicit Aristoteles, vnamquamq; substantiam secũdum hoc ipsum quod est nõ dici magis aut minus. Quomodo autem hactenus omnium conditionum prædictarum nulla inuenta est propriæ conuenire substantiæ, sic neque ista. Quamuis enim omni substantiæ conueniat, non tamen soli. Conuenit enim & quantitati: vt bicubitum non dicitur alio magis bicubitum, neq; linea vna dicitur magis linea quàm altera. Ac proinde proprium dici potest secundo modo, quarto modo non potest.

De sexta proprietate substantiæ, quæ singulariter dici meretur proprietas. CAP. XXIIII.

QVAE hactenus positæ sunt conditiones, substantiæ, potius communitates dicendæ sunt quàm proprietates. Quod autem nunc dicendum est, id propriè videtur substantiæ conuenire. Ait ergo Aristoteles.

Sexta proprietas substãtiæ. *Maxime autem proprium videtur esse substantiæ, cum vnum & idem numero sit, contrariorum susceptibile esse.*

Con

Conuenit enim hoc omni ſubſtãtiæ, quemadmodum per inductionẽ poteſt oſtẽdi ad oculum. Videmus namq; vnum eundémq; hominem, nunc calorem in ſe habere, nunc frigus: nunc bonum eſſe & probum, poſtea malum & improbum: modo album, poſtea nigrũ: nunc huius opinionis, poſtmodum contrariæ: modo velle aliquid, modo idem nolle.

Sic in omnibus corporibus cõſideratione facta ad cõtrarias qualitates, videbimus eaſdem numero ſubſtãtias cõtrariorum eſſe ſuſceptibiles. In ſubſtantiis autem incorporeis, oportet cõſiderare qualitates cõtrarias ſpirituales, quæ ad corpus non attinent. Nam & angeli cõtrariorum ſunt ſuſceptiui, quoniam contrariarum opinionum, aut volitionum ſunt ſuſceptibiles. Poſſunt enim modo nolle quod antea volebãt, & econtrario. Poſſunt mutari ex ſua natura ſecũdum odium & amorem, proſequutionem, & fugam, triſtitiam & gaudium, aliáque huiuſmodi, quæ omnia ſunt contraria.

Notandum verò quod non dicuntur ſubſtantiæ ſuſcipere contraria, ſed ſuſceptibiles eſſe contrariorum: quoniam non poteſt fieri, vt ſubſtantia vna & eadem numero actu ſimul contraria ſuſcipiat. Hoc enim naturæ contrariorum repugnat, ſimul eidem ineſſe: ſed temporis ſucceſsione ſubſtãtiæ dicũtur eſſe contrariorum ſuſceptiuæ, ita vt vno migrante poſsit ſubſtantia eadem manens acquirere alterum. Quemadmodum accedente calore, venit frigus in corpus & econtrario, ægritudine pulſa introducitur ſanitas & ecõtrario.

Notandum quoque non hîc dici quòd ſubſtantia quælibet ſit contrariorum quorumlibet ſuſceptibilis, ſed tantum aliquorum contrariorum. Non enim neceſſe eſt, vnam eandemq; ſubſtantiã omnium contrariorũ eſſe ſuſceptibilem: ſatis autem fuerit, ſi aliqua poſsit ſuſcipere contraria. Siquidem arboriſta vna & eadẽ non poteſt omnia contraria ſuſcipere. Non enim eſt ſuſceptibilis gaudij & triſtitiæ, odij & amoris, contrariarum opinionum, volitionum, & nolitionũ, aliorumq; huiuſmodi. Quorumdam autem contrariorum eſt ſuſceptibilis. Quanquam & vniuerſaliter intelligi poteſt, quamlibet ſubſtantiam quorumlibet contrariorum eſſe ſuſceptibilem ad hunc ſenſum, vt quoties ſubſtantia quælibet ex contrariis duobus, alterũ ſuſceperit, poſsit etiã alterum cõtrarium eadẽ numero in ſe ſuſcipere. Vt verbi gratia ſi quid ſuſceptiuũ eſt albedinis, eſt idipſum nigredinis quoq;

ſuſce

ſuſceptiuum: ſi quid capax eſt huius opinionis, eſt & contrarię capax: ſi quid amoris, & odij: atque item in cæteris. Contraria nanq; ex ſua ratione fieri habent circa idem ſubiectũ, ſeq; pellunt mutuo. Excipiuntur ſi quæ ſint qualitates à natura determinatæ aliquibus ſubſtãtiis: vt igni eſt naturaliter deputata calliditas & ſiccitas, & leuitas. Propter quod, ignis licet habeat in ſe iſtas qualitates, contrariorum tamen non videtur ſuſceptibilis. Verùm hîc propriè loquendo non verè dicimus, ignem eſſe ſuſceptiuum caloris, ſiccitatis & leuitatis. Potius nanq; ignis dicendus eſt habere naturaliter deputata illa, quàm ſuſcipere. Suſcipitur enim in aliquo, quod ipſi eſt extraneum, & à natura ei non eſt deputatum, quemadmodum annotauit & Boëtius. Atq; ita ſimpliciter adhuc remanet veritas generalis dicti illius, ſubſtantiã eſſe ſuſceptibilem quorumlibet contrariorum, ita vt ſi alterum quorumlibet ſuſcipiat, poſsit & reliquum ſuſcipere.

Ita ergo probatum eſt, omni ſubſtantiæ prædictam conditionem conuenire. Nunc autem & quomodo ſoli conueniat ſubſtantiæ, declaremus. Patebit autem hoc per ſingula accidentia diſcurrẽdo. Non enim poterit inueniri color aliquis, qui vnus & idem numero dicatur, nunc albus, nunc niger: neq; aliquis habitus numero. idem poteſt dici nunc bonus, nunc malus: neq; aliqua eadem actio numero, bona eſſe poteſt & mala: & ita in reliquis, nõ poterit inueniri aliquod accidentiũ, quod cõtraria poſsit idẽ numero ſuſcipere. Cõuenit igitur ſoli ſubſtãtiæ, eſſe cõtrariorum ſuſceptibilem.

Proponitur & ſoluitur obiectio de opinione, & oratione.

CAPVT XXV.

*** VERVM aduerſus hanc proprietatem, Ariſtoteles obiectionem ponit, de oratione vocali vel opinione mentali, quæ eadem numero manens ſuſceptiua videtur veritatis, & falſitatis, cùm dicatur modo vera, modo falſa. Exempli gratia, hæc oratio, Ioannes dormit, modo vera eſt, verè dormiente Ioanne. Poterit autem eadem fieri falſa, ſi expergiſcatur Ioannes à ſomno, manebit tamen oratio vna & eadem numero, eadem igitur oratio vna & eadem numero, vera eſſe poteſt ac falſa ſucceſſu temporis: ac proinde contrariorum eſt ſuſceptibilis, cùm verum & falſum videantur eſſe contraria. Quod ſi admittatur, conſequens eſt, non ſoli ſubſtantiæ id eſſe proprium quod dictũ eſt. Propter hanc obiect

obiectionem dissoluēdam, Aristoteles proprietatem suprapositam supplet in hunc modum: Proprium est substantiæ, cùm sit vna & eadem numero, cum sui mutatione esse susceptibilem contrariorum. Per adiectionem autem hanc: cum sui mutatione, excludit obiectionem, dicens, orationem aut opinionem, licet eadem numero possit esse vera & falsa, nō tamen per hoc fieri circa eam aliquam mutationem. Quòd enim hæc propositio nunc vera dicitur, nunc falsa, id non fit per aliquam mutationem circa ipsam propositionē, sed per mutationem rei significatæ. Dicitur enim propositio vera, ex eo quòd ita sit in re quomodo ipsa significat. Falsa verò, ex eo quòd aliter sit in re quàm ipsa significat. Ex sola igitur mutatione circa rem significatam, propositio paulò antè vera fit falsa, & econtrario. Vt ex hoc quod ipse homo Petrus mutatur à statione in sessionem, propositio ista, Petrus sedet, ex falsa efficitur vera, absq; sui reali aliqua mutatione. Potest verò & aliter responderi propositæ obiectioni, simpliciter negando quod assumitur, nempe opinionem, vel orationem eandem suscipere cōtraria. Nec valet probatio: Eadem oratio vel opinio modo vera est, modo falsa, eadem numero manens, igitur contrariorum est susceptibilis. Mala siquidem est ista illatio, laborans defectu duplici. Primum enim verum & falsum propriè non videntur contraria, cùm contrarietas propriè dicta (vt posterius dicetur) in solis inueniatur qualitatibus. Veritas autem & falsitas non vidētur esse qualitates, sed potius ad aliquid sunt vel relationes. Dicitur enim veritas exæquatio & correspondentia rei significatæ ad propositionem significantem, quod videtur ad relationem magis quàm ad qualitatem spectare, cùm sit qualitas omnis, quid absolutum non consistens in relatione vnius ad alterum. Deinde, etiam si veritas & falsitas cōtraria essent, non tamen oratio eadem ex hoc quod modo vera est, modo falsa, dicenda esset susceipere contraria. Ipsa nanq; oratio nō susciipit in se veritatem & falsitatem, cùm veritas (vt iam dictum est) non sit in oratione vera. Si enim veritas & falsitas susciperentur in ipsa oratione vera, iam nec Aristotelis valeret solutio, qua dicit orationem eandem dici modo veram, modo falsam, absq; sui mutatione. Prorsus enim cum sui mutatione id fieret, si verè in ipsa susciperetur veritas & falsitas. Amplius autem aduersus supradictam impropri

proprietatem obiicitur, de materia prima, & quãtitate corporea, quæ ſuſcipiunt in ſe contrarias qualitates, non tamen ſunt ſubſtantiæ. Propter hanc obiectionem, recentiores vt per omnia conuertibilem faciant hãc proprietatem, ita eam complent. Maximè proprium eſt ſubſtantiæ eſſe ſuſceptibilem contrariorum: tanquàm completum & vltimatum ſubiectum. Prius adiiciunt, ne proprietas cõueniat ipſi materiæ primæ, quæ propriè loquendo non eſt ſubſtãtia, ſed tantùm ſubſtantiæ pars. Materia nanq; eſt contrariorum ſuſceptibilis, quoniam omnia accidentia corporalia ſuſcipiuntur in corporali materia, quemadmodum in Phyſicis noſtris declarauimus. Verùm ipſa non eſt ſubiectum cõpletum, quoniam pars tantùm eſt altera compoſiti. Subſtantia autem eſt ſubiectum completum atq; perfectum. Alterum adiiciunt propter quantitatem, quæ (iuxta quorundam probabilem opinionem) immediatè in ſe ſuſcipit corporeas qualitates, vt colorem dicunt ſuſcipi in ſuperficie, figuras itidem ſubiectari in ſuperficie aut corpulẽtia. iuxta quorum opinionem neceſſe eſt fateri, etiam quantitatem eſſe cõtrariarum qualitatum ſuſceptibilem. Verum ipſa nõ eſt ſubiectum earum vltimarum, quoniam vlterius ſunt in ipſa ſubſtantia mediante quantitate. Sed harum rerum determinatio, à Dialectica conſideratione eſt aliena, magiſq; Phyſicæ conuenit: quãobrem iſta tetigiſſe contenti, explicato vtcunq; ſubſtantiæ prædicamento, ad quantitatem recto curſu pergamus.

*****

De prædicamento quantitatis.

CAPVT XXVI.

POST prædicamentũ ſubſtantiæ proximo loco ſubſequitur prædicamentũ quãtitatis, quòd maior ſit conuenientia, & ſimilitudo ſubſtantiæ cum quãtitate quàm cum qualitate. Sicut enim ſubſtãtia nõ ſuſcipit magis & minus, nihilq; habet contrariũ, ſic & de quãtitate, paulò pòſt declarabitur. Item iuxta quorundã probabilem ſententiã qualitates corporales ſuſcipiũtur in ſubſtantia mediante quantitate, ita vt quãtitas ſit ſubiectũ immediatum qualitatum, atq; hac conſideratione videtur quãtitas aſsimilari ex aliqua parte ſubſtantiæ, quoniam modo quodam ſubſtat, tametſi nõ vt vltimatum & per ſe conſiſtens ſubiectum, quoniam & ipſum eſt in alio, nempe in ſubſtantia. Tractans autem de quantitate Ariſtoteles, ipſius nõ ponit definitionem, quoniam generaliſsi

ralissimum genus propriè definiri non potest, vtpote quod aliud supra se genus non habeat per quod posset definiri, aut differentiam aliquam constituentem. Posset tamen aliquo modo describi per suum concretum, hoc modo:

Quantitas est, secundum quam aliquid dicitur quantum. Definitio quantitatis.

Vtpote longum, latum, profundum, multum, paucũ, magnum, paruum, diuturnum, vel breuis durationis.

Incipit autem Aristoteles tractatum quantitatis, ponens duas eius diuisiones, quarum prior hæc est:

Quantitatis aliud continuum, aliud discretum. Diuisio quantitatis.

Hoc est, quantitatum, alia est cõtinua, alia discreta. Quæ diuisio duas species immediatè sub quantitate positas assignat: nempe quantitatem continuam, & quantitatem discretam, quarum definitiones siue descriptiones ex Aristotelis declaratione colliguntur.

De quantitate continua, & primo ponitur definitio eius.

CAPVT XXVII.

QVantitas continua, est cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem. Definitio quantitatis continuæ.

Vt partes lineæ copulantur ad punctum. Dicitur autem in proposito terminus communis aliquarum partium, quod est principium vnius & finis alterius. Ad quarum definitionum intelligentiam notandum est, quod quantitatis continuæ secundum propriam enumerationem sunt quatuor species, nempe linea, superficies, corpus, siue (ad distinctionem à corpore prædicamenti substãtiæ) corpulentia, & tempus. Nam de loco quam velut quintam speciem prioribus connumerare videtur Aristoteles, communior est sententia, nõ esse à superficie speciem distinctam, sed tantùm secundum connotatum ab ea differre, quatenus videlicet supra significationem superficiei locus connotat vel vltrà significat, alicuius rei intra se continentiam. Siquidem locus dicitur superficies continens aliquid, nempe rem locatam.

Priores autẽ quatuor species sunt distinctæ sub quantitate continua, vt species sub eodem immediato genere cõtentæ. Linea nanq;, superficies, corpulentia, & tẽpus, quantitates sunt, & continuæ quantitates. Quantitates quidẽ, quoniam

niam ſecundum ipſam, res dicuntur quantæ, vtpote ſecundū lineam longæ, ſecundum ſuperficiem latæ, ſecundum corpulentiam craſſæ aut profundæ, ſecundum tempus diuturnæ. Continuæ autem dicuntur, quoniam ſingulæ earum partes ſuas habent per aliquem communem terminum adinuicem cōpoſitas. Lineæ enim partes copulantur per intermedium punctum, qui vnus & idem numero, finit partē vnam, & alteram incipit: atq; ideò per punctum dicitur terminus communis lineæ. Superficiei item partes cōtinuantur per terminum cōmunem, nempe per lineam. Corpulentiæ verò partes per ſuperficiem continuantur, ipſa tamen nullius alterius quantitatis partes copulat. Ac proinde ſicut punctus eſt communis terminus lineę, ſic linea ſuperficiei, ſic deinde ſuperficies corporis: corpus verò nullius alterius quantitatis eſt terminus. Habet quoq; tempus partes ſuas continuatas per cōmunem terminum. Pars enim quæ præceſsit iamq; effluxit, & ea quæ ſubſequitur quæq; iam incipit, per præſens tēpus, ſiue (vt magis propriè loquamur) per præſens inſtans, aut momentum, aut indiuiſibile temporis continuantur: quod quidem momentum præſens, terminus eſt partis iam elapſæ ſiue præteritæ, & initium partis eueſtigio abſq; intermedia diſtantia ſubſequētis. Ex quibus colligi facilè poſſunt ſingularū ſuprapoſitarū ſpecierū qualeſcūq; definitiones: hoc modo, Linea eſt quātitas continua, cuius partes copulantur per punctū. Superficies eſt quantitas continua, cuius partes copulantur per lineam. Corpus eſt quantitas cōtinua, cuius partes copulantur per ſuperficiē. Tempus eſt quantitas continua, cuius partes copulātur per præſens tēpus, ſiue inſtans præſens. Sed harum rerum latior deductio atq; plenior declaratio, ad Phyſicam magis quàm ad Dialecticam ſpectat.

Definitiones lineæ, ſuperficiei, corporis & tēporis.

De altera ſpecie quantitatis, nempe de quantitate diſcreta.

CAPVT XXVIII.

Definitio quantitatis diſcretæ.

QVantitas diſcreta eſt, cuius partes non copulantur per aliquem terminum communem, ſed adinuicem diſtinctæ ſunt, & ſeparatæ.

Sub hac quantitate diſcreta continetur numerus cum omnibus ſpeciebus ſuis: vtpote binario, ternario, & ita de aliis. Numeri ſiquidē partes per nullum terminum cōmunem

copul

copulantur. Vt partes denarij, quinq; & quinq;, non continuantur adinuicem per aliquid quod esset vnius partis initium, & terminus alterius, sed abinuicem sunt discretæ & segregatæ, propter quod etiam discreta quantitas appellatur. Addit quoq; Aristoteles numero orationem dicēs, etiā eā esse quantitatē discretam, eò quòd partes vocales habeat abinuicem diuersas & discontinuas. Vt cum dico, Ioannes, Andreas, currere, partes orationum harum abinuicem sunt discretæ & discontinuæ. Ideo orationem dicit esse quantitatem discretam. Verùm de hac oratione difficultas est nō *** minima, quid per eam debeat intelligi. Nam si per orationē intelligatur ipsa vox ex partibus pluribus cōstans, id est, ex pluribus vocibus partialibus, non videtur hoc modo oratio rectè dici quantitas, cùm omnes voces, imò omnes soni proprium sibi habeant locū in prædicamento qualitatis, vnà cū cæteris obiectis aliorū sensuum, quemadmodū suo dicetur loco. Si autem ista vocalis oratio hîc non intelligatur ab Aristotele, difficile videbitur aliquid aliud ad propositum cōmodè assignari. Huius difficultatis duplex est solutio. Quidā per orationē in proposito intelligunt ipsum numerum, qui subiectatur in partibus orationis vocalis, quo videlicet partes, plures vnius dictionis numerantur. Vt in hac oratione dominus, ternarius quo numerātur tres istæ voces aut syllabę, do, mi, & nus, iuxta horū sententiam appellatur oratio. Verùm his noua emergit difficultas. Si enim oratio Obiectio
ista non aliud est quàm numerus ille in partibus orationis vocalis subiectatus, quomodo ergo Aristoteles tanquā species diuersas aut genera diuersa, sub quātitate discreta ęquè immediatè iungit numerū & orationē? Sic enim oratio sub numero cōprehenditur, quoniam omnis talis oratio est numerus. Quam tamen obiectionem ita soluunt, dicētes, oratio- Solutio
nē nō esse speciē diuersam, vel genus aliud à numero, sed ambo vnum esse secundū principale significatū, nec esse differentiā, nisi in cōnotato (vt appellant) siue consignificato: quemadmodū suprà dictū est de superficie & loco, non esse illa diuersa genera vel species diuersas, sed tantū cōnotato differre. Sic enim dicunt orationē principaliter significare numerū, simul tamē significando numerū, vt est in partibus orationis alicuius subiectatus. Vnde hāc dicūt prædicationē identicam. Oratio est numerus, sicut & illa, locus est superfi-

cies,& econtrario, æstimatur identica:quoniã vtrobiq; secundũ principale significatum,idẽ significant subiectum & predicatum. Hæc autẽ solutio tametsi vtcunq; satisfaciat, tamen si exactè perpendantur Aristotelis verba & penitius introspiciantur,videbitur aliud aliquid voluisse per orationem intelligere,nec ita pro eodem ista computasse. Propter quod ab aliis dicitur,per orationem in proposito intelligi certam mensurã & quantitatem syllabarum,per quam oratio vocalis secundũ syllabas longas vel breues pronuntiatur,vt ex singularum syllabarũ quantitatibus,de quibus ars metrica tractat, totius orationis consurgat vna mensura, quæ quãtitas rectè dicitur,eò quòd orationem mensuret & quantam denominet. Discreta autem quantitas dicitur eò quòd quantitates illæ singularũ syllabarum,ex quibus conflaturvna quantitas totius orationis vno spiritu prolatę,per nullum terminum cõmunem sunt coniunctæ,sicut nec ipsæ syllabæ vllo communi termino adinuicem coniunctæ sunt. Quam sententiã apertè satis indicare videtur Aristoteles, cùm de ea sic ait: Quòd autem quantitas sit oratio,manifestum est. Mensuratur enim syllaba longa & breui. In quo verbo indicare videtur,istam quantitatem potius accipiendam esse secundum mensuram longitudinis vel breuitatis syllabarum,quàm secundum numerum tantum earum.

De secunda diuisione quantitatis.

CAP. XXIX.

Secunda diuisio quantitatis.

QVantitatis aliud constat partibus habentibus adinuicem positionẽ,aliud constat ex partibus non habentibus positionem adinuicem.

Pro huius diuisionis intellectu,explicandũ est primò quid sit partis alicuius habere positionem,ac deinde quæ quantitates tales sint aut non sint. Requirit autem(vt Boëtius tradit)ista partium adinuicem positio,tria. Primum,vt partes ipsæ alicubi sint,ita vt possint demonstrare hanc partem in tali loco,& illam in alio,atq; ita vnicuiq; parti suum locum vel suam partem loci designare. Secundum,vt partes non sint in fluxu,nec pereant,sed simul permaneant. Tertium,vt partes adinuicem coniungantur & couniantur. Huiusmodi autem quantitates sunt linea,superficies,& corpus,ac

vt aliquid constet ex partibus habentibus positionem tria requiruntur.

iux

iuxta Aristotelis connumerationem, locus. In linea siquidē partes adinuicem positionem habent, quoniā singulę partes certum locū suum obtinent, & singulis suus locus potest demonstrari, dicendo: Hæc pars lineæ est ad dexteram, illa ad sinistram, hæc finem ibi accipit, illa initium. Item partes nō fluunt nec pereunt, sed permanent, & simul existunt. Adinuicem autem continuantur & copulantur per punctū, vt suprà dictū est. Ita suo modo dicendū de superficie & corpore. Vbicunq; verò horū aliquod defuerit, illic non dicuntur partes habere positionē. Vnde tempus quamuis quātitas continua sit, non tamen habent partes eius positionem, defectu duorum priorum requisitorum. Nec enim partes temporis alicubi sitæ sunt, vt possit eis suus cuiq; locus assignari. Deinde neq; permanent simul subsistentes, sed in continuo fluxu sunt, vt vna adueniente, altera cogatur cedere: & vna abeunte, altera debeat succedere, quoniam iuxta illud poëtę: Fugit hora, & hoc quod loquimur, inde est. Rectè tamen dicimus eas habere ordinem, videlicet secundū successionem, quoniā vna est prior, altera posterior, vna præcedēs, altera subsequens. Numerus quoq; nō constat ex partibus habentibus positionem defectu primi & tertij, quoniā partes nō habent continuationē adinuicem, imò neq; determinatè situm aliquem habent, vt demonstrari possit, hæc pars numeri hic est, illa, illic. Possunt tamē partes eius dici adinuicem habentes ordinē, quoniā binarius est prior ternario, vt ternarius prior est quaternario, atq; ita in cæteris.

De communitatibus, & proprietatibus quantitatis.
CAP. XXX.

QVEMADMODVM autem substantiæ secundū suā naturam suprà assignauimus certas quasdā conditiones, quas vel cōmunitates, vel proprietates nominauimus: sic & quantitati veniunt assignandæ aliquot ipsi ex natura sua competentia, vel communiter cum aliis, vel propriè. Prima conditio quantitatis hæc est.

Quantitati nihil est contrarium.

Prima proprietas quantitatis.

Non est autem hoc quantitati propriū quarto modo. Est enim ei cū substantia commune. Secundo tamē modo proprium dicitur, quoniā omni quantitati conuenit, id quod in

singulis est manifestū. Linea enim non contrariatur superficiei vel corpori, quoniā simul in eodem sunt linea, superficies & corpus. Imò in seinuicem existunt, & à pleriſq; dicūtur inesse tanquā accidentia. Vt verbi gratia, lineam esse dicunt in superficie, tanquā accidens in subiecto, ita superficiē in corpore. Non enim cum veritate dici poterit, lineā esse in superficie, aut superficiem in corpore per modum partis integralis, quoniam non cōponitur superficies ex lineis tanquam ex suis partibus, neque corpus ex superficiebus, sicut nec linea ex punctis componitur. Sed habet superficies lineā pro termino communi, ad suarum partium continuationē, & corpus superficiem suas partes cōtinuantem. Impossibile est autem contraria eidē simul inesse, ac magis etiā sibiinuicem inesse. Tempus quoq; nulli est contrarium. Nam dies & nox licet videantur quandam habere oppositionem, non tamen propriè contraria sunt, sed sunt priuatio & habitus. Dies quoq; vt nocti opponitur nō ipsum tempus significat, sed illuminationē aëris, aut præsentiam solis suprà nostrum hemisphærium. Neq; hyems & æstas per se contraria sunt. Per accidens enim videtur aliquo modo cōtrariari, ratione contrariorum effectuū, qui vigent tempore hyemis & tempore æstatis. Hyeme namq; humiditas & frigiditas, æstate verò siccitas & caliditas vigent. Cæterū inter tempus ipsum hyemale & æstiuum, nulla est per se contrarietas. Ita enim & lineam rectā per accidens dicimus contrariari lineæ curuæ, quoniam videlicet rectitudo & curuitas qualitates per se contrariæ sunt, à quibus illæ duę lineæ dicuntur per accidens contrariæ, sicut superius in substantia diximus, hominem albū nigro contrariari per accidens. Præterea, numerus nullum habet contrarium. Nam duo non contrariantur tribus, neq; tres quatuor, atq; ita in cæteris. Quod ita declaratur, quoniam non videtur maior ratio cōtrarietatis inter binarium & ternarium, quàm inter binarium & quaternarium aut quinarium. Idem igitur binarius infinita haberet contraria, quod est impossibile, cùm determinatè vnum vni sit contrarium, vt albedo nigredini, virtus vicio: aut vt plurimum vnum duobus in illis videlicet vbi secundum excessum & defectum à medio sumitur contrarietas, quemadmodum eadem liberalitas secundum excessum habeat contrariam prodigalitatem, secundum defectum verò auaritiam,

tiam. Relinquitur itaque, binario nullum esse contrarium, ac proinde nec vlli numerorum. Par siquidem est de omnibus ratio. Præterea, contrariorum, alterum non includitur in altero, sed numerus alius alium includit, vtpote ternarius binarium: quaternarius ternarium. Non igitur possunt numeri esse adinuicem contrarij. Per singula ergo discutientes ostendimus nulli quantitati quicquam esse contrarium.

Contra hanc autē proprietatem facit obiectionem Aristoteles, de magno & paruo, multo & pauco. Ista enim videntur esse contraria & nihilominus quantitates. Videntur igitur quantitates sibiinuicem esse contrariæ. Cui obiectioni satisfacit dupliciter. Primo negando quod assumitur, magnum & paruum esse quantitates. Non enim proprie quantitatem significāt magnum & paruum, multum & paucum, sed ad aliquid siue relationem. Quod ita declarat: Dicimus enim aliquid magnum, aut paruum, secundum comparationē vel relationē ad alterum. Vt montem istum dicimus paruum, in comparatione ad alterum maiorem, & granum milij vel sinapis dicimus magnum in comparatione ad aliud simile granum minus. Non diceremus autem montem paruum, & milij, aut sinapis granum magnum, si simpliciter & absolutè diceretur magnum & paruum, & nō magis secundum relationem vel comparationem. Similiter de multis & paucis declarat: quoniā in ciuitate aliqua magna dicimus esse paucos homines, in vico autem vel pago multos, cū tamē simpliciter illic plures sint quàm hīc. Nisi igitur secundū relationem & comparationem diceretur multum & paucum, nunquam ita dicerent homines. Nunc autē in ciuitate illa magna dicūt homines esse paucos, cōparatione facta ad ciuitatem aliam in qua longè plures sunt homines, & in vico dicunt esse multos comparatione ad vicum alium in quo sunt pauciores. Manifestum est ergo magnū & paruum, & multum & paucum esse ad aliquid, & secūdum comparationem vel relationem dici. Secūdo respondet Aristoteles prædictæ obiectioni, negādo assumptum alterum de cōtrarietate magni & parui, multi & pauci. Hæc enim adinuicem non sunt contraria. Quod primū quidem ex præcedentibus cōsequitur, quonia contrarietas proprie dicta nō nisi in qualitatibus inuenitur. Magnum autem & paruum nō qualitates sunt, sed ad aliquid, in quibus nō inuenitur cōtrarietas.

Obiectio. Magnum & paruum, multum & paucum. Solutio.

Deinde & ita probatur: Si multum & paucum, magnum & paruum essent contraria, consequens esset contraria simul de eodem prædicari. De eodē siquidem monte verè dicitur, hic est mons magnus & mons paruus. Magnus quidē cōparatione ad montem alium minorem: paruus verò cōparatione ad alium maiorem. Sic demonstrata eadem hominū multitudine, vere dicitur: Isti homines multi sunt & pauci. Multi quidem respectu pauciorum: pauci verò, respectu plurium. Simul igitur eidem inerunt contraria, si magnum & paruū dixerimus esse contraria.

Secunda proprietas quantitatis. CAP. XXXI.

Secunda proprietas quantitatis.

QVantitas non suscipit magis & minus.

Non est item hoc proprium quarto modo quantitati, quoniā non soli quantitati conuenit, quod suprà dictum & declaratum est conuenire etiam substantiæ. Propriū tamen secundo modo dicitur: Omni enim quantitati, etsi nō soli, conuenit. Omnis enim quantitas non suscipit magis & minus. Id in singulis liquet. Linea enim vna nō est magis linea quàm altera, neque superficies vna est magis superficies quàm altera, neq; corpulentia ista est magis corpus vel corpulentia quàm altera. Sed neq; tēpus vnum est magis tempus quàm alterum, neque numerus vnus est magis numerus quàm alius. Item faciendo comparationē generum ac specierū adinuicē, non dicitur quantitas continua magis quantitas quàm discreta, vel econtrario. Neque linea dicitur esse magis quantitas vel cōtinua quātitas, quàm superficies aut corpus. Neq; tempus magis quàm numerus. Neq; denarius dicitur magis numerus quàm binarius, atque ita in singulis.

*** Patet igitur per inductionē, omni quantitati hoc cōuenire, vt nequeat magis aut minus suscipere. Quòd si quis obiciat, lineam vnā dici maiorē altera, aut magis longam. Item superficiē dici maiorem vel magis latam, sic & corpulentiā maiorem vel magis spissam, ita tēpus dici maius vel magis longum, numerum quoq; alium alio dici maiorem vel magis multū. Videntur igitur quātitates istæ dici secundū magis & minus. Soluitur obiectio, per negationē cōsequentiæ. Aliud enim est suscipere magis & minus sic loquendo per aduerbia, aliud maius & minus, loquendo per comparatiua nomina. Quantitatē enim nō suscipere magis & minus est, nullum

Obiectio.

Solutio.

nullum genus aut speciem prædicamẽti quantitatis prædicari verè cum istis aduerbiis se determinãtibus. Atq; ita res habet. De nulla enim quãtitate potes dicere: Hæc est magis quantitas quàm illa, aut magis continua vel discreta quàm illa, aut magis linea vel superficies, vel tempus quàm illa. Neque item in concretis, hoc est magis quantũ illo, hoc est magis continuum aut magis discretum illo, hoc est illo magis lineatum vel superficiatũ, &c. Cuius ratio est, quoniam realis ipsa quãtitatis natura non recipit intentionem vel remissionem. Atq; ob hoc nullus terminus prędicamenti quãtitatis prædicari potest cum aduerbiis illis quæ propriè significant intentionem vel remissionem formæ: per ipsum quod determinent significatæ. Cùm autem dicitur linea est se maior, aut magis lõga, & alia huiusmodi, manifestum est nullum terminum prædicamenti quantitatis illic prædicari cum aduerbiis magis, & minus, nec vllam ibi intentionem vel remissionem significari. Significatur enim tantam excessus vel defectus in extentione secundum longitudinem, aut latitudinẽ, aut corpulentiam, vel secundum diuturnitatem aut numerum. Sic etiam substantia vna dicitur magis longa quàm alia, aut magis alba, vel nigra, non tamẽ ob hoc dicitur suscipere magis & minus, vt suo loco declaratum est.

Tertia proprietas quantitatis. CAP. XXXII.

Tertia proprietas quãtitatis.

Maxime proprium quantitatis est æquale, vel inæquale dici.

Hoc est, Quãtitati propriè & quarto modo propriũ est, vt secũdum ipsam aliquid dicatur æquale vel inæquale. Exẽpli gratia, secũdũ longitudinem aut latitudinẽ, aut corpulentiã dicũtur res æquales, aut inæquales, id est, æquè lõgę, æquè latę, aut æquè corpulentę. Item secundũ tempus dicuntur res æquales duratione, id est, æquè diuturnæ. Secũdũ numerum dicũtur æquales multitudine, id est, æquè multę. In omnibus autem his significatur æqualitas. Non sumitur autẽ æqualitas vel inæqualitas propriè dicta, nisi secundũ aliquã harum quantitatem. Secundũ enim qualitates, vt albedinẽ, vel nigredinẽ, non sumitur æqualitas vel inæqualitas, sed tantùm similitudo & dissimilitudo. Nõ enim simpliciter æquales dicuntur secundum albedinem vel nigredinẽ, scientiã vel virtutem, sed ex his similes dicũtur aut dissimiles. Sumitur au-

tem æqualitas vel inæqualitas non eodē modo in quantitatibus continuis,& discretis. In discretis enim,secundū identitatem tantū speciei sumitur æqualitas,& ecōtrario,secundum speciei diuersitatē inæqualitas. Vt duo binarij æquales dicuntur,itē duo ternarij,duo quaternarij:& secundū duos binarios dicuntur duo homines numero æquales duobus equis,quatuor homines quatuor equis. Binarius autem & ternarius sunt inęquales, item binarius & quaternarius : & vniuersaliter,binarius omni numero præterquam binario est inæqualis. Vnde secundum numerum duo homines tribus aut quatuor dicuntur inæquales. Inter quantitates autem continuas,non ita facilè cognoscitur æqualitas vel inæqualitas. Non enim sufficit ad æqualitatem identitas speciei. Non enim omnes lineæ dicuntur æquales,nec omnis superficies,nec omnia corpora. Neq; item inæqualitatem facit diuersitas speciei,quæ ad æqualitatem nec requiritūr, nec sufficit. Non quidem requiritur,quoniam vna linea alteri eiusdem speciei inæqualis esse potest. Nec sufficit,quoniam linea non dicitur esse inæqualis superficiei. Sciendum itaq; est,inter quantitates continuas illas esse æquales,quæ sunt eiusdem speciei,& eiusdem mensuræ specialis: illas autem inæquales,quę sunt eiusdem speciei,sed diuersārū mensurarum specialium. Vt linea quæ mensuratur longitudine vnius cubiti aut pedis,dicitur æqualis alteri lineæ, similiter cubitali aut pedali,& bipedalis linea alteri bipedali. Item superficies quæ mensuratur latitudine trium pedum, dicitur alteri superficiei æquè latæ æqualis: & corpus profundum sex pedes dicitur alteri eandem profunditatē habenti equale secundum profunditatem. At verò linea longitudinis pedalis inæqualis est alteri lineæ habenti bipedalem longitudinem,& superficies latitudinis trium pedum,est inæqualis habenti latitudinem quatuor pedum,& ita in cæteris. Sic tē pus quod vnius horæ duratione mensuratur, dicitur æquale alteri quod mēsuratur duratione æquali. Tempus autem vnius horæ & tempus duarum horarum,dicuntur inęqualia tempora. Modus itaque mensurandi specialis in eadem specie facit æqualitatem vel inæqualitatem inter quantitates continuas. Signanter dicimus,modus mensurandi specialis,quoniam generalis modus mensurandi, nempe secundum longitudinem aut latitudinem,aut profunditatem,aut

du

durationem, in generali, non facit æqualitatem. Alioqui omnia tempora essent æqualia, & omnes lineæ æquales, & omnes superficies sibiinuicē. Sed secūdum speciales modos mensurandi, sumi debet æqualitas vel inæqualitas. Vtpote secundum longitudinem tantam vel tantam, secundum latitudinem tantam vel tantam, secundum profunditatē tantam vel tantam, secundum durationem tantam vel tantam.

De prædicamento ad aliquid. CAP. XXXIII.

POST prædicamenta substantiæ & quātitatis, Aristoteles adiungit prædicamentum ad aliquid, forsitan ea ratione quòd in quantitate relatiuorum quorundam siue ad aliquid feciſſet mentionem, nempe multi & pauci, magni & parui, propter quod continua determinatione nunc eorum vult tractatum absoluere. Ponit autem duas ad aliquid definitiones, quarum prior hæc est.

Prior definitio ad aliquid.

Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum quòd sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud.

Pro cuius definitionis intellectu notādum est ad aliquid in proposito idem esse quod relatiuū, siue id quod refertur aut dicitur in ordine ad aliud. Vt pater dicitur in ordine vel in respectu ad aliquid, nempe ad filium cuius est pater: sicut econtrario dicitur filius in comparatione ad patrē. Sic dicitur dominus in relatione ad seruū, & econtrario. Inter hæc autem quę relatiuè sic dicuntur adinuicem, quædā inueniūtur ex principali suo significato relationē significare, siue habitudinem vnius ad alterum, vt ea quæ iam posita sunt exē pla, dominus, & seruus, pater & filius. Principale nāq; significatū quod hi termini important, est habitudo aliqua, vel eius qui genuit ad eū qui genitus est, aut ecōtrario: vel eius qui habet imperium siue authoritatē præcipiendi ad eum in quem habet imperium. Et hæc vocantur ad aliquid secundū esse, videlicet quia secundū esse suū, id est, secundū principale significatum ita referuntur. Quædam autē inueniuntur vocabula dici relatiuè, quæ tamē ex principali significato nō importāt relationē, sed absolutū aliquid, vtpote vel substantiam vel qualitatē: quemadmodum Aristoteles exempla ponit de virtute & vitio, habitu & dispositione, cū tamē ista manifestum sit ex principali significato nō habere rela-

Relata secundum esse.

tionem: quoniam ex principali significato repræsentãt qualitates absolutas. Dicuntur tamen aliquo modo relatiuè, vt habitus dicitur respectu eius qui eo dispositus, siue (vt ita loquar) habituatus est, & dispositio respectu eius qui ita dispositus est. Vel habitus dicitur respectu eius ad quod homo per habitũ illum disponitur: sicut scientia dicitur ad suũ scibile vel scitum, obiectum scientiæ, & econtrario scibile vel scitum dicitur in respectu ad scientiam quæ est de ipso. Sensus quoque dicitur in comparatione ad sensatum vel sensum, & econtrario. Cùm ergo ista non significent ex principali significato relationes vel habitudines aliquas, sed meras & absolutas qualitates, manifestum est quòd nõ possint dici ad aliquid secũdum esse, id est, secundum principale significatum, sed ~~tantùm secundum dici, eo~~ quòd non nisi ex significato minus principali hoc habeant, vel relatiuè dicãtur. Vnde dicunt vocabulum scientia præter principale significatum, quod est absoluta qualitas, adhuc ex connotatu importare quandam relationem siue quandam habitudinem, qua ipsa scientia se habet ad scibile aut scitum, tanquã ad suum obiectum, quod speciali modo respicit: atq; ex hac consignificatione dicunt illam procedere relationem, qua dicimus scientiam esse scibilis scientiam, & scibile esse scientia scibile. Sic habitum & dispositionem, præter qualitates absolutas principales dicunt significare quasdam relationes, aut habitudines ipsorum habituum, vel ad ipsos in quibus sunt, vel ad id ad quod ad habentem disponunt, atq; ex huiusmodi connotatis prædictam ponunt vocabulorum relationem. Hæc autem ad aliquid tantùm secundum dici, quamuis non propriè sint ad aliquid, generaliter tamen ad aliquid nuncupantur, & sub priore ista definitione comprehenduntur, quemadmodũ ex declaratione Aristotelis patet. Est enim prior definitio generalis, cõueniẽs tam ad aliquid secundum dici quàm secundũ esse. Et notandum quod quędam ex prædictis adinuicem referuntur secũdũ casum genitiuũ, vt pater dicitur filij pater, & dominus dicitur serui dominus, duplũ dimidij duplũ, & econtrario. Quędam secundũ casum datiuũ, vt simile dicitur simili simile, æquale æquali æquale, vicinum vicino vicinum, & huiusmodi. Quædam secũdum casum ablatiuum, vt maius dicitur minore maius, & econtrario. Quædam secũdũ casus diuersos referũtur, vt

Relata secũdum dici

N
O
T
A:

sen

sensus refertur ad sensibile vel ad sensatū sub casu genitiuo dicendo, Sensus est sensati vel sensibilis sensus. Contrà verò sensatum vel sensibile ad sensum refertur sub casu ablatiuo dicendo: Sensatū sensu sensatum, ita scibile vel scitū dicitur sciētia scibile vel scitū: ecōtrariò autē scientia dicitur scibilis vel sciti sciētia. Ita habitus dicitur habituati siue habilis habitus, & habituatus vel habilis habitu dicitur habituatus. Dispositio quoq; dispositi dispositio, dispositū verò dispositione aliqua dispositū. Interdum verò prorsus secundū vim nullius casus fit relatio, sed mediante vi præpositionis addi tæ casui. Vt magnū dicitur nō parui magnū, neq; paruo magnum, sed mediante præpositione dicitur magnū ad paruū: vbi manifestè vis ipsa cōparationis per præpositionē adinnuitur. Propter hunc autem tam variū referēdi modum, dicitur, in definitione ad aliquid sub disiunctione. Aliorum dicuntur vel quomodolibet aliter ad aliud. Inter quas duas partes sub disiunctione positas, pleriq; talem ponunt distinctionē vt illa intelligāt dici aliorum, quæ referuntur ad sua correlatiua secundū genitiuum casum: illa verò quomodolibet aliter ad aliud, quæ aliter quàm secundum genitiuum casum adinuicem referuntur, vtpote vel secundum datiuū, vel secundū ablatiuum, vel secundū accusatiuū cum præpositione ad. Aliter tamen potest sumi ista differentia, hoc modo, vt illa intelligantur dici aliorum, quæcunq; adinuicem referuntur secundum aliquem casum vel aliquos casus. Illa verò quomodolibet aliter ad aliud, quæ non secundum vim alicuius casus referuntur, sed per aliquam prepositionem: vt magnū dicitur ad paruum, & ecōrariò. Atq; hanc expositionē manifestè indicat Boëtius, his verbis. Quid sit (inquit) vel quomodolibet aliter ad aliud expediemus. In relatione per quam dicimus, filius patris filius, nulla cōiunctio mixta est, nisi tantùm sola casuū vis prædicationis huius membra coniungit. Cùm autē dico montem magnū, ad aliū referens paruum, ita propono: mons magnus ad montem paruum, & mons paruus ad mōtem magnū, hîc nullorū casuum vis est. Quāquàm enim accusatiuus videtur esse permixtus, tamen ille huius relationis vim nō tenet, sed prepositio quæ ad accusatiuum additur. Cùm enim dico, mons magnus, ad paruum montē, sola præpositio est, quæ vim huius continet relationis. Vt si quis dicat, magnus mōs paruum mōtem, nihil

signifi

significat definitum. Quocirca quamuis accusatiuus casus in hac prædicatione sit, nō tamen vim relationis casus tenet, sed præpositio. Atq; hoc est quod ait Aristoteles, vel quomodolibet aliter ad aliud, vt quoniam superius secundum casus relationes fieri dixerat, erant autem quædam relationes quæ nullis casibus tenerentur, adiecit hoc, vel quomodolibet aliter ad aliud, ac si diceret, Omnis relatio aut casibus fit, quod per hoc demonstrauit, quod ait. Quecunq; id quod sunt aliorum dicuntur, aut præter casus, quod hæc sententia docet, vel quomodolibet aliter ad aliud. Hactenus Seuerinus Boëtius. In quibus verbis manifestè ille insinuat, qua distinctione partes illas duas intelligat.

De communitatibus & proprietatibus ad aliquid.

CAP. XXXIIII.

PONIT autē Aristoteles aliquot conditiones ad aliquid generaliter sumpti, vt sit cōmune tam iis quæ secūdum dici, quàm quæ secundū esse. Quarum quædā rectius cōmunitates, aliæ proprietates videntur appellādæ. Prima hæc est.

Prima proprietas ad aliquid.

Contrarietas inest relationi.

Hoc est, inueniuntur nōnulla ad aliquid quæ adinuicem contrariantur: Pro exemplis assignat Aristoteles virtutem, & vitium, scientiam & ignorantiam, siue (vt appellat Boëtius) inscientiam, accipiendo ignorantiam aut inscientiam non vt priuationem significet, sed habitum oppositum scientiæ, quæ solet appellari ignorantia prauæ dispositionis, ad distinctionem ignorantiæ priuationis. Hæc enim ad aliquid sunt secundum dici, & contrarietatem habent. Verumtamen non in omnibus ad aliquid contrarietas reperitur. Duplum enim non habet contrarium, neque pater item cōtrarium habet. Si enim aliquid contrarium haberet duplum, maximè videretur illud esse dimidium: & patris contrarium si vllum esset, maximè videretur esse filius. Hæc autem non possunt esse contraria, quoniam de eodem simul prædicantur. Vt idem est duplum & dimidium, cōparatione ad diuersa: sic idem est pater & filius, respectu diuersorum. Simpliciter autem impossibile est, contraria simul de eodem prædicari. Non sunt igitur ista cōtraria, ac proinde non omnibus ad aliquid conuenit contrarietas. Imò propriè loquendo, nulli ad aliquid secundum esse contrarietas conuenit, vtpote

Non omnibus inest contrarietas.

quæ

quæ solum in qualitatibus inuenitur. Sed neq; soli ad aliquid ista contrarietas inest, cùm etiam qualitati conueniat. Nõ ergo proprietas est ad aliquid, sed potius communitas.

Secunda proprietas ad aliquid.

CAP. XXXV.

Videntur relatiua magis & minus suscipere.

Secunda proprietas.

Exempla ponit Aristoteles, simile & dissimile, æquale, & inæquale: quoniam dicitur aliquid magis aut minus simile, & magis aut minus inæquale. Non tamen omnibus ad aliquid hoc conuenit. Nihil enim dicitur magis aut minus duplum altero, neque magis aut minus pater alio. Neq; enim si quis centum habeat liberos, dicetur ob hoc magis pater altero, qui tantùm vnam habet prolem de se genitam. Sic qui mille habet seruos, non dicitur magis dominus quàm habens tantùm vnum seruum. Dici quidem potest centum liberos habens, esse pater plurium, & mille seruos habens dicetur plurium dominus: non autem magis pater, aut magis dominus. Huius ratio est, quoniam habitudo ipsa quæ per ista ad aliquid principaliter significatur, non potest intendi vel remitti. Intentio siquidem & remissio solis qualitatibus per se conuenit. Quòd si quis interroget: Quomodo ergo dici possunt simile & dissimile secũdum magis & minus? Responsio est, nõ per se illa dici secundum magis & minus, id est, non secundum habitudines per ipsa vocabula significatas, quibus non amplius quàm aliis habitudinibus conuenit intentio, vel remissio, sed ratione qualitatum ipsarum susscipientium intentionem vel remissionem secundum quas dicuntur res similes aut dissimiles, & in quibus ipsæ illæ habitudines similitudinis & dissimilitudinis fundantur.

Quæstio solutio

Et si iterum fiat quæstio, quomodo dicatur aliquid magis inæquale vel minus? respõdebitur, id admodum impropriè dici: quoniam magis & minus propriè secundum aliquam intentionem vel remissionem dicuntur. Interdum tamen etiam dicuntur propter aliam aliquam rationem minus propriè magis & minus, vt suprà diximus magis aut minus substantiam solum propter plura vel pauciora, quibus hoc aut illud substat. Sic modo dicitur magis inæquale vel minus secundum augmentum maius aut minus, siue secundum mensuram maiorem aut minorem ipsius quantitatis secundum

dum quam dicitur æqualitas & inæqualitas. Vt linea quatuor pedum dicitur esse magis inæqualis lineæ duorum pedum, quàm linea trium pedum, propter quantitatis excessum maiorem secundum mensuram longitudinis. Item tempus sex horarum dicitur magis inæquale tempori duarum horarum, quàm tempus quatuor horarũ, propter excessum longioris durationis. In numeris quoq; sex dicuntur magis inæquales tribus quàm quatuor, eo quòd sit superexcessus maior ipsorum sex in multitudine quàm ipsorum quatuor. Non potest autem istud, quod modo dictum est, propriè dici proprium ad aliquid, cùm nec omni conueniat ad aliquid (vt suprà dictum est) nec soli. Conuenit enim & qualitatibus, quæ non sunt ad aliquid. Est igitur communitas quædam aut conditio, potius quàm proprietas.

Tertia proprietas ad aliquid. CAP. XXXVI.

Tertia proprietas.

Omnia relatiua dicuntur ad conuertentia.

Sic enim legendum est per numerũ pluralem, ad conuertentia: non ad conuertentiam numero singulari, vt manifestè patet ex Græco, vbi loco vocabuli cõuertentia dicitur antistrephonta, quod vocabulum manifestè neutri generis est numeri pluralis, non fœminini singulare. Vocat autem Aristoteles conuertentia, quæ nos alio nomine appellamus correlatiua. Correlatiuum enim siue conuertens alicuius relatiui dicimus, illud ad quod tale relatiuũ refertur, quodque vicissim refertur ad ipsum. Exempli gratia, dominus est relatiuum, & pro suo correlatiuo aut conuertente habet seruum: quoniam ad seruum refertur dominus, & vicissim ad dominum seruus, dicendo: Dominus est serui dominus, & seruus est domini seruus. Ita patris est conuertens filius, magistri discipulus, dupli dimidium, atq; ita in cæteris. Dicunturq; pater & filius adinuicem correlatiua atq; conuertentia, item dominus & seruus, duplum & dimidiũ, scientia & scibile, sensus & sensatũ, & ita in aliis quæ suprà dicta sunt.

Neq; refert siue secundum eundem casum adinuicem referantur, siue secundum diuersos. In quibusdam enim sic, id est, secundum eundem casum fit conuertentia: vt pater dicitur filij pater, & econuerso, filius patris filius. In aliis autem aliter, vt scientia dicitur scibilis scientia, scibile autem dicitur scientia scibile. Vt autem rectè fiat ista correlatiuorũ

uorum mutua relatio (quam conuertentiam nominant) oportet prouidere, vt aptè asſignetur correlatiuum ſiue conuertens eius quod proponitur. Nam ſi in aſsignando erratum fuerit, nihil mirum erit, ſi non inueniatur mutua relatio debita. Vt exempli gratia, ala, caput, remus, ad aliquid ſunt ſecundum dici, vtpote quæ ſecundum habitudinẽ partis referantur ad totum. Quibus ſi quis aſsignet pro conuertentibus, auem, animal, nauem, non inueniet debitam relationem mutuam ſiue conuertentiam. Nam ala non dicitur propriè auis ala, quoniam non dicitur ala ipſius auis inquãtum auis eſt: ſed inquantum alata eſt, eo quòd & quorundã aliorum ſint alæ, quæ tamen non ſunt aues. Neq; viciſsim auis refertur ſecundum conuertentiam ad alam, dicendo, auis eſt alæ auis, vel alio quouis caſu. Imò etſi ſecundum alium caſum poſſet auis ad alam referri, nec ſic eſſet propria relatio, cum poſsit eſſe auis quæ non habeat alas. Ita qui caput voluerit referre ad animal, non rectum aſsignat cõuertens: quoniam non dicitur caput ipſius animalis ſecundum quod animal eſt, cùm inueniantur animalia capite carentia. Sic item de remo reſpectu nauis dicendum.

Si verò rectè aſsignauerimus conuertentia prædictorum ad aliquid, videbimus debitam conuertentiam. Vnde alæ ſi quis pro ſuo cõuertente aſsignet alatum, capiti capitatum, remo remitum, inueniet mutuam relationem ſine vitio. Omnis enim ala dicitur alicuius alati ala, & econtrario, alatũ omne ala aliqua alatum dicitur. Sic caput dicitur capitati caput, & remus alicuius remiti, id eſt, nauis remum habentis remus: & econtrario, capitatum omne capite eſt capitatum, & remitum omne, remo eſt remitum. Huiuſmodi autẽ vocabula vbi impoſita non fuerint, ſic à principalibus & primitiuis nominibus quæ in vſu ſunt docet Ariſtoteles effingere. Omnia ergo ad aliquid, ſi debita fiat aſsignatio, ducuntur ad conuertentia ſibi reciproca ſiue correlatiua. Propter quod iſta rectè dicitur proprietas ad aliquid.

Quarta proprietas ad aliquid.

CAP. XXXVII.

Videntur ad aliquid eſſe ſimul natura.

Quarta proprietas.

Illa autem dicũtur natura eſſe ſimul, quæ poſita ſe ponũt, & perempta ſe perimunt, id eſt, quãdo ad vnius poſitionem ſequi

sequitur positio alterius, & ad vnius negationẽ sequitur negatio alterius. Exempli gratia, pater & filius simul sunt natura, quoniam posito patre consequens est filiũ esse, & econtrario posito filio cõsequens est patrem esse. Iterum ablato patre aufertur & filius, atq; ecõtrario. Non potest enim esse pater nisi habeat filium, neq; potest esse filius qui nõ habeat patrem. Non quòd homo ille qui modo est pater non possit permanere in esse naturæ mortuo filio, aut ecõtrario: quasi homo ille qui modo est filius simul debeat interire cum patre, sed quia non potest homo ille permanere pater sine filio, neq; esse potest filius sine patre. Dicit autem Aristoteles, istud non generaliter omnibus ad aliquid conuenire. Prius enim & posterius adinuicem referuntur, quoniã prius dicitur posteriore prius, & posterius priore posterius. Non sunt tamen simul natura, quoniam posito priore non consequitur posterius esse, neque econtrario. Prius enim præcedit natura, ac posterius natura subsequitur. Quorum autem vnum natura præcedit, aliud subsequitur, non potest fieri, vt illa simul natura esse dicantur. Idem declarat de scibili, & scientia, sensibili & sensu. Non enim ista sunt simul natura, quoniam non est opus posito scibili, poni & scientiam. Potest enim esse res scibilis, antequam eius habeatur scientia. Sic & sensibile potest esse sine sensu, vtpote si nullum esset animal, essent autem cætera omnia corpora, esset tunc quidẽ sensibile (cùm omne corpus sit sensibile) nullus autem esset sensus quoniam omnis sensus in animali est. In his igitur ad aliquid quæ ita dicuntur secundum aliquã temporis ampliationem, non inuenitur ista conditio, quemadmodum prius & posterius cum ampliatione significãt ad præteritum vel futurum tempus, ita scibile & sensibile cum aliqua ampliatione significant, quoniã per possibilitatẽ vel potentiam explicantur. Valet enim scibile idem quod potens sciri, vel aptum natum sciri, & sensibile idem quod potens vel aptum natum sentiri. In illis autem ad aliquid, quę secundũ nullam ampliationem dicuntur vel significãt, vniuersaliter inuenitur ista proprietas assignata. Quare & hac ex parte proprietas rectè potest nominari, eo quòd omni tali ad aliquid, quod nulla ampliatione dicitur, conueniat. Generaliter quoq; soli ad aliquid conuenit esse simul natura, si propriissimè accipiatur simul natura, supplẽdo prædictã definitionẽ

ad

ad hunc modũ. Simul natura sunt, quæ posita se ponũt & perempta se perimunt, & quorũ alterum nõ est causa alterius, neq; ambo effectus sunt eiusdem tertij. Prius additur, ad excludẽdum hominem & risibile. Hæc enim duo se ponunt & perimunt, quoniam si homo est, risibile est, & si homo non est, neq; risibile erit, atque econtrario. Verùm quia natura humanitatis causa est proprietatis, quæ dicitur risibilitas, idcirco non sunt simul natura, sed est illa prior ista. Omnis enim causa, est natura prior suo effectu.

Secundum adiicitur propter duo ista, risibile & flebile, quæ adinuicem se ponunt & perimunt. Si enim est risibile, est & flebile: & si risibile nõ est, nec flebile erit, nec econtrario. Nec horum duorũ alterum est causa alterius. Nec enim à risibilitatis proprietate procedit flebilitas, nec econtrario. Sed quia ambæ proprietates ab eadem natura specifica humanitatis procedunt (ad eum modum, quo in libro priori in tractatu de proprio declaratum est) idcirco non dicuntur simul natura. Atque hoc pacto videbitur soli ad aliquid ista proprietas conuenire, ad aliquid sumpto generaliter vt hactenus. Nusquam enim in substantia aut quantitate aut qualitate inueniri videbitur ista conditio, vt aliqua sint simul natura.

Quinta proprietas ad aliquid.

CAP. XXXVIII.

Quinta proprietas

Si quis definitè nouerit vnum relatiuorum, definitè nosset & reliquum.

Hoc est, si quis determinate & certò sciuerit, alicui cõuenire alterũ relatiuorum, oportet eundem scire determinate & certò cui alterum correlatiuum siue conuertens conueniat. Quòd si determinate non nouerit, neq; alterum nosse existimadus est. Exempli gratia. Si determinate dicas te scire, me esse patrem, oportet determinate scias, cuius sim pater siue quis meus sit filius: quod si determinate non nosti, neque determinate nosti me esse patrem. Item, si quis dicat se cognoscere certò & determinate, hunc esse dominum, oportet determinate illum nosse cuius sit dominus, aut quis ei sit seruus. Verùm hæc proprietas iuxta Aristotelis declarationem, præcipuè ad aliquid secundum esse videtur applicanda.

Secũda definitio ad aliquid.

Secunda definitio ad aliquid explicatur.

CAP. XXXIX.

POSTERIOR definitio ad aliquid talis est.

Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere.

Quam definitionẽ ipse Aristoteles in hoc asserit à priore differre, quòd illa generalior sit, ista specialior. Conuenit enim illa omnibus ad aliquid, etiam iis quæ secundum dici tantùm appellantur: ista verò non nisi ad aliquid secundum esse conuenit, & secundũ quosdam etiam specialius, vt solũ conueniat ipsis ad aliquid quæ propriè huius sunt prædicamenti, quatenus cõtra sex postrema distinguitur. Pro cuius intellectu notandũ est, quòd sex vltima prædicamenta, nempe actio, passio, quando, vbi, situs, & habitus dicuntur esse naturæ relatiuæ siue respectiuæ. Cõsistunt enim in quadã habitudine & relatione vnius ad alterũ. Vt actio est habitudo agẽtis ad patiens, passio est habitudo patientis ad agens, atq; ita in cæteris, quemadmodum suo loco patebit. Atq; hinc omnes termini sex vltimorum prædicamentorũ vocantur ad aliquid secundum esse, quoniam ex principali significato omnes significant relationem vel habitudinem. Et de his omnibus cõmuniter exponitur ista posterior definitio ad hunc modũ: Ad aliquid secundũ esse sunt vocabula, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere, id est, quorũ principale significatum est habitudo vel relatio ad aliquam rem. Quod autem hìc sub ad aliquid omnia posteriora prædicamenta voluerit cõprehendere Aristoteles, satis ex illo videtur confirmari, quòd in sequentibus specialem de eis tractatum non faciat, æstimans, quantum opus est ad præsens negotiũ, hìc sub ad aliquid satis de eis se dixisse. Capitur tamen interdum ad aliquid propriissimè pro solis terminis huius prædicamenti, quatenus cõtra alia omnia respectiua siue relatiua prædicamenta distinguitur, secundum quam acceptionem actio & passio & cætera non dicuntur ad aliquid.

Diuisiones ad aliquid.

Ponuntur diuisiones ad aliquid. CAP. XL.

SOLENT autẽ recentiores ad aliquid diuidere, in ad aliquid æquiparantiæ & disquiparantiæ. Ad aliquid equipa « rantiæ vocant, quod refertur ad seipsum siue ad idẽ nomen. «

Vt

Vt simile ad seipsum refertur, dicendo, simile est simili simile. Sic æquale dicitur æquali æquale, dissimile dissimili dissimile, inæquale inæquali inæquale, vicinus vicino vicinus, amicus amico amicus, cognatus cognato cognatus, affinis affini affinis, coniunx coniugi coniunx, atque ita in similibus. Ad aliquid verò disquiparantiæ appellant, quod ad aliud nomen refertur. Vt pater non dicitur patris pater, sed filij, dominus dicitur serui dominus, præceptor discipuli, prælatus subditi, & econtrario. Iterũ ad aliquid disquiparantiæ diuidunt in ad aliquid superpositionis, & suppositionis. Ad aliquid superpositionis dicitur, quod secundũ relationem dignioremẽ dicitur, vt pater, dominus, magister, creator, gubernator, prepositus, dux, princeps, rex, pastor, episcopus, causa, principiũ, totum, cæteráq; dignitatum & officiorum nomina. Ad aliquid suppositionis ex opposito dicitur, quod secundũ relationem minus dignam dicitur, vt filius, seruus, discipulus, creatura, gubernatum, subditum, miles, effectus, pars. Referuntur autem ista adinuicẽ, hoc modo, Pater est filij pater, dominus serui dominus, præceptor discipuli præceptor, creator est creaturę creator, gubernator est gubernati gubernator, præpositus est subditi aut subditorum præpositus, dux est militum dux, princeps est principatus sui princeps, rex est regni sui rex, imperator est imperij sui imperator (capiendo principatum, regnum & imperium, pro ipsis omnibus qui sub sunt principatui, regimini, imperio.) Pastor item est curæ suæ, id est, pascendarum ouiũ pastor, episcopus episcopatus sui episcopus, causa dicitur effectus sui causa, & totum in ordine ad partem dicitur totum. Nec difficile est relationes istas conuertere. Filius enim dicitur patris, seruus domini, discipulus præceptoris, creatura creatoris, gubernatũ à gubernatore, subditus prelato, miles ducis, principatus principis, regnum regis, imperium imperatoris, cura pastoris, episcopatus episcopi, capiendo curam & episcopatum, pro iis qui pastori & episcopo cõmissi sunt. effectus quoq; dicitur causæ suę effectus, & pars totius pars. Ita quoq; in cæteris dicendum.

De prædicamento qualitatis. CAP. XLI.

QVALITATIS prædicamentum inter prædicamenta accidentium latissimum est, vtpote quod plurima & admodũ diuersa intra suę latitudinis ambitum cõplectatur

atq; contineat. Definit autem Aristoteles, siue potius aliquo modo describit & notificat qualitatem, hoc modo.

Definitio qualitatis.

Qualitas est, secundum quam quales quidam dicuntur.

Quod non propriè definitio est, cùm generalissima genera proprias definitiones nō habeāt. Est tamen descriptio, vel vt minimū qualiscūq; notificatio qualitatis. Neque est quòd quisquī obiiciat, ignotū hìc definiri per æquè ignotū, qualitatem scilicet per quale, quæ ambo videntur æquè ignota, cùm definitio & descriptio omnis debeat fieri per notiora. Non est enim verum, æquè ignotum esse quale, vt qualitatem. Notius enim est quale quàm qualitas, sicut albū quàm albedo, coloratum quàm color. Id quod manifestè cognoscimus ex plerisque rudibus, qui album quidem sciunt, sed albedo quid sit, non intelligunt: coloratū item & se videre & nosse dicunt, si autem de colore interrogentur, quid sit, nescIunt. Quoniam ita plerunq; sensui est notius cōcretum quàm abstracta qualitas, ob hoc nō incongruè potest describi, & vtcunq; notificari abstractum per concretum. Hìc verò maximè, cùm qualitas tanquam generalissimum genus, propria definitione non possit notificari. Est ergo qualitas forma accidentalis, secundū quam aliqua substantia dicitur qualis: vt ab albedine dicimur albi, à scientia docti vel scientes, à virtute probi, aut studiosi, à vitio mali, vitiosi & improbi.

De quatuor speciebus qualitatis, & primum de habitu & dispositione. CAP. XLII.

Dividit autem Aristoteles qualitatē prima sui diuisione in quatuor species, quas etiam appellat qualitatis genera: non quòd sint supra qualitatem (sic enim non esset qualitas generalissimū genus, cùm haberet aliud supraueniens genus) sed quia sunt genera sub qualitate posita, habentia nimirum species sub se alias plurimas. Voluit enim specierum istarum latitudinem significare, cùm eas non solum species, sed etiam genera appellauit qualitatis, id est, sub qualitate. Singulæ enim harum specierū quatuor alias sub se plures comprehendunt, vt in processu patebit. Quoniam autem propria nomina non sunt imposita quibus genera ista possent designari, idcirco necessitate compulsus & inopia vocabulorum, circumloquutione vtitur in illis assignan

gnandis. Assignat autem primo loco, habitum & dispositionem. Sub quo genere comprehendi vult omnes habitus & dispositiones, & si quæ alia horum naturam retinent, siue cum his naturalem conuenientiam obtinent. Hoc autem in primis notandū est, inter habitum & dispositionem, nō esse differentiam essentialem, quasi specie aut genere differant habitus & dispositio. Non enim differunt, nisi secundū magis & minus, secundum perfectum & imperfectum, secundum firmum & infirmum, secundū facilè mobile & difficulter mobile. Dispositio namque est promptitudo aliqua, vel assuefactio, relicta ex actu aliquo vel actibus pluribus, adhuc tamen infirma & exigua, ita vt facile perdi possit aut à subiecto dimoueri. Verum postquàm eadē illa promptitudo altas radices iecerit, postquā assuefactio illa fuerit bene radicata in subiecto, ita vt non nisi magna difficultate possit perdi aut à subiecto dimoueri, iam habitus dici merebitur. Propter quod habitus iuuenili aut virili conditioni, dispositio puerili aptè potest comparari, quemadmodū Seuerinus Boëtius ait, dispositionem ab habitu distare eo modo, quo ipse Socrates dum esset paruulus, pòst verò pubescens à seipso distabat. Vnde dispositio, imperfectus & initiatiuus quidam habitus dici potest, & econtrario, habitus quædā perfecta & consummata dispositio. Dispositio enim cùm perficitur, in habitum euadit, quemadmodum puer cùm perficitur, in virum tandem euadit. Exempli gratia, in eo qui à pueritia sobriè semper & castè vitam duxit, sobriisq; & castis actibus sedulò dedit operam, in hoc sobrietatis & castitatis proculdubio est habitus, quoniā difficulter mobilis est à subiecto illa cōsuetudo siue promptitudo ex longa assuefactione, id est, per continuam operationem actuum talium acquisita. Nam etsi fortè contingat interdū incidere in actū aliquem sobrietati aut castitati contrariū, nō tamen statim perditur habitus ille castitatis & sobrietatis, quemadmodū is qui habitū rectè scribendi habet, si semel malè pingat figurā aliquā, non, ex hoc scribendi perdit habitū. In nouello autem Christi tyrunculo, qui non diu ab ebrietate & impudicitia conuersus castis & sobriis actibus cœpit exerceri, necdum verò multum promouit, dispositionem quandam dicere possumus illum iam assequutum, habitum non item. Est enim ex actibus illis quibus iam aliquandiu se exerci-

Prima species qualitatis.

Dispositio.

tauit, relicta nonnulla promptitudo & assuefactio. Verùm ea tam est adhuc debilis, tam infirma, tã malè radicata, vt facile possit perdi, si nõ cõtinuò aduenientibus similibus actibus roboraretur, & perficeretur ad acquirendã firmitatem

*** Vndè sic solent dispositio & habitus definiri. Dispositio « est qualitas insensibilis ex multis actibus vel vnico actu ac- « quisita, sed malè radicata & facile à subiecto mobilis. Habi « tus verò est qualitas insensibilis ex multis actibus vel actu « vnico acquisita, bene radicata, & difficulter à subiecto mobilis. Ex quib. definitionibus patet, nullũ habitũ aut dispositionem inesse homini à natura, neq; vllum habitũ ei esse cõgenitum aut innatum, sed acquiri debere ex actu vel ex actibus. Quemadmodum enim ex impressione pedis in terram, postquam calcatio transiuit, relinquitur signum vestigij: sic ex actu etiam vnico, si aliquo modo vehemẽs & validus fuerit, relinquitur quasi vestigium, etiam postquam transierit actus ille, quædam promptitudo ad actum talem reiterandum, & facilius meliusq; operandum. Hic incipit tenuis & admodum exigua dispositio. Deinde pluribus actibus accedentibus, continuè roboratur & augetur illa dispositio, donec tandem euadat in habitum. Quare autem dixerimus in his definitionibus ex actibus multis vel ex actu vno, quantum quidem ad dispositionem satis facilè potest intelligi ex prædictis, quoniam (vt videtur) etiam ex vno actu, modo alicuius fuerit vehementiæ, & cum aliqua attentione perfectus relinquitur qualiscunq; dispositio, quamuis non sit necesse, simpliciter ex omni actu relinqui aliquã dispositionem. Quemadmodum enim nõ ex omni admotione pedis supra terrã relinquitur vestigium, vtpote si tãtùm leuissimè pes terram cõtingat, aut si terra nimiũ dura fuerit, vt tam facile impressionẽ non recipiat: ita nõ semper ex quolibet actu vnico relinquitur dispositio, quoniam interdum nimis remissus & debilis est actus, vt nõ sufficiat aliquid dispositionis relinquere, aut obstat nimia duricies, & praua dispositio cõtraria in subiecto, vt sic nõ possit ex actu vnico in cõtrariũ disponi, sed multis opus est actibus, vt quasi vi inscul patur aliquid vestigij & dispositionis. Admodum tamen frequẽter, ex actu vnico relinquitur dispositio, maximè cũ alicuius attentionis & perfectionis fuerit ille actus. De habitu verò magis mirũ videri possit, quare in eius definitione dicatur

Dispositio.

Habitus.

catur ex pluribus actibus, vel ex actu vnico. Sed sciendum est, iuxta communiorem sententiam, quosdam habitus ex vnico actu acquiri. Vt scientia (quæ est habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus) gigni potest in homine ex vnico actu demonstrationis, quoniam videlicet tam efficax est ille vnicus actus demonstrationis ad scientiam illam in animo generandam, vt eiusdem actus iteratione nō sit opus ad habitum talem imprimendum: regulariter tamen ad habituum generationem opus est pluribus actibus. Dictum est autem de habitu, non quòd non possit amoueri à subiecto, vel extra subiectum perdi, sed quod difficulter possit moueri. Nullus enim est habitus, siue in corpore, siue in anima, qui non aliqua ratione perdi possit, vtpote, vel per grauem aliquam ægritudinem, aut alium casum consimilem. Quem admodum refert Boëtius, quendam summum oratorem ægritudine febribúsque decoctum, omnem literarum amisisse doctrinam, in aliis autem rebus sanum ac sibi constantem, & in omni re vegetum permansisse, quem aliqui Messalam Coruinum fuisse autumant.

De ijs quæ sub habitu & dispositione continentur.

CAPVT XLIII.

DIVIDITVR autē genus istud habitus & dispositio (vt supra tetigimus) in multa inferiora genera & species. Sunt enim quidam habitus animæ, quidā habitus corporis. Habitus animæ est qui acquiritur & subiectatur in anima. Qui iterum diuiditur secundū duas animæ partes, in habitū intellectus & voluntatis. Habitus intellectualis est qui subiectatur in intellectu, ipsumq; ad aliquid disponit habilemq; reddit. Huiusmodi sunt, sapientia, intellectus, scientia, prudētia, ars, opinio, fides. Habitus voluntatis est qui subiectatur in voluntate, vt sunt habitus morales, virtutes atque vitia. *Habitus animæ.*

Horum autem singula iterum possunt subdiuidi. Scientia quidē in naturalem, quæ de rebus naturalibus est: & supernaturalē, quæ est de rebus supra naturā: vt sunt Metaphysica & Theologia, quæ de spiritualibus intelligentiis & Deo tractāt. Virtus autē diuiditur in virtutem theologicā, cuiusmodi sunt fides, spes, charitas, quę immediatè Deū respiciūt: & moralem, quæ respicit actus humanos, ad disponēdos eos secundum mediocritatem debitā. Sub virtute morali ponūtur iustitia, fortitudo, continentia, sobrietas, castitas, humi-

litas &c. Vicium quoque dici potest oppositò modo ad virtutem, secundum quod quædam immediatè circa Deum malè disponunt hominem, vt infidelitas, desperatio, odium Dei: quędá verò immediatè circa actus humanos indisponunt, vt auaritia, incontinentia, gula, pusillanimitas, &c. Quorum omniũ exactior distinctio, nõ est prędicamentalis contemplationis.

Habitus corporis. Habitus autẽ corporis dicitur, qui subiectatur in corpore, aut aliqua eius parte, ipsumq; vel aliquam partem ipsius disponit ad actum aliquem promptius expeditiusq; peragendum. Vt habitus scribendi, habitus ludendi pila, habitus pugillandi aut currendi, atq; ita in cæteris. Manifestũ est enim in his omnibus, præter ipsam artem (quæ in anima est nõ in corpore) ponendam esse aliquã assuefactionem in membris, quibus isti actus peraguntur, ex similium actuum frequẽti iteratione relictã, per quã dispositæ sunt ad tales actus prõptè exercendũ. Vnde si quis plenè cognoscat regulas omnes, quæ ad bene scribendum, pugillandum, aut currendũ requiruntur, nõ habeat autem illam in membris assuefactionem, non dicitur talis habere habitum scribendi, pugillandi, aut currendi. &c. *** Est autem hoc omnibus habitibus commune, quòd sicut ex actibus generantur & introducũtur in subiectum, ita cum iam in subiecto fuerint, vicissim ex sua natura producunt actus consimiles. Habitus enim ex sua natura eum, cui ineest operari facit operationes eiusmodi, ex quibus ipse est genitus. Neq; solum operari facit, sed etiam promptè operari, & cũ delectatione. Nam ita docet in Ethicis Aristoteles, signum esse habitus perfecti, delectabiliter siue cũ delectatione operari. Præter autem hos habitus ex actibus acquisitos, qui naturales sunt, id est secundũ naturã acquiruntur, ponuntur & alij habitus à Deo infusi supernaturales, quos sua benignitate Deus infundit mẽtibus & cordibus hominũ. Huiusmodi sunt, fides, spes, & charitas, itémq; alia spiritussancti dona, quæ apud Esaiam enumerãtur: sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, atque timor Domini. Hæc enim dona quę supra naturæ sunt facultatem, per nostrarum operationum exercitiũ, nõ possumus nostris viribus acquirere, sed ipse Deus per spiritum suũ ea infundit cordibus nostris quemadmodum de charitate testatur sanctus Apostolus, dicẽs: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Rom. 5.* Hęc autem

autem omnia quibus anima in iis quæ ad Deum sunt disponitur, fitq; habilis, rectè qualitates appellãtur, & sub hoc genere constituuntur. Sunt enim habitus & dispositiones.

Solent quoque à nonnullis sub hoc genere constitui, species tam sensibiles, quàm intelligibiles quæ habitibus videntur adsimiles: eo quòd per ipsas disponatur homo ad operationem sensus vel intellectus, sicut per habitum homo ad actum disponitur. Quid autẽ sint hæ species sensibiles, atq; intelligibiles, in libris de consideratione rerum naturalium latè determinauimus.

De secunda specie qualitatis. CAP. XLIIII.

Secunda species qualitatis.

SECVNDA species qualitatis est naturalis potentia vel impotẽtia. Vbi cõiunctio disiunctiua vel, (iuxta quod communiter annotari solet) indicat duo illa, nempe naturalem potentiam & naturalem impotentiam, non idem genus vel eandem speciem esse, quomodo de habitu & dispositione iam diximus, quæ ad significandam identitatem, per copulatiuam coniunctionem adinuicem fuerunt coniuncta. Non enim secundum magis & minus, perfectum & imperfectum differũt ista duo, naturalis potentia, & impotẽtia naturalis, sed differunt secũdum essentiam, sicut duo diuersa genera.

Naturalis potentia.

» Est autem naturalis potentia quædam qualitas congeni-
» ta, & à naturali complexione indita alicui, per quam ipsum
» redditur naturaliter potens ad aliquid agendum vel ad ali-
» cui resistendum. Naturalis verò impotentia est, qualitas cõ-
» genita, & à naturali, complexione indita alicui, per quam
» ipsum redditur naturaliter impotens ad aliquid agendum,
» vel ad alicui resistendum. Exempli gratia, quidam homines
ex naturali complexione sani sunt vel potius salubres, aut sanatiui, id est, quandam nãturalem sanitatem, aut salubritatem habentes, per quam naturaliter potentes sunt ad resistendum iis quæ possent corpori malam inducere valetudinem vt non facilè ab aliquo nocumento pati possint. Alij vero naturaliter ægri sunt, aut potius ægrotatiui siue insalubres: qui naturaliter sunt impotentes ad resistendum noxiis & aduersis, ita vt facillimè patiantur à quibuslibet occurrentibus malis. In illis salubritas illa, vel sanatiuitas naturalis, est naturalis potentia, quæ tunc etiam manere in homine potest, quando actu laborat ægritudine. Vt cùm ex graui causa quempiam in morbum incidisse contigerit, dicimus

Naturalis impotẽtia.

nihilominus illum salubrem vel sanatiuum esse natura. Illa autē insalubritas vel ægrotatiuitas, naturalis impotentia dicitur: quæ in homine esse potest, etiam si actu sit sanus, & nulla laboret aduersa valetudine. Ita durum dicit Aristoteles significare quandam naturalem potentiam, qua res dura naturaliter potens est ad resistendum secanti, vt non facile ter se patiatur diuidi. Contrà verò, molle naturalem significat impotentiam, per quam res mollis naturaliter impotēs est ad resistendum sectioni. Sic in vno est naturalis potentia ambulandi, currendi, pugillandi, luctandi in palæstra, cantandi, saltandi, hoc aut illud operandi, qui ad hoc vel illud ex naturali complexione est dispositus vt possit. In alio cōtraria est impotentia ambulandi, currendi, &c. Differunt autem istæ naturales potentiæ vel impotentiæ ab habitibus & dispositionibus, quòd isti acquiruntur per actus & exercitium, vel infunduntur supernaturaliter, illæ verò neque per actus acquirūtur (quoniam ante omnem actum insunt) neque supernaturaliter infundūtur, sed à natura insunt rei: Non quidem sic à natura, quomodo ea quæ rei sunt essentialia, quomodo animal aut rationale dicimus esse de natura hominis, sed quia à naturali complexione rei conueniūt.

Exempli gratia, secundum complexionem variam bonam vel malā, alij naturaliter salubres sunt, alij insalubres, quidam in stomacho naturalem habent quandam vim benè digerendi cibum, alij naturalem impotentiam ad idem habent. Sic in oculis quorundam, ex complexione est naturalis potentia ad expeditè & bene videndū, in aliis impotētia naturalis vel ad omnino non videndum: vt est in cæcis, vel ad malè & difficulter videndum, vt in aliis cæcutientibus. In oculo quippe cæci, est quædam naturalis impotentia ad vidēdum, quæ nascitur ex mala complexione existente in oculo cæci, videlicet, ex malo contemperamēto, quod non tale est illic quale esse deberet, quemadmodū ecōtrario in oculo bene videntis, illa potentia naturalis ad videndum procedit ex certa & bona complexione naturali, quæ est in oculo. Quid enim causæ est, quòd in oculo est naturalis potentia ad videndum, & non in aure, atq; ecōtrario in aure ad audiendum, & non in oculo, nisi complexio alia atque alia in oculo, & aure, quæ diuersa complexio dat diuersis membris naturales potentias diuersas.

Ista

Ista autem quæ modo dicta sunt de processione naturalium potentiarū à complexione, sunt intelligēda quantum ad naturales potentias ipsius corporis, vel quæ animæ conueniunt in corpore aut secundum corpus. Quod dicimus, propter intellectum & voluntatem, etsi quæ aliæ sunt potentiæ in anima rationali ab illis distinctæ. Siquidē istę vires non insunt homini à naturali complexione. Sunt enim vires eminentes supra corpus, secūdum quas videlicet corpori supereminet anima rationalis, quemadmodum plenius declarauimus in libris de consideratione rerum naturalium, potissimum primo & octauo. Solent tamē istæ vires dici etiam naturales potētiæ, & merito videntur cum his connumerandæ. Sunt enim istæ vires, qualitates innatæ & congenitæ, nimirum à Deo inditæ & insitæ animæ rationali, licet non à complexione corporis. Ponuntur itaq; in hac specie, omnes potentiæ & vires naturales, tam animæ quàm corporis. Per animæ autem potentias in proposito intelligimus vires illas, quæ in ipsa immediatè & non in aliquo organo corporis subiectantur, vt intellectus, voluntas, memoria intellectiua. Hæ enim vires in anima rationali immediatè, & non in aliquo corporeo organo, subiectantur. Naturalis potentia corporis est, quæ subiectatur immediatè in corpore, etiam si ab anima procedat. Huiusmodi sunt omnes aliæ potentiæ sensuum, siue interiorum, siue exteriorum. Potestq; diuidi ista naturalis potentia corporis, in potentiam vegetatiuam, sensitiuam, & motiuam secundum locum. Potentia vegetatiua consequenter diuiditur in nutritiuam, augmentatiuam & generatiuam. Atq; hæ iterum possent subdiuidi, vt ex Physicis patet. Potentia sensitiua diuiditur in sensum interiorem & exteriorem. Exteriores sensus sunt, visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus. Interiores sunt, sensus communis, imaginatiua, æstimatiua, phantasia, memoratiua. De quibus omnius specialius pertractare, non est præsentis instituti. Ad Physicam nempe consideratione hæc spectant, illic singula singulis, & iustis capitibus à nobis sunt tractata. In hac autem specie satis rationabiliter videntur constituendæ etiam virtutes naturales, herbarum ac lapidum, quæ subiecta sua reddunt naturaliter potentia ad aliquid agendum vel alicui resistendum. Virtutes item cœlestium corporum, vtpote cœlorū, & astrorum occultæ vires, quib

*** *Quæ in hac specie contineantur.*

quibus in hæc inferiora potentia sunt mirabiliter influere. Videntur enim naturalibus potentiis non malè connumerari, tametsi qualitates illæ quæ ex influentiis cælestibus in corpora inferiora imprimuntur, maiori ratione in subsequentem speciem videantur reponendæ.

De tertia specie qualitatis.

CAPVT XLV.

Tertia species qualitatis.

TERTIA species qualitatis ita nominatur, passio & passibilis qualitas. Est autem inter passionẽ & passibilem qualitatem simili ferè differẽtia, qualis inter habitum & dispositionem. Passio enim citò trãsit, passibilis qualitas dicitur permanentior. Vt si quis subito exardescẽs irascatur, passio est illa ira citò transiens, nõ autem passibilis qualitas: sic & inflammatio illa & ignea rubedo vultus, cum ira exurgẽs & cum ea trãsiẽs, passio dicitur, quoniã nõ permanet. Si autẽ iracũdiæ passio radicata & diuturna in aliquo permãserit quasi ad modũ habitus, illa passibilis dicitur qualitas, similiter & illa rubedo ignea permanẽs, dicitur passibilis qualitas. Manifestũ autem est, secũdũ diu permanẽs & cito transiẽs nõ sumi differẽtiã essentialẽ. Est enim hoc essentiæ extraneũ, diu permanere aut citò transire quẽadmodũ nõ differt specie homo vno tantùm viuens die, ab eo qui centũ annos vixerit. Comprehendũtur autem sub hac specie summatim omnia obiecta sensuũ exteriorũ nempe colores omnes, atq; etiam lux & lumẽ, quæ sunt obiectũ visus: soni omnes tam voces quàm nõ voces, qui sunt obiectum auditus: sapores omne in qualicunq; sint differẽtia, dulcis, amarus, acidus, qui sunt obiectum gustus: odores omnes, in qualicunq; itẽ sint differentia, suauis, grauis, &c. qui sunt obiectũ olfactus: deniq; qualitates omnes tactiles siue tangibiles, nempe calor, frigus, humiditas & siccitas, quæ à Physicis quatuor primæ qualitates nominantur: item aliæ qualitates tãgibiles secũdæ, de quibus traditur in Physicis, nempe crassum & subtile durũ & molle, lubricum & aridũ, rarum & spissum, graue & leue. Nec obstat quod suprà dictum est, durum & molle esse naturales potẽtias, itẽ quod ait Aristoteles, rarũ & spissum esse positiones potius quàm qualitates. Nihil enim prohibet, eundem terminum secundum aliam & aliã significationẽ poni sub diuersis speciebus qualitatis, sicut neq; in diuersis prædicamẽtis. Sic enim cursor & pugillator, secũdum

Quæ sub hac specie cõtineantur.

quod

quod significant naturales potentias, ponuntur in secũda specie, secundum verò quòd habitus significant in prima. Ita durum & molle, secundum quod significant naturalem potentiam vel impotentiam ad resistendum, ponuntur in secunda specie: secundum verò quod significant quasdã tactu perceptibiles qualitates, ponuntur in tertia specie. Illa siquidem naturalis potentia vel impotentia, non est per se tactu perceptibilis. Ita rarũ & densum prout significant quendam partium situ secundũ elongationem aut compressionẽ maiorem vel minorem, sunt de prædicamento situs: secundum verò quòd qualitates quasdã tactu perceptibiles significant, sunt in prædicamento & sub tertia specie qualitatis.

Quare dicãtur passibilesqualitates.

Causa autem quare istæ qualitates vocentur ab Aristotele patheticæ, id est, passibiles vel patibiles duplex est, quemadmodũ ipse in textu enarrat. Primũ enim dicuntur passibiles vel patibiles, quia vnaquæq; earũ secundũ se passionis in sensu est effectiua. Nõ enim passibiles dicũtur quasi subiectum in quo sunt ab eis aliquid patiãtur ea in se habẽdo, sed quia in sensibus nata sunt efficere aliquã passionẽ. Quod potest intelligi dupliciter. Vel secundum quod vnaquæq; qualitas sensibilis prout est obiectum sui sensus, potest imprimere in ipsum sensum cuius est obiectũ, speciẽ sui, sicq; sensationem actualẽ in potentia sensitiua efficere, quemadmodũ in Physicis lib. ix. plenius declarauimus. Vel quia sic mouẽdo sensum natæ sunt in eo efficere aliquã passionem, vtpote delectationem, vel tristitiã, amorem vel odiũ. Quemadmodum, exẽpli gratia, dulcedo, quę est in melle sensum gustus immutat, suam speciẽ in ipsum organũ gustus, atq; in ipsum gustũ transfundẽdo, sicq; in ipso gustationẽ efficit & patitur quodammodo ipse sensus ab obiecto, quod ipsi suã imprimit speciem, atq; ita deinde efficit in sensuali affectu passionẽ delectationis. Quemadmodũ econtrario amaritudo in felle immutando gustũ, per diffusionem suæ speciei in ipsum, patĩ ipsum quodammodo facit, atq; ita deinde, in affectu sensitiuo efficitur passio tristitiæ. Ita proportionabiliter dicendũ de coloribus, odoribus, sonis, & tangibilibus qualitatibus quantũ in sensu suo efficiunt delectationem, aliæ tristitiam: generaliter autem omnes sensum immutando aliquo modo ipsum pati faciunt. Non enim possunt immutare sensum, quin aliquid patiatur: propter quod etiã à Philosophis, sensus

sus potentia passiua ponitur. Secunda ratio ob quã dicuntur ista sensuum obiecta passibiles qualitates, est, quoniam earum quædam à passionibus quibusdam natæ sunt effici. Quemadmodũ (exempli gratia) rubor in facie causatur ex passione verecundiæ, pallor ex timore, color flammeus ex ira, liuidus ex inuidia. Calor item & frigus, ex passionibus iræ & timoris nascuntur. Ira nanque calefacit, timor infrigidat. Verùm ista ratio nõ est generalis. Non enim omnes passibiles qualitates natæ sunt fieri à passionibus. Neq; enim ex huiusmodi passionibus prædictis timoris aut verecũdiæ, potest aliquis effici sapor vel odor, & multæ aliarũ qualitatũ tangibilium non sunt ab huiusmodi passionibus natæ fieri.

☞ Comprehenditur quoq; sub hac specie qualitatis omnes passiones corporales, vt sunt amor & odium, gaudium, & tristitia, timor, verecũdia, ira, spes, audacia, atq; huiusmodi, de quibus plenè tractauimus vltimo libro considerationis rerum naturalium. Videntur item huc pertinere omnes actus vel operationes potentiarum, tam animæ quàm corporis, nimirum actuales omnes intellectiones, volitiones & nolitiones, imaginationes, sensationes, aliaque huiusmodi. Omnia enim hæc videntur passionibus adsimilia. Nonnulli tamen ista ponunt in prima specie qualitatis. Videntur præterea ad hunc ordinem pertinere qualitates omnes quæ ab extrinseco imprimuntur, quæ ex actibus propriis, aut ex propria complexione efficiuntur, vt sunt impetus qui rebus ab extrinseco imprimuntur: item illæ qualitates quas influentiæ cœlestium corporum in hæc inferiora agendo imprimunt. Volunt etiam nonnulli ad hanc speciem redigere species sensibiles atq; intelligibiles. Verùm illas iam antè locauimus sub prima specie, quòd videantur habitibus magis quàm actibus similes.

De quarta specie qualitatis. CAP. XLVI.

Quarta species qualitatis.

QVARTVM genus sub qualitate comprehẽdit eas, quæ hactenus nullo priorum comprehensæ sunt, figuras & formas accidentarias omnium rerum tam artificialium quàm naturalium. Id ab Aristotele sic assignatur. Figura & quæ circa vnumquodq; constans forma. Tali enim ordine apud Aristotelem genus istud inuenitur assignatum, nõ ordine inuerso, quo vulgò recitari hoc pacto solet, forma & circa aliquid constans, figura. Priore enim loco figura poni debet

debet absolutè, ac secundo loco forma, cum adiectione existentiæ circa aliquid, id quod ad oculum textus Græcus manifestat, qui sic habet: Τέταρτον δὲ γένος ποιότητος σχῆμά τε καὶ ἡ περὶ ἕκαστον ὑπάρχουσα μορφή. Hoc est, vt ad verbum reddamus: Quartum genus qualitatis est, figura & quæ circa vnumquodq; est forma. Sub hoc genere cõtinentur omnes figuræ & formæ, siue naturales, vt forma siue figura hominis, equi, arboris, auri, argenti, cœli, atq; ita in cæteris quas natura rebus donauit, siue artificiales, vt forma lecti, tẽpli, domus, aliarumq; rerum quas ars humana effinxit, atque in materiã laborioso conamine ingeniiq; industria conduxit.

De differentia autem figuræ & formæ, diuersæ sunt diuersorum sententiæ. Seuerinus Boëtius ita eas distinguit: Figura inquiens, est vt triangulum aut quadratum. Forma autem, ipsius figuræ quædam qualitas est. Vt figura quidem est triangulum vel quadratum, forma autem ipsius trianguli vel quadrati quædam qualitas, vnde etiam formosos homines dicimus. Figura enim quædam vel pulchrior, vel mediocris, vel alio quodammodo constituta, qualitas formaq; nominatur. Has autem esse qualitates, nullus dubitat. Si quidem & à figura dicitur figuratus, & à forma formosus. Hactenus Boëtius. Ex quibus patet illum accipere figuram, vt aliquid substratum formæ, ita vt possit eadem figura varias suscipere formas, quemadmodum eadem figura faciei humanæ, varios vultus assumit, nunc lætum, nunc tristem, nunc benignum, nunc tetricum. * * *

Alij sic distinguunt, vt figura propriè ad artificialia referatur, forma ad naturalia, quanquam hæc distinctio sæpe confunditur, vt figura dicatur rerum naturalium quemadmodum dicimus figuram equi aut hominis, forma verò rerum artificialium, veluti cùm dicimus formam domus aut vestis. Comprehenduntur autem sub hac specie omnes figuræ Geometricæ siue perfectæ siue imperfectæ. Perfectæ dicuntur figuræ quæ suo termino vel suis terminis sic sunt conclusæ: vt nihil possit addi vel subtrahi, sine mutatione speciei. Exempli gratia, figura triangularis perfecta est: quia sic est concluſa suis terminis, id est tribus lineis, & tribus angulis, qui ex harum trium linearum coniunctione consurgunt, vt nec minima particula vsquam possit adiici vel subtrahi. Circulus quoque vno termino, nempe *Perfectæ figuræ.*

pe vnius continuæ lineæ protractione, sic est in se conclusus, vt adiici item vel demi nil possit. Quædam autem harum figurarum clauduntur lineis, vt figuræ planæ quæ subiectantur in superficie, quæ videlicet secundum latitudinem tantùm describuntur, non secundum profunditatẽ: vt circulus in superficie describitur, & vna linea in seipsam redeũte sine aliquo angulo clauditur. Sic figura triangularis, quadrangularis, & ita consequenter in superficie describuntur, & lineis tribus, aut quatuor, aut quinque, secũdum angulos totidem coniunctis, clauduntur: quemadmodum ad oculum patet intuenti descriptionem trianguli, aut quadranguli, aut aliquam aliarum huiusmodi figurarum planarũ. Quædam autem clauduntur superficie vel superficiebus, & subiectantur in corpore prædicamenti quantitatis. Cuiusmodi sunt figura sphærica, figura cubica, figura pyramydalis: quæ vocantur figuræ solidæ, eo quòd non secundũ planam superficiem, sed secundum profundam corpulentiã considerentur.

Figuræ imperfectæ.

Imperfectæ autem figuræ dicũtur quæ non sunt ita conclusæ suis terminis, quin addi eis possit vel subtrahi citra mutationem speciei. Huiusmodi assignantur rectitudo & curuitas, concauitas & conuexitas, simum & aquilinum, & si quæ sunt huiusmodi. Figuræ nanque rectæ, secundum lineæ rectæ protractionem, potest addi aut subtrahi, & manebit rectitudo vt antè. Ita curuitati si aliquid adieceris, manebit curuitas: & si abstuleris aliquid, æquè manebit curuitas. Sic in concauitate aut conuexitate superficiei, sic in simo & aquilino. Hæ igitur omnes figuræ Geometricæ, cum omnibus figuris, & formis aliis quarumcunque rerum, siue naturalium, siue artificialium (quæ sunt innumeræ) hic sub quarto qualitatis genere suum locum obtinent.

De *definitione qualium.* CAP. XLVII.

Definitio qualium.

SICVT autem qualitatẽ suprà vtcunq; definiuit, siue descripsit Aristoteles, ita etiam describit qualia, hoc modo:

Qualia sunt quæ secundum hæc denominatiuè dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his.

Quæ definitio, vel de rebus, vel de terminis potest exponi. De rebus sic exponitur: Illa dicũtur qualia quæ secũdũ hæc, id est, secundũ qualitates iã dictas & determinatas, dicuntur denominatiuæ, id est, denominantur aliquo denominatiuo proprie

propriè dicto, voce & significatione simul, vel etiã quæ ab his qualitatibus dicuntur talia aut talia quomodolibet aliter, supple quàm per propriũ denominatiuũ voce & significatione simul, id est, denominatiuo significatione tantùm. Exẽpli gratia: Homo iustus & homo sciẽs sunt qualia, quoniam secundum qualitates dicuntur denominatiuè, id est, denominantur denominatiuo aliquo propriè dicto (quod est denominatiuũ voce & significatione) dicendo, homo est iustus, homo est sciens. Secũdæ partis exẽplũ est, homo studiosus vel probus. Secundũ virtutem namq; licet nõ denominetur homo denominatiuo propriè dicto, voce & significatione simul dicẽdo, homo est virtuosus (quoniam virtuosus non est vox recepta Latinis, potissimũ autẽ Græcis nullum est concretum secundum vocem respondens abstracto ἀρετὴ, quod virtutem significat) denominatur tamen ab illa qualitate homo Græcè σπουδαῖος, Latinè studiosus: quod est quomodolibet aliter denominari, id est, nõ per denominatiuũ voce & significatione, sed significatione tantùm.

De vocibus autem sic potest exponi: Qualia, id est, cõcreta prædicamenti qualitatis, dicuntur vocabula siue concreta, quæ secundũ hæc, id est, secundũ qualitates prædictas, dicuntur denominatiuè, id est, prædicantur sicut denominatiua voce & significatione simul, vel quomodolibet aliter ab his, id est, aliter quàm voce, & significatione, nempe significatione tantùm, secundũ aliquas qualitates. Exẽpli gratia, vocabula albus & niger, qualia sunt, quæ prædicãtur de subiectis, tanquam denominatiua propriè dicta voce & significatione, idq; secundũ qualitates albedinem & nigredinem. Item studiosus & probus, qualia sunt respectu virtutis: quia licet non prædicentur secundũ virtutem, vt denominatiua propriè dicta voce & significatione, dicuntur tamen secundum eam aliquo modo aliter, id est, tanquam denominatiua significatione. Vnde quomodo suprà circa definitionẽ denominatiuorum distinximus triplicia denominatiua, quædã voce tantùm, quædam significatione tantùm, quędam voce & significatione simul: ita & in proposito triplicia qualia possumus distinguere, nempe qualia voce tantùm, significatione tantùm, & voce ac significatione pariter. Primi membri exemplũ ponit Aristoteles in textu, cursorem & pugillatorẽ, vt significent naturales potentias. Hæc enim duo qua- ***

lia denominatiua sunt tantùm secundũ vocẽ, respectu cursoriæ & pugillatoriæ: quæ (vt ait Aristoteles) nõ naturalem potentiã, sed habitũ significant. Vnde respectu horũ abstractorũ, illa qualia tantùm sunt denominatiua secundum vocem. Secundi membri exemplũ dedimus studiosum vel probum respectu virtutis. Voce enim hæc nõ cõueniunt, sed significatione. Tertij membri sunt exẽpla plurima ab omnibus penè qualitatibus. Penè enim omnes qualitates sua habẽt propria cõcreta, secundũ vocẽ ab ipsis abstractis deriuata. Definit autem Arist. in proposito, nõ solũ qualia voce & significatione, sed etiã qualia significatione tantùm. Priora quidẽ sub priore membro, posteriora verò sub posteriore concludens. Qualibus autẽ voce tantùm nõ cõuenit definitio, quoniã illa nullo modo secundũ qualitates dicũtur. Nõ enim dicitur quis cursor aut pugillator (in significatione naturalis potentiæ) à disciplina cursoria vel palæstrica.

De *conditionibus siue proprietatibus qualitatis.*

CAP. XLVIII.

Qualitatis prima proprietas

PRIMA proprietas qualitatis hæc est.

Inest contrarietas qualitati.

Exempla possunt inueniri in singulis quatuor speciebus qualitatis. In prima enim sunt, virtus & vitiũ, sciẽtia & ignorantia contraria, quã vocant prauę dispositionis. In secunda sunt, salubre & insalubre, durum & molle, visiuũ & impotens videre, imò & ipsa duo prima genera naturalis potẽtia & naturalis impotentia. In tertia sunt colores contrarij, albedo & nigredo: sapores contrarij, dulcedo & amaritudo: odores contrarij, grauis & lenis: tangibiles qualitates contrarię, calor & frigus, humiditas & siccitas. In quarta quoq; rectitudo & curuitas, simum & aquilinũ. Non omnitamẽ qualitati conuenit habere contrariũ, cùm plurimæ nullum habeant. In prima specie qualitatis omnes species sensibiles & intelligibiles non habent cõtrarium. Si enim vllæ species sensibiles haberent cõtrarium, maximè id videretur in speciebus à qualitatibus contrariis procedentibus: quæ tamen verè non contrariantur, cum possint simul in eodem subiecto existere, quemadmodũ ex physicis est manifestum. In secunda specie, intellectus & voluntas non habent contrarietatem. In tertia colores medij, item odores, & sapores medij,

dij. In quarta verò, omnes figuræ perfectæ, vt triangulus, quadrangulus, figura sphærica & cubica, contrariis carent.

Non potest igitur hæc conditio qualitatis dici propria ei quarto modo, quoniã non omni qualitati conuenit. Propria tamen dicetur primo modo, si rectè intelligatur. Soli enim qualitati conuenit vera & propriè dicta contrarietas. Substantiæ enim (vt suprà dictum est) nihil est contrarium. Idem dictum est de quantitate. In ad aliquid non assignatur contrarietas, nisi large sumpto nomine ad aliquid, vt etiam cõprehendat qualitates. In aliis verò nonnullis, vtpote actione & passione, si videatur inueniri contrarietas, nõ propriè, & propter ipsam inuenitur, sed per accidens, qualitatũ gratia, vt paulò pòst suo loco dicetur.

Secunda proprietas qualitatis.

CAP. XLIX.

Qualia suscipiunt magis & minus. *Secunda proprietas.*

Suscipere autem magis & minus, est intentionem suscipere vel remissionem, si de rebus loquamur: vel cũ aduerbiis magis & minus intensionem aut remissionem rei significatæ designantibus prædicari, si de vocabulis fiat sermo. Atq; in hoc sensu propriè loquendo, cõditio ista propria est qualitati primo modo, quoniam conuenit soli qualitati & non omni. In singulis quidem speciebus qualitatis præterquam in vltima inuenitur magis & minus. Habitus enim & dispositiones intenduntur & remittuntur, & prædicantur termini cũ magis & minus, vt alius est alio magis grammaticus, magis sciens, magis liberalis, magis iustus. Sic in secũda specie, alius est alio magis salubris aut egrotatiuus, aliud alio magis durum aut magis molle. In tertia, manifestũ est aliud alio esse magis calidum, magis album, magis amarum & ita in cæteris. Nõ omni autẽ qualitati conuenit suscipere magis & minus. In quarta enim specie, penitus non inuenitur intensio vel remissio, neq; prædicatio secundũ magis & minus propriè accepta. Non enim vnum dicimus magis triangulare aut quadrangulare, sphericũ aut cubicum, aut pyramidale, aut circulare, quàm alterũ. Quicquid enim eiusmodi fuerit, perfectè eiusmodi esse debet, vt nõ possit esse magis: siquidẽ figurę eiusmodi (vt dici solet) cõsistũt in indiuiũ bili. De figuris autẽ imperfectis quæ nõ cõsistũt in indiui-

sibili, tametsi secundū nomē videri possit, eas suscipere, magis & minus, vt dicitur alius alio magis simus aut aquilinus, linea item vna dicitur alia magis curua, id tamen nō est ratione intensionis rerum significatarum, sed aliundè, nempe ex latiori extensione vel commensuratione, vel distantia locali. Non omni igitur qualitati conuenit suscipere magis & minus. Soli tamen cōuenit qualitati, si propriè intelligatur, vt suprà expositum est. Quòd si quædā alia videntur dici secundū magis & minus, erit hoc nō ratione intensionis aut remissionis rei significatæ, quemadmodū suprà dictum est de inæquali, quod dicitur secundū magis & minus alia ratione. Termini quoque prædicamenti actionis & passionis, aliquo modo dicuntur secundum magis & minus: sed nō nisi ratione qualitatum, vt suo loco posterius dicetur.

De tertia proprietate qualitatis. CAP. L.

Tertia proprietas.

TERTIAM insuper ponit Aristoteles conditionē qualitatis, quæ sola ei propriè est propria.

Similia, inquit, & dissimilia secundum solas qualitates dicuntur.

Est autē hoc qualitati proprium quarto modo, secūdum ipsam aliquid dici simile aut dissimile: quēadmodū de quātitate diximus, propriū ei esse, vt secundum eam res dicatur æqualis aut inæqualis. Omni enim qualitati id cōuenit, quoniam secundū omnes qualitates sumitur similitudo in omni specie. Duo enim Grāmatici similes sibi sunt in Grāmatica, quā vterq; habet. Duo albi, duo nigri, sibiinuicem sunt similes. Duo quorū alter est sciens, alter ignorās ignorātia prauæ dispositionis, alter rectè credēs, alter hæreticus, alter albus, alter niger, sibiinuicē dissimiles sunt. Duo triangularia corpora, sibi similia sunt. Duo quorū alterū est triangulare, alterū quadrangulare, sibiinuicē sunt dissimilia. Soli quoq; id cōuenit qualitati. Neq; enim secundū substantiā sumitur similitudo, neq; secundū quantitatē, neq; secūdū ad aliquid, neq; secundū aliquid aliorū, sed secundum solas qualitates.

Quid similitudo & dissimilitudo.

Solent autē similitudo & dissimilitudo sic definiri: Similitudo est rerū differentiū eadem qualitas. Dissimilitudo est rerū differētiū diuersa qualitas. Quæ descriptiones sunt causaliter intelligēdæ, in hūc modū. Similitudo causatur ex eadē (id est, cōsimili secundū speciē) qualitate, in diuersis subiectis.

iectis. Dissimilitudo verò causatur ex diuersis secundũ speciem qualitatibus in diuersis subiectis existẽtibus. Hoc est, illa sunt similia adinuicẽ, quæ habent eandẽ secundũ speciẽ qualitatẽ: illa dissimilia quæ habent diuersas secundũ speciẽ qualitates. Sola enim diuersitas numeralis qualitatem non ponit dissimilitudinem, sed tantùm specifica atq; generica.

De prædicamento actionis.

CAP. LI.

DETERMINATIS latè prioribus quatuor prædicamẽtis, sex posteriora, nempe actionẽ, passionem, vbi, quãdo, situ, esse, & habere, paucissimis perstringit verius quàm tradit Aristoteles, eo quòd sub ad aliquid magna ex parte eorum natura sit explicata, cùm sint omnia ista prædicamenta respectiua & quodammodo ad aliquid, neq; ita multa magnæ vtilitatis de his, vt de aliis prædictis, occurrũt determinanda. Posteriores verò nonnulli, exactius de his existimauerunt disserendũ. Quorum & nos sententiam institutúmq; aliquousque sequentes, singula horum suo ordine compendiosè tractabimus. Nec enim temerè contemnenda, aut reiicienda sunt, quæ posteriorum sagax diligentia primorum bonis inuentis adiecit. De actione igitur dicturi, primo eius definitionem explicabimus, deinde species sub ipsa diuersas assignabimus, ac postremo conditiones proprietatésque eius locabimus, quo ordine hactenus est à nobis, sicut & ab Aristotele, processum. Definitur itaque actio hoc modo.

Definitio actionis.

Actio est, secundum quam in id quod subiicitur, agere dicimur.

Cuius sensus est: Actio est forma aliqua accidentalis siuè habitudo quædã, secundũ quã res aliqua dicitur agere in id quod subiicitur. Vt calefactio actiua est actio: quoniã secundum ipsam dicitur ignis calefaciẽs agere in aquã sibi subiectam secundũ virtutẽ. Subiectio enim ista nõ est intelligẽda suppositio localis. Sic enim aqua nõ subiicitur, sed supraponitur igni à quo calefit. Verùm secundũ virtutem accipitur ista subiectio, vt illud dicatur alteri subiici in proposito, q̃ ab altero virtute & actiuitate superatur. Quomodo aqua igni subiicitur, quãdo virtus ignis sic prævalet aquæ, vt cogat eã susc ipere à se caloris impressionẽ. Diuiditur autem

Actio corporis. actio in actionē animæ & corporis. Actio corporis est, quæ subiectatur in corpore, vt calefactio actiua, frigefactio actiua, induratio item & emollitio, sectio, percussio, aliáq; huiusmodi. Actio verò animę est, quæ subiectatur in anima vel spiritu, vt intellectio actiua, volitio actiua. Intellectus enim producit in se intellectionē, agendo illam producit, & in seipsum patiendo recipit. Similiter & voluntas agendo elicit volitionis actum. Vnde ipsum illud elicere actum intelligēdi siue volendi, est agere, quemadmodum econtrario, ipsum suscipere est pati. Sub actione animæ cōprehenditur etiam actio angelica, vtpote volitio aut nolitio & intellectio angelica. Propter hoc in definitione signāter diximus, quæ subiectatur in anima vel spiritu. Posset autem hoc in loco multiplex actio distingui, & multæ possent assignari actionum differentiæ, sed quia ad Physicam considerationem spectant huiusmodi à nobis in præsentiarum relinquuntur.

Actio Animæ.

De proprietatibus actionis & passionis.

CAP. LII.

PONIT Aristoteles paucis verbis duas actionis & passionis proprietates. Prior hæc est:

Prima actionis proprietas.

Suscipiunt agere, & pati contrarietatem.

Quod intelligendum est, nō per se, sed per accidens tantum, ratione videlicet contrariarū qualitatum cōcomitantiū, quæ per actionem agētis suscipiuntur in patiente. Exēpli gratia: Calefacere & frigefacere aliquo modo dicuntur contraria sibiinuicē, eo quòd per calefactionem imprimitur in patiens subiectū caliditas, per frigefactionem frigiditas, quæ sunt duæ qualitates contrariæ. Idem est de indurationē & emollitione. Cæterū, ipsæ actiones ex sua natura contrariantur. Quod manifestè ex eo patet, quoniā in eodē simul esse possunt: quemadmodum in sole indurante lutum, & liquefaciēte glaciē, simul sunt inductio actiua & emollitio. Non ergo per se, sed tantū per accidens, agere & pati suscipiunt contrarietatem. Non omnibus autē actionibus cōuenit, sic contraria suscipere. Nā describere in superficie circulum aut quadrangulū, est quoddā agere, & descriptio illa actiua est actio: nullū habet tamen contrariū, sicut neq; circulus aut quadrangulus. Itē illuminatio actiua nullū habet contrariū, sicut nec lumē contrarietatem habet, sed tātum

Contraria non suscipiunt.

priua

priuationem. Vniuersaliter enim illæ actiones & passiones suscipiunt per accidens contrarietatem, per quas in patiente imprimitur aliqua qualitas habēs per se contrarium. Quando verò qualitas illa in patiente recepta non habet contrarium, tunc nec actio ipsa neque passio, cùm actio & passio non nisi per accidens, ratione eiusmodi qualitatum contrarietatem suscipiant. Exempla patent ex iis quæ dicta sunt. Altera verò proprietas actionis & passionis hæc est.

Suscipiunt agere & pati magis & minus.

Secunda proprietas actionis.

Quæ similiter intelligenda est sicut præcedens, nimirum actionem & passionem susciperе magis & minus per accidens, ratione qualitatū receptarum in subiecto patiente, nō autem per se. Exempli gratia, ignis vnus dicitur magis calefacere alio, aut frigidum vnum magis frigefacere alio. Verùm id non facit per se ipsa natura actionis (quæ cùm sit habitudo quædam, non intenditur vel remittitur) sed per accidens id dicitur ratione alterius, nempe qualitatis ipsius caloris vel frigoris, quæ per vnam actionē intensior imprimitur in passum, quàm per alterā, secundū quod agens potentius est virtute, & passum magis ad patiendum dispositum. Quare enim dicitur magis calefacere ignis magnus quàm paruus, nisi quia magis imprimit calorē intensum, paruus remissiorem? Quare dicitur sol magis illuminare aërē quàm luna, nisi quia maius & intensius lumen sol diffundit in aërem quàm luna? Atq; ita in reliquis. Non ergo per se magis & minus suscipiunt actio & passio, sed tantùm per accidēs. Non autem omnibus actionibus id conuenit, sed iis tantùm per quas imprimitur in subiecto qualitas aliqua intentionem vel remissionē suscipiens, iuxta quod in præcedēti proprietate proportionabiliter diximus. Ignis enim alius alio dicitur magis calefacere, & aqua alia magis alia frigefacere: quoniam caliditas & frigiditas contrariæ qualitates, per actiones illas impressæ in passum suscipiunt intentionem & remissionem. Qui autē circulat aut quadrat (vt ita loquar) non magis circulare aut quadrare alius alio dicitur, sicut nec circulus alius alio est intentior vel remissior.

De prædicamento passionis. CAP. LIII.

ACTIO & passio correlatiua sunt adinuicem. Refertur enim agens ad patiens, & econuerso: quoniam omne

agens dicitur agere in patiens aliquod, & omne patiens dicitur pati ab agente quopiam. Nec potest esse agens nisi sit patiens, neque patiens nisi sit agens. Propter hanc mutuam relationem & correspondentiam, cognita natura actionis satis cognoscitur natura passionis: quoniam (iuxta regulam suprapositam) si quis vnum relatiuorum definitè nouerit, nosset & reliquum. Pro maiori tamen claritate paucis aptemus passioni quæ de actione suo modo dicta sunt. Primum ergo sic definitur passio.

Prior definitio passionis.

Passio est illatio effectusque actionis.

Hoc est, passio est id quod infertur ex actione, siue correlatiuum actionis. Vel sit, opposito modo ad definitionem actionis.

Altera definitio.

Passio est, secundum quam, id quod subijcitur pati dicitur.

Quæ definitio, ex prius declarata actionis definitione satis clara relinquitur. Diuiditur autem passio in passionem corporis, & animæ. Passio corporis est, quæ subiectatur in corpore, vt calefactio passiua, frigefactio passiua induratio itē & emollitio passiua, &c. Passio animæ est, quæ subiectatur in anima vel spiritu, vt sunt intellectiones, volitiones, & nolitiones passiuæ, siue in hominibus, siue in angelis.

Passionis autem proprietates ex dictis manifestè sunt. Suscipiunt enim per accidens contrarietatem, non quidem omnes, sed illæ per quas in passo recipiuntur cōtrariæ qualitates, vt frigefactio passiua & calefactio, induratio passiua & emollitio. Illuminatio autem passiua non suscipit, neque per se, neque per accidens, contrarietatem. Suscipiunt quoque per accidens magis & minus, non item omnes, sed illæ quæ qualitates habent concomitantes, intentionem & remissionem suscipientes. Vt calefit vnum altero magis, aut frigefit. Inter ea autem quæ circulantur aut quadrantur, non dicitur aliud alio magis. Adiicitur prædictis alia conditio, quæ verè proprietas est passionis.

Tertia proprietas passionis.

Passio primò infertur ex actione.

Hoc est, passioni conuenit, immediatè inferri ex actione, sicut econtrario actioni conuenit, ex se primo & immediatè inferre passionem. Quemadmodū enim pater primo infert

filium

filium,& filius primo infertur ex patre, quoniam si pater est,oportet filium esse,cũ sit pater filij pater: ita & de agẽte & patiente consimiliter dicendum,cum sint(vt diximus) ad inuicem relatiua.

De prædicamento vbi. CAP. LIIII.

CIRCA hæc duo prædicamenta,quando & vbi,notãdũ est in proposito, nõ accipi vocabula illa interrogatiue, veluti cũ dicimus,quando veniet Dominus,aut vbi habitat? Neq; itẽ aduerbialiter & indefinitè,velut cũ dicimus:quando venit plenitudo tẽporis,misit Deus filiũ suum.aut, illic, pax est vbi Christus habitat.Sed accipiũtur vt sint quędã nomina,secũdum significationẽ.Vbi enim accipimus,pro esse in loco,& quando pro esse in tempore.Idq; si cõcretiuè accipiantur.Si verò abstractiuè,habitudines ipsæ intelliguntur rei locatæ ad locũ quo circũscribitur,aut rei temporalis ad tempus quo mẽsuratur. Definitur autem vbi hoc modo.

Quæ sequuntur omnia, vsque ad postprædicamẽtæ festimus leẽtor sine magno detrimento omit.et.

Definitio vbi.

Vbi est circunscriptio corporis locati à loci circumscriptione procedens.

Cuius definitionis hic est sensus.Vbi est habitudo quædã ipsius corporis locum aliquẽ obtinẽtis,quæ habitudo in ipso locato prouenit,ex hoc quod à loco certo circũscribitur vel cõtinetur.Manifestũ enim est id quod est in loco aliquo,determinatam quandam habitudinem habere ad locũ suum quo cõtinetur & circumscribitur:hanc; habitudinẽ, ipsum vbi abstractiuè nũcupamus,& ipsum sic esse in loco,vbi cõcretiuè.Exẽpla per se clara sunt,vt esse in cœlo,esse in terra,esse in domo,in tẽplo,&c.Solent autem diuidere, vbi, in vbi simplex,& vbi cõpositum.Vbi simplex dicitur habitudo alicuius locati ad locũ simplicẽ & indiuisibilẽ,vel ad locum diuisibilem indiuisibiliter se habẽtis.Exẽplũ primi, vt esse angeli in puncto,quod appellatur locus indiuisibilis.Exemplum secũdi,vt esse angeli in hoc templo,in hac ciuitate, in hac regione.Est enim in hoc loco diuisibili angelus indiuisibiliter:quoniam non habet partes diuersas correspondẽtes diuersis partibus loci,cũ sit ipse natura sua indiuisibilis,& partes non habẽs integrales.Simili ferè modo est anima rationalis in corpore quod informat,quoniam non habet partes correspõdentes partibus corporis,sed tota est in toto,& tota in qualibet eius viua particula.Sic itẽ in dignissimo il-

Vbi simplex.

lo sacræ eucharistiæ sacramento, præciosum Domini nostri IESV CHRISTI corpus est in loco illo quem species occupant sacramentales indiuisibiliter: quoniam totus ipse in toto est loco, & totus singulis adest partibus. Vbi verò compositum dicitur, habitudo corporis locati ad locũ diuisibilem, & diuisibiliter ipsum continentem, ipsúmq; circumscribẽtem. Vt esse rerum corporalium in aqua, vel in aëre. Sunt enim res istæ corporales sic in locis suis diuisibiliter, vt singulæ partes locati singulis partibus loci respõdeãt. Quẽadmodum videlicet manus mea habet suũ locum quem nõ caput, & caput alium locum quem non pedes, atq; ita in cæteris. Atq; istud vocãt esse in loco circũscriptiuè, quẽadmodũ precedens vocatur esse in loco definitiuè. De quibus variis modis existendi in loco, plenius suo loco diximus in libro quarto considerationis rerũ naturaliũ, cap. 14. Assignantur quoque cõditiones quędã ipsi vbi, quemadmodum hactenus prædicamentis aliis sunt assignatæ. Prima proprietas est.

Vbi compositum.

Vbi contrarietatem non habet.

Quod intelligi debet de cõtrarietate logica & propriè dicta. Nam esse sursum & esse deorsum, aliquo modo secundum physicam considerationem contraria sunt, cùm secundum illa sumantur motus contrarij. Motus enim sursum & motus deorsum, secundum physicos sibi inuicem censentur contrarij. Secunda proprietas.

Vbi non suscipit magis & minus.

Nam esse in templo, non est magis vbi quàm esse in domo: neque magis in templo, vel domo est alius alio, tametsi vel frequentius, vel diutius, vel magis sedulo in ea possit esse alius alio. Hoc tamen non est magis & minus suscipere. Sunt autem hæc propria secundo modo ipsi vbi quoniam conueniunt omni, sed non soli. Nam & substantia contrarietatem, magis quoque & minus, non recipit.

De prædicamento quando. CAP. LV.

QVID de vocabulo quãdo in ea significatione in qua hîc ejus est vsus dicendũ sit, ex præcedenti capite patet. Et ferè quid de quãdo sit dicẽdum, ex vbi liquere potest, cùm secũdũ proportionẽ ita se habeat res tẽporalis ad tẽpus quo mensuratur, quẽadmodũ res locata ad locũ quo circunscribitur aut continetur. Definiunt autem quando hoc modo.

Quan

Definitio quando.

Quando est, quod ex adiacentia temporis in re temporali derelinquitur.

Cuius descriptionis hic est sensus. Quando est habitudo quædam rei temporalis, quæ in ea inuenitur & prouenit ex mensuratione temporis, ex hoc quod tempore mensuratur. Manifestum est enim sicut res locata certam quandam habitudinem habet ad locum continentem, sic rem temporalem certam item habere habitudinem ad tempus ipsam mensurans: atque hæc habitudo vocatur ipsum quando abstractiuè, ipsumque esse in tempore vocatur quando concretiuè. Diuiditur item quando, in quando simplex & quando compositum. Quando simplex est habitudo rei ad tempus indiuisibile, vt esse angeli in æuiternitate: quæ large potest dici quoddam tempus. Aeuiternitas enim est simplex, & successionis partes non habet, sicut nec æternitas. Item esse hominis aut alterius rei in hoc momento temporis, est quando simplex: quoniam momentum temporis, est indiuisibile, sicut punctus localis est indiuisibilis. Esse autem in æternitate propriè dicta, non comprehenditur sub quando huius prædicamenti: quoniam in æternitate esse soli Deo conuenit, & ab ipso Deo non distinguitur, qui omnia prædicamenta transcendit, immenso nimirum interuallo post se relinquens creata omnia & creatorum accidentia. Quando autem compositum est habitudo rei temporalis ad tempus diuisibile: vt esse in hoc anno, in hoc die, in hac hora, &c. Huiusmodi enim tempus est diuisibile in partes successionis, sicut locus in partes positionis, quemadmodum ex prædicamento quãtitatis relinquitur manifestum. Sub quãdo autem composito, ponuntur esse hodie, fuisse heri, fore cras: item esse vel fuisse vel fore in hoc anno, in hac die, in hac hora, &c. Sub quando autem simplici, videntur immediatè poni, esse in æuiternitate, & esse in momẽto temporis Sub esse in momento, ponitur esse in hoc momẽto, vel in illo. Quæ nemo existimet esse indiuidua, sicut neq; indiuidua sunt, esse in hoc loco, esse in illo loco. Species enim sunt, nõ indiuidua. Sic autem debẽt indiuidua assignari, hoc esse in loco vel in hoc loco, illud esse in hoc loco. Itẽ hoc esse in illo momento vel tẽpore, istud esse in illo momẽto vel tẽpore, sic videlicet toti præponẽdo pronomẽ demonstratiuum

Quando simplex.

Aeternitas.

Quando compositum.

singu

singularizans, non tantùm parti. De natura autē æuiternitatis, & commodo à tempore, item & ab æternitate distinguatur, diximus in libro quarto de considerationē rerū naturalium, cap. xxij. Conditiones etiam quando, eædem sunt quæ ipsius vbi. Quando enim non habet contrarium, neque magis suscipit aut minus.

De prædicamento situs.

CAP. LVI.

POSITIO & situs, nomina sunt omnino eiusdem significationis, secundum eum vsum in quo hic sumuntur. Est tamē situs vocabulum aliquanto notius quàm positio, propter quod per situm definitur positio, hoc modo:

Definitio positionis.

Positio est quidam partium situs, & generationis ordinatio.

Pro cuius definitionis intellectu, aduerte in vnoquoq; corpore, potissimum verò in viuentibus, inueniri habitudinem certam vniuscuiusq; partis in ordine ad totum ipsum, simul & ad reliquas partes eiusdem totius, secūdum variam situationem partium ad inuicem in toto ipso corpore. Exempli gratia, in humano corpore, caput talem habet situ, vt ipsum sit supra humeros, ac superius omnibus aliis partibus. Pedes talem habent situm vel positionem, vt omnium infimi sint, & pars extrema corporis deorsum. Humeri situm habent, vt infra caput consistant & supra pectus. Pectus hunc habet situm, vt supra ventrem & infra collum consistat. Brachia quoq;, vt ad latus vtrumq; dependeant. Item in arbore, radices secundum situm sunt infimæ, truncus medius, rami superiores. Huiusmodi autem habitudo partium in toto ad seinuicem atq; etiam in ordine ad totum, positio vel situs nominatur. Distinguitur autem duplex rerum positio, nempe naturalis, & non naturalis, quam solent conditionalē nominare. Naturalis positio est habitudo certa partium adinuicem in toto ipso corpore, sic à natura rei determinata. Huiusmodi sunt omnes illæ positiones supradictæ, capitis in supremo, pedum in infimo, humerorum supra pectus, pectoris supra ventrem, manuum ad latera. Item in brutis positio capitis in anteriori loco, & caudæ in posteriori, oris versus terram, dorsi versus cœlum, aurium supra caput, & in nonnullis cornuum. Item in plātis, situs radicum deorsum in terra,

Naturalis positio.

trunci

trunci in medio, & ramorum supremo loco in aëre. A' natura enim determinatæ sunt omnes hæ positiones. Positio non naturalis siue conditionalis dicitur, habitudo certa partium non secundum quod est à natura determinata, sed secundum quod aliquo modo aliter partes ad inuicem situantur. Exempli gratia, cùm genua flectit homo, aut cùm capite inclinato terram respicit, aut cùm iacet resupinus vel sedet in cathedra, partes corporis alium situm iam obtinent, aliamq; adinuicem habitudinem, quàm habeant à natura. In genu flexione enim genua non actu supra tibias sunt, neque tibiæ sunt pedibus actu superiores, imò pedũ calcaneũ ipsis genibus est eleuatius. Item cùm adorando procumbit homo & terram pronus aspicit, non caput actu supra humeros est eleuatum, sed dorsum ipsum cœlum potius aspicit, caput verò terram. Ita in cessione, in accubatione, aliisq; huiusmodi, semper alia inuenitur partiũ dispositio adinuicem, quàm secundum naturæ ordinationem habeant. Propter hanc verò duplicem positionẽ, in descriptione prius assignata duæ sunt partes, per cõiunctionem copulatiuã pro disiunctiua positam copulatæ. In parte priori, cùm dicitur quidam partium situs, subaudi, non secundũ naturam deputatus: innuitur positio non naturalis. In posteriori verò, cùm dicitur, & siue vel generationis ordinatio, innuitur positio naturalis, quam videlicet natura à generatione rei determinat.

Assignantur quoque positioni supraposítæ conditiones, quòd magis & minus non suscipiat, itemq; contrarietatem non admittat: intelligendo de contrarietate Logica & propriè dicta. Alioqui enim, situs capitis sursum, & pedum deorsum, videntur aliquo modo contrariari.

De *prædicamento habitus.*

CAP. LVII.

HABITVS prout decimo loco inter prædicamẽta constituitur, aliam habet significationẽ, quàm suprà cum in prædicamento qualitatis assignaretur prima species. Definitur autem habitus, hoc modo:

Habitus est corporum & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia. Definitio habitus.

Quæ definitio hoc innuit, per habitũ hîc intelligi habitudinem quandã consurgẽtem in ipso corpore, ex adiacentia vel

vel applicatione alicuius, siue vestimenti siue ornamenti, ad ipsum. Manifestum est enim, in corpore hominis quod vesti mento induitur, aut cingulo circũdatur, aut alio modo aliter ornatur siue vestitur, siue armatur, aliquam inueniri habitudinem ad illud siue vestimentum, siue ornamentum.

Habitus ornamenti

Diuiditur autem habitus in habitũ ornamẽti & habitum vestimenti. Habitus ornamenti est habitudo corporis, vel partis eius alicuius ad aliquid, quod ei tanquàm ornamentum applicatur. Vt cùm imponitur capiti Regis diadema regni, Põtifici summo triplex corona, episcopo mitra, aut cùm annulus digito inseritur. Coronatio ergo, mitratio & annulatio (vt ita loquamur) habitus sunt ornamenti. Possentq; his annumerari omnes habitus pontificales, imperiales, regales, consulares, sacerdotales: quando videlicet aliquibus insignis honoris vel dignitatis vel officij quisquam induitur, non ad corpus operiendum tantùm aut vestiendum. Omnes enim hi habitus potius ornamenti quàm vestimenti esse videntur.

Habitus vestimenti

Habitus autem vestimenti dicitur habitudo corporis ad aliquid quod ipsi per modum vestimenti circũponitur siue applicatur. Vt cùm pedes operimus calceis, crura caligis, pectus dyploide, corpus totum tunica vel pallio, caput pileo. Quòd si generaliter accipiatur vestimẽtum vt etiam armaturã sub se complectatur, diuiditur vlterius habitus vestimenti, in habitum domesticum siue communem, & habitum bellicũ. Habitus domestici sunt, quos iam enumerauimus. Habitus autẽ bellici sunt, loricatio, galeatio, gladiatio, siue gladij accinctio, clypeatio siue clypei appensio. Hastatio siue hastæ tentio, aliaq; huiusmodi. Si verò specialiter accipiatur vestimentũ, supra habitum vestimenti, & habitum ornamenti, debebit adiici habitus armaturæ.

De proprietatibus habitus. CAP. LVIII.

ASSIGNANT autem habitui conditiones quasdam siue proprietates, quarum prior est:

Habitus suscipit magis & minus.

Quod declarant, de eo qui plura habet vestimẽta alio. Illum enim dicunt hoc magis vestitũ. Et eum qui plura habet ornamenta, dicunt magis ornatũ. Illum quoq; qui plura habet arma, magis armatũ. Verùm id propriè non est suscipere magis & minus, iuxta sensum quẽ in qualitate expressimus.

Non

Non enim propter intensionem ipsius habitus ita dicuntur ista magis & minus, cùm habitus natura existēs ad aliquid, non suscipiat intensionem vel remissionem. Sed tātùm propter multiplicationem armorum, vestimentorum, vel ornamentorum, ex quorū adiacentia fiunt habitudines illæ prædicantur vocabula secundum magis & minus. Quomodo non immeritò illum qui decem liberos habet, magis patrem possumus dicere, eo qui tantùm duos genuit.

Secunda autem proprietas est.

Habitus non suscipit contrarietatem.

Quod per se manifestū est, quoniam calceatio nō est contraria caligationi, nec caligatio pileationi, neq; vestitio est contraria armationi, quoniam simul in eodem inueniuntur, cùm non possint contraria esse in eodem. Neq; contrariantur vestitum esse & nudum, armatum & inermem, sed tantùm priuatiuè hæc sunt opposita. Atq; hæc de prædicamentis, pro qualicunq; rudium institutione dicta, sunt satis.

Vestitus, Nudus.

De postprædicamentis. CAP. LIX.

QVEMADMODVM antè tractatum de prædicamentis quorundam præmissa fuit determinatio, ad meliorē prædicamentorum intelligentiam apprimè conducentium: ita & nunc eorundem absoluto tractatu quædam adiungun tur simili ratione ac pari proposito: quæ proinde postprædi camenta recentiores appellitant, quemadmodum præmissa illa effecto non prorsus incommodè vocabulo, anteprædicamenta nominarunt. Postpredicamenta enim appellamus, quæ post prædicamentorum tractatum ad pleniorem ipsorum facilioremq; intellectum subnexa sunt. Quæ sunt numero quinque, nempe oppositio, prius, simul, motus, & habere. Hæc enim quinque ad finem vsque libri huius determinantur. Et primum quidem de oppositione & variis oppositionum generibus dicendum, quoniam non mediocriter eorum conducit distinctio, si tamen prius in genere quid sit oppositio & quæ opposita, definierimus. Sic igitur definitur oppositio.

Postpredicamenta quæ.

Oppositio est repugnantia duorum extremorum adinuicem talis, vt neutrum illorum cum vllo alio simili modo repugnet. Definitio oppositionis.

Pugn

Repugnantia quid sit.

Pugnantia autem siue repugnantia dicimus illa quæ de eodem singulari simul nō valent prædicari respectu eiusdē. Quemadmodum albū & nigrum repugnant, calidū & frigidum, pater & filius, videre & cæcū esse, sedere & nō sedere.

Non autē quælibet indifferenter repugnantia oppositionem facit. Sic enim homo & asinus, bos & leo, lapis & lignū, essent opposita: quod manifestè falsum est, cùm nulla specie oppositionis opponantur. Homo enim & asinus repugnant, quia de eodem singulari non possunt verè prædicari. Nihil enim idem homo & asinus esse valet, bos & leo, lignū & lapis. Signanter proinde additū est, repugnantia talis vt neutrum illorum vlli aliorum simili modo repugnet: quam pugnantiā recētiores satis accommodato vocabulo præcisam duxerunt nominandā. Per quam sanè adiectionē, manifestè excluduntur homo & asinus. Homo enim quomodo cū asino pugnat, non minus nec aliter cum equo, cum vacca, cum leone, cum simia, aliisq; omnibus speciebus animalium, atq; ita in cæteris. Non igitur est inter hominem & asinū, repugnātia talis præcisa, nec proinde oppositā dici merentur, sed appellantur distincto nomine disparata, quasi disseparata, siue ab inuicē separata. Ab inuicem enim omnino separata sunt, cum sint naturæ pugnantissimæ, quas impossibile sit in eodē singulari inuenire. Oppositionē tamen nullam particularē aut determinatā adinuicem habent. Inter ea verò quæ propriè sunt opposita, talis est præcisa repugnantia, vt neutrū illorū cum vllo alio simili modo pugnet. Exēpli gratia, Album & nigrū sibiinuicem opponuntur contrariæ, albū verò nulli alteri sic opponitur vt nigro, neq; item nigrū vlli alteri vt albo. Nam si dixeris, nigrum similiter repuguare rubeo vt albo, euidēter id refellitur, quoniam nigrū albo repugnat sicut extremorum alterum alteri, rubeo verò sicut medio extremorum. Verùm ex hoc alia occurrit difficultas in iis virtutibus, quæ habent ex vtraq; parte, secundū excessum & defectū, contraria. In his enim nō videtur esse talis repugnātia præcisa, cùm simili modo opponatur medium huic extremo quo alteri: quemadmodū (exempli gratia) liberalitas similiter opponitur & prodigalitati & auaritiæ. Attamen in his nihil dubiū est veram esse oppositionē, & verā contrarietatē, cùm virtus & vitiū oppositum contrarientur, iuxta Philosophorum sententiam. Soluitur autē hæc obie-

*** Obiectio.

ctio

ctio dicendo, licet eodem genere vel eadē specie oppositionis mediū pluribus opponitur vitiis, nō tamen penitus eodē modo: quoniā alterum sumitur secundū excessum, alterum secundum defectum. Prodigalitas enim opponitur liberalitati secundum excessum, auaritia autem secundum defectū.

De relatiuè oppositis. CAP. LX.

DIVIDITVR autem oppositio in quatuor species. Oppositionū enim, alia est relatiua, alia contraria, alia priuatiua, alia contradictoria. Proportionabiliter oppositorū, alia sunt opposita relatiuè, alia cōtrariè, alia priuatiuè, alia contradictoriè. Primum igitur definienda sunt relatiuè opposita, hoc modo.

Relatiuè opposita sunt, quæ ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea. *Definitio relatiuè oppositorum.*

Cuius definitionis hic est sensus. Illa sunt relatiuè opposita, quæ secundum sua significata referuntur, quodlibet ad alterum sibi oppositum mediante casu genitiuo, vel in alio aliquo casu, aut mediæ propositionis adminiculo. Exempli gratia, pater & filius ad se inuicem referuntur in casu genitiuo, tanquam opposita: quoniam pater dicitur filij pater, & filius patris filius, nec possunt simul de eodem verificari, respectu eiusdem. Nemo enim simul est pater & filius, in comparatione ad eundem. Cōparatione autem ad diuersos, nihil prohibet. Item disciplina & disciplinatum, sensus & sensatum, relatiuè sunt opposita. Referuntur enim adinuicem sub habitudine diuersorum casuum: quoniam disciplina dicitur disciplinati disciplina, & disciplinatum disciplina disciplinatum. Magnum quoq; ad paruum dicitur, & paruum ad magnum: multum ad paucum, & paucum ad multum.

Quidam tamē ad veram oppositionem relatiuorum putant necessariū esse, vt sumantur singulariter relatiua: putantes relatiuè opposita simpliciter non posse de eodem simul prædicari, etiam respectu diuersorum. Vnde dicunt, relatiuè opposita debere sic assignari, hic pater & hic suus filius, hęc disciplina & hoc suū disciplinatū, hoc paruū & hoc suum magnum, id est, magnum illud in cuius comparatione dicitur paruum, atq; ita in cæteris. Verùm id quod prius dictum est, videtur plus habere probabilitatis, & veterū philosophorum sententiæ magis consonum. Vnde Seuerinus

Boëtius oppoſita ita definiuit: Oppoſita ſunt, quę in eodem, ſecundũ idem, in eodem tempore circa vnam eãdémq; rem, ſimul eſſe non poſſunt. Ac de relatiuis exemplum ponens, dominum & ſeruum, ita ait: Nec ſeruus atq; dominus eiuſdem eodem tempore eſt. Vbi diligenter eſt notandũ, quòd non ſimpliciter dixit, ſed eiuſdem adiecit.

De contrariè oppoſitis. CAP. LXI.

CONTRARIA expreſſe in textu non definit Ariſtoteles. Ponit tamen nonnulla, ex quibus partim colligitur hæc ipſius definitio.

Definitio contrariorum.

Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, maximè à ſe inuicem diſtant, eidem ſubiecto ſuſceptibili viciſſim inſunt (à quo mutuo ſe expellunt) niſi alterum inſit à natura.

Quæ definitio pulchrè naturã exprimit eorum quæ verè ſunt cõtraria, eaq; aptis particulis ſeparat à reliquis ſpeciebus oppoſitorũ. Primũ igitur contraria ambo neceſſe eſt poni ſub eodẽ genere, ſiue immediatè, vt albedo & nigredo ponuntur ſub colore, prodigalitas & auaritia ſub vitio: ſiue mediatè, vt liberalitas & prodigalitas, durum item & molle, ſanum & ægrotatiuũ. Non enim iſta immediatè ponuntur ſub eodẽ genere, cùm liberalitas immediatè ſubſit virtuti, prodigalitas vitio, durũ item & ſanatiuum naturali potentiæ, molle verò & ægrum naturali impotentiæ. Mediatè autem ſub eodem genere ponuntur, nempe priora ſub habitu & diſpoſitione vel propinquius ſub habitu morali: poſteriora, ſub naturali potentia vel imporentia. Atq; per hanc particulã, excludũtur ab iſta contrariorũ definitione priuatiuè oppoſita & cõtradictoriè. Hæc enim nõ ponuntur ſub eodẽ genere, cùm eorum ſemper alterũ ſit priuatio vel negatio, quę ſub nullo genere ponuntur: propterea quòd rem veram & poſitiuam nõ ſignificent, ſed rei tantùm priuationem vel negationẽ. Deinde neceſſe eſt, contraria maximè ab inuicem diſtare. Quod eſt intelligendũ, de diſtantia & pugnantia ex parte naturæ. Cuius defectu, qualitates mediæ nõ dicuntur contrariæ, neq; vna qualitas extrema, & altera media: vt rubedo & pallor, vel albedo & rubedo. Hæc enim nõ maximè diſtant: cũ plus ab inuicẽ diſtent duo extrema albedo &

do & nigredo. Cùm enim media participent naturã vtriusq; extremi, manifestum est, inter media nõ posse esse ex parte naturę tantam distantiã, quanta est inter extrema, quę nullo modo adinuicem participant. Nihil enim albedinis participat nigredo, vel ecõtrario: sed rubedo, pallor, aliiq; colores medij, vtrunq; extremum quodammodo participant.

Obiectio.

Quòd si quis obiiciat, liberalitatem & prodigalitatẽ esse contraria, nec tamẽ maximè distare, cùm plus videantur distare duo vitia extrema, prodigalitas & auaritia. Respondetur, quòd non minor est in veritate distantia vtriusq; extremi à media virtute, secũdum rationẽ virtutis & vitij: quàm sit ipsorum extremorum adinuicem, quorum vtrũq; est vitium. Non enim secundũ naturam minus distans virtus & vitium, quàm duo quorum vtrũq; est vitiũ, sed alterum secundũ excessum sumitur, alterum secundũ defectum. Vtraq; enim suo modo maximè distant. Additur deinde, ad explicandam contrariorũ naturam, quod eidem subiecto susceptibili vicissim possint inesse, quódque se inuicem pellant à subiecto. Licet enim simul nõ possint eidem inesse cõtraria, sicut nec vlla opposita, successiuè tamẽ & vicissim possunt: & ideo dicũtur se inuicem pellere à subiecto, quoniã aduenìente vno cedit & abit alterũ, nec se cõpatiuntur in eodem domicilio. Exẽpli gratia, albedo & nigredo, calor & frigus, vicissim insunt eidem: quoniã id quod nunc est albũ vel calidũ, potest fieri nigrũ vel frigidum: nõ tamen simul sed inuicem se pellunt, quoniã aduenìente frigore & nigredine, fugit calor & albedo. Vnde ista expulsio non est intelligẽda per violentam actionem. Tametsi enim quædã sint qualitates, quæ etiã violenta actione se inuicem expellant atq; propulsent, qualitates scilicet illæ quę à Physicis actiuæ nuncupantur, nempe calor, frigus, humiditas & siccitas: alia tamen sunt contraria plurima, quibus nõ competit violenta actio. Vt colores, sapores, & soni contrarij, non agunt expellendo se inuicem violenter. Horũ autem expulsio non aliud intelligitur quã mutua cessio, eò quòd simul inesse eidẽ nõ valeant. Signanter verò in fine adiungitur particula illa nisi alterũ insit à natura, quæ non cũ immediatè præcedenti, sed potius cũ illo quod mediatè præcedit, eidem subiecto susceptibili, vicissim insunt, copulari debet. Videlicet ad insinuãdũ, quod in illis subiectis quibus à natura determinatum est

alterum contrariorũ,ita vt necessariò insit hoc vel necessariò illud,non sit requirenda vicissitudinaria illa successio. Quemadmodũ(exempli gratia)in igne,calor est qualitas à natura determinata,ita vt secundũ naturã,ei insit necessariò,nec possit aliter esse secundum naturam. Ita niui determinata est albedo: similiter ferè coruo nigredo,& cygno albedo. Sic melli ex natura sua dulcis sapor,felli amarus conuenit. Lapidi & ferro ex sua natura durities competit,butyro mollicies. Atq; ita in aliis multis.

De *contrarijs mediatis & immediatis.*

CAP. LXII.

DESIGNAT autem Aristoteles duplicia contraria,quædam mediata,alia immediata. Contrariorum immediatorum hanc innuit definitionem.

Cõtraria immediata.

Contraria immediata sunt,quæ talia sunt,vt in quibus nata sunt fieri,vel de quibus prædicantur,alterum inesse sit necessarium.

Hoc est,illa sunt immediata contraria,quorũ semper necesse est alterum inesse cuilibet subiecto susceptibili,ita vt nullũ subiectũ eorũ susceptibile secundũ naturam vnquam possit esse ab vtroq; vacuũ. Exempli gratia,sanũ & ægrum sunt contraria immediata,quoniam nullũ inuenitur subiectum sanitatis & ægritudinis susceptiuũ,quod non alterum habeat. Omne enim animal, vel sanum est vel ægrũ. Ita par & impar,circa numerũ dicit Aristoteles esse contraria immediata,quoniã omnis omnino numerus par est vel impar. Per oppositũ verò definiũtur cõtraria mediata,hoc modo.

Cõtraria mediata.

Contraria mediata sunt,quorum non est necesse semper alterum inesse ijs,in quibus nata sunt fieri.

Hoc est,quæ talia sunt,vt nõ sit necesse cuilibet subiecto susceptibili semper inesse alterum,sed possit subiectũ interdum ab vtroq; esse vacuũ. Vt calor & frigus contraria sunt mediata,albedo item & nigredo. Quædã enim corpora horum susceptibilia,vtroq; carent. Inuenitur enim aqua,neq; calida,neq; frigida,sed tepida tantùm: & inuenitur corpus neq; albũ,neq; nigrũ,vtpote rubeũ,aut pallidũ,aut alio colore medio coloratũ. Subdiuidit quoq; Aristoteles huiusmodi

modi contraria mediata. Quædam enim dicit esse quorum mediis sunt nomina imposita, quemadmodum inter album & nigrum, media nominibus vsitatis dicuntur, pallidum, rubeum, fuscum &c. Item inter calidum & frigidum, medium dicitur tepidum. Alia verò sunt, quorum mediis non sunt imposita nomina, sed necesse est ea circumloqui per abnegationem vtriusque extremorum. Exempla ponit, bonum & malum, iustum, & iniustum. Est enim inter hæc medium. Quædam enim sunt neq; bona simpliciter, neq; simpliciter mala, vt diuitiæ & pulchritudo, quæ Stoici appellãt indifferẽtia. Potest item assignari homo neq; verè bonus, neq; verè malus. Hoc autem medium ille censet circunloquutione exprimendum per vtriusq; contrarij abnegationem dicendo, neq; bonum neq; malum. Boëtius verò illud appellandum dicit indifferens, addens vocabulum istud ad medium significandum commodè inuentum esse post Aristotelem, quod eius tempore nõdum fuerat impositum. Aliam quoq; diuisionem idem ponit Boëtius, qua mediata contraria diuidit in ea quæ plura habent media, vt albedo & nigredo multos habent colores medios: & ea quę tantùm vnum, vt calor & frigus solum teporem. Atq; hęc deinde diuidit in ea quorum medio est nomẽ impositum, vt calor & frigus medium habent teporis nomine designatum, & ea quorum medio non est nomẽ impositum, vt bonum & malum, quibus proinde per abnegationem vtriusq; extremi facile potest nomen imponi. Si verò contingeret huiusmodi aliqua contraria plura habere media, illic non conuenienter posset vllius medij fieri assignatio per abnegationem vtriusq; extremorum. Vt si medium albi & nigri quis assignauerit, neque album neque nigrum, non est determinata neque conueniens assignatio: quoniam nullum medium ibi assignatur. Communis est enim illa abnegatio multis mediis.

Medium per circunloquutionem.

De priuatiuè oppositis. CAP. LXIII.

EX iis quæ Aristoteles tractat de priuatiuè oppositis, elicitur hæc eorum definitio.

Priuatiuè opposita sunt quæ habent fieri circa idem subiectum ordine irregressibili, & tempore à natura determinato.

Definitio priuatiuè oppositorum.

In qua definitione, primo loco ponitur id in quo est con-

uenientia priuatiuè oppositorum cum contrariis, videlicet quod fieri habeant circa idem subiectũ. Hoc enim vtrisque est commune: quoniã sicut cõtraria eidem subiecto successiuè, licet nõ simul, inesse possunt, sic & priuatiuè opposita. Neq; solum fiunt circa idem subiectum, verùm etiam circa eandem partem subiecti. Vt visus & cæcitas ambo fiunt circa oculum, auditus & surditas circa auditum, mutus & loquens (accipiendo loquens vt potentiam loquẽdi significet) ambo circa linguam, aliaq; instrumenta vocis. Quod autem sequitur, ordine irregressibili, distinctionem ponit inter contraria & priuatiuè opposita. In contrariis enim, vbi alterum non necessariò inest ex natura, vicissitudinaria & mutua inuenitur successio, nempè ab albedine ad nigredinem mutatio, atq; econtrario à nigredine rursus ad albedinem: item à calore in frigus, ac rursum à frigore in calorem. Verùm in priuatiuè oppositis, ab habitu quidem potest veniri in priuationẽ, vt à visu ad cæcitatem, ab auditu ad surditatem: cõtrà verò, à priuatione in habitum (iuxta celebrẽ Aristotelis sententiam) nunquã potest regressus fieri. Quod secundũ virtutem naturæ est intelligendum. Virtute enim eius qui est naturę author & dominus, cui (iuxta angelicum testimonium) nihil est impossibile, aut difficile, non minori facilitate potest reditus fieri à priuatione in habitũ, quàm ab habitu ad priuationẽ transitus. Aduertendum tamen est, quædã esse priuatiuè opposita alterius naturæ, in quibus videlicet etiam secundũ naturam fit transitus & regressus ab vtroq; in alterũ. Lumen enim & tenebræ sunt priuatio & habitus, ac proinde opposita priuatiuè, quæ circa idẽ fiũt subiectum nempe aërem. In his tamen fit mutuus regressus: quoniã aër ex lucido fit tenebrosus, abeunte sole: & rursum ex tenebroso fit lucidus, illo resurgẽte. Ita de quiete & motu dicendũ, quæ sunt item priuatio & habitus. Item de sciẽtia & ignorantia priuationis. Vt enim ex mouente fit quiescens, ita ex quiescẽte mouens efficitur: & quomodo ex sciẽte ignorans per obliuionẽ vel ægritudinẽ, ita ex ignorante sciens, per debitam instructionẽ aut maturã experientiam. Videtur proinde Aristoteles in prædicta definitione solum definiuisse priuatiuè opposita strictè admodũ sumpta, quorum videlicet alterum priuatio est formæ irrecuperabilis.

Scripsio in quibusdam

Nouissima particula, tempore determinato à natura propter

pter hoc adiicitur: quoniam non est necesse alterum priuatiuè oppositorum inesse subiecto etiam susceptibili, omni tempore, sed à natura determinato. Exemplum commune assignatur de catulo ante nonum diem nõdum videnti, qui tamen ob hoc non dicitur cęcus: quoniam nondum tempus à natura determinatum aduenit, vt videat. Item puerulus dies tantum pauculos natus, nec dẽtatus adhuc dicitur, nec edentulus: quoniam nondum aduenit tempus à natura determinatum, vt dentes habeat. Verùm si post transactos dies nouem aut decem nõ videat catulus, iam verè cæcus dicetur: quoniam postquam tempus à natura ad recipiendum habitum aduenit, non illum accipit: ac proinde priuatus eo censetur. Item si post menses aliquot trãsactos, imò annum vnum aut alterum, puero non crescant vlli dentes, iam verè dicitur edentulus. Sic puer, si non statim ambulare nouit postquam in lucem prodiit, non ob hoc claudus dicetur vel impotens ambulare: sed si post annos duos aut tres nondum incipiat gressus ponere, claudum aut impotentem ambulare dicimus. Ita puer donec ratio nondũ in eo viget, nõ dicitur ignorans, licet nullius rei habeat scientiam: sed post acceptum rationis vsum, si non accipiat scientiã, meritò dicetur illarũ rerũ ignorãs quarũ potuit cognitionem suscipere. Non prius enim rei est asscribenda priuatio cuiuscunque formæ perfectionis aut habitus, quã tẽpus aduenerit, quod natura tali rei ad habitum eiusmodi acquirendũ deputauit.

De contradictoriè oppositis.

CAP. LXIIII.

PORRO contradictoriè opposita assignantur dupliciter. Interdum quidem propositiones totæ, vt Socrates sedet, Socrates non sedet. Interdum solùm termini simplices, alteri negatione præposita, vt sedere non sedere, homo non homo, iustus nõ iustus. Definiunt autem contradictoriè opposita hoc modo.

Contradictoriè opposita sunt, inter quæ non est dare medium. Contradictoriè opposita.

QUod medium (si de propositionibus loquamur) intelligitur mediũ veritatis & falsitatis. Si verò de simplicibus terminis, intelligitur medium prędicationis siue verificationis. Inter has enim propositiones, Socrates sedet, Socrates nõ se-

det, non est omnino dare medium veritatis aut falsitatis: quoniam necesse est sic semper earum alteram veram, & alteram falsam esse, vt nec ambæ simul veræ esse valeant, nec simul falsę. Inter hos autem terminos, sedere non sedere, homo non homo, omnino non est dare medium prædicationis siue verificationis: quoniam nullum omnino potest singulare assignari, quin alterum illorum verè de illo prædicetur. Quicquid enim mihi assignaueris, vel sub sole, vel supra solem, ipsum vel sedet, vel non sedet, ipsum est homo vel non homo, lapis vel non lapis, atque ita in singulis. Atque hoc vno distinguuntur ista contradictoriè opposita ab omnibus aliis. In cæteris enim facile dabitur aliquod medium prædicationis, id est, aliquid de quo neutrum eorum prædicari verè poterit. Vt inter album & nigrum do medium, parietem rubeum. Hic enim, neque albus, neq; niger est. Do medium angelum, ipsum Deum, & corpora cœlestia, quæ omnia colorem nullum habent: atq; ob hoc, neque alba sunt, neque nigra. Inter patrem quoque & filium media plurima facilè est dari. Plurima enim sunt in mundo, quæ neque patres sunt neque filij. Sic inter cæcum & videns plurima sunt media, quibus neutrum competit.

De *modis prioris*. CAP. LXV.

POST oppositorum determinationem subiungit Aristoteles modos aliquot siue acceptiones prioris, primũ quidem ab aliis (vt videtur) communiter assignatos explicans, deinde prędictis quatuor ex sua scientia quintum adiiciens. Qui omnes propter adolescentulorum memoriam confirmandam, suo ordine concludi solent, duobus his versibus:

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore,
Causam causato, dicimus esse prius.

Primus modus prioris. Primo igitur modo prius dicitur alterũ altero secundum tempus. Id enim quod tẽpore præcedit, dicimus prius tempore: quẽadmodum id quod subsequitur tempore, posterius nuncupamus, vt Adã fuit prior Abel, Noe prior Abraham, Dauid prior Salomone, atq; ita in cæteris. Et vniuersaliter hoc modo prius dicitur esse, quod est altero antiquius, vel senius. Inter quæ duo Boëtius ex sentẽtia Porphyrij talem ponit differẽtiam, vt antiquius rebus tribuat inanimatis, senius verò animatis. Antiquius enim dicit bellum Thebanorũ excidio

cidio Troianorum,& dominationē regum in vrbe,Romam antiquiorem dicit magistratu cōsulum. Seniorem verò ait Pythagoram Socrate,Socratē Aristotele,idcirco quòd temporibus se antecedant. Altero modo dicitur prius, id à quo non conuertitur essendi consequentia:hoc est, quando duo aliqua sunt ex quorū altero infertur existētia alterius, sed non ecōtrario illud ex isto,tūc istud à quo nō fit reuersio,dicitur prius. Exēpli gratia,à binario ad vnitatem bona fit essendi consequentia. Si enim duo sunt, vnū est, & si binarius fuerit,vnitas est. Verùm non econtrario,ab vnitate valet cō sequentia essendi ad binarium,non enim consequitur,binariū esse,si sit vnitas. Ob hoc videlicet,vnitas meritò dicitur prior. Sic generaliter omnis numerus minor maiore est prior:quoniā à maiore semper ad minorē valet essendi consequentia,non autē àminore ad maiorē conuertitur. Sic animal prius est homine. Si enim homo est,animal est,sed nō fit cōuersio Non enim necesse est, hominē esse,si animal sit. Et vniuersaliter omne genus est prius suis speciebus,& omnis species suis indiuiduis,hoc modo prioris. Et iuxta hunc modum dicitur aliquid prius natura,quemadmodū iuxta priorem dicitur tempore prius. Quid autem sit consequentia essendi,ex prędictis facilè intelligitur,ea videlicet in qua ex vnius existentia infertur existentia alterius. Conuerti verò dicitur illa consequentia essendi,quando sicut ab existentia huius valet consequentia ad existentiam illius,sic ecōuerso valet ab existētia illius ad huius existentiā. Vt si pater est,filius est:& si filius est, pater est. Si homo est,risibile est:& si risibile est,homo est. Ideò ista,pater & filius,homo & risibile, dicuntur conuerti secundū essendi consequentiam. Quādo autem ab vno ad alterum valet essendi cōsequētia, sed non econtrario,tunc dicitur essendi consequentia non conuerti: & ab illo dicitur non cōuerti,ex quo non fit vicissitudinaria illatio. Tertio modo dicitur aliquid prius secundum ordinem quędam præcessionis & subsequutionis. Sic in disciplinis,quędā sunt priora,quæ videlicet præsupponūtur aliis posterius tradendis,alia sunt posteriora. Vt in grāmatica,elemēta priora sunt syllabis,& syllabę orationibus. Prius enim docendi sunt,qui in arte grammatica rectè instituūtur,elementa simplicia dinoscere,deinde ex eis cōponere syllabas, ex syllabis simplices voces,atq; ex his demum orationes. Sic

Secūdus modus.

Consequentia essendi secundo.

Tertius modus.

in dialectica, prædicabilium & prædicamentorum determinatio prior est determinatione simplicium enunciationum: atq; hęc rursum prior determinatione syllogismorum, aliarúmque argumentationum. Ita in oratione qualibet, exordium quo captatur benevolentia iudicum, & auditorum excitatur attentio, prius est narratione: atque hæc prior est conclusione siue peroratione. Ita in ædificando domũ, prius est fundamentum iacere bonum, posterius erigere in altum parietes, postremum tecto illos obtegere. Quarto modo dicitur alterum altero prius secundum honorem & dignitatis prȩcellentiã. Vt pontifex summus, quia CHRISTI vicarius, in Ecclesia primus dicitur: rex primus est in regno, suntq; principes aliis alij in regno priores, pro sua quisque virtute aut nobilitatis præstantia. Videturq; sub hoc modo comprehendi prioritas amicitiæ. Eum enim quem maximè diligo, primum apud me dico primasque obtinere partes, non quòd simpliciter sit omnibus aliis dignior vel honorabilior, sed quia apud me sit maximi, præcipuéque habetur in precio. Vnusquisque enim quod sibi charissimum habet facit maximi. Vltra prædictos modos priores, assignat Aristoteles quintum, secundum quem inter illa quæ conuertuntur secundum essendi consequentiam, dicimus illud altero esse prius, quod alterius aliquo modo est causa. Exẽpli gratia, homo & susceptiuũ disciplinæ secundum essendi cõsequentiã cõuertuntur. Nam si homo est, susceptiuum disciplinæ est, & econtrario: humana autem natura quæ per terminũ homo significatur, causa est proprietatis illius quę per susceptiuũ disciplinæ significatur. Ideò homo prior est quã susceptiuum disciplinæ. Item si lux est, lumen est, & econtrario: lux autem est causa luminis, ideò lux prior est lumine. Adducit Aristoteles exemplum alterum obscurius, dicens, esse hominem conuerti secundum essendi cõsequentiã cum oratione vera de ipso. Nam si homo est, vera est oratio, qua dicitur, homo est: & econtrario, si hæc oratio vera est, necesse est ergo rẽ ita sese in veritate habere, id est, hominẽ esse. Insuper hominẽ in rei veritate esse causa est quare hæc oratio, homo est, vera sit. Nõ enim ideò homo est in rei veritate, quia illa oratio, homo est, vera est, sed potius ecõtrario: quia in rei veritate homo est, ideò oratio quæ hoc significat, vera est. Quare hominem esse, hoc modo prius est oratione

Quartus modus.

Quintus modus.

vera,

vera, homo est. Quẽadmodũ autẽ quinq; modos iam assignauimus prioris: sic per oppositũ quinque item modos posterioris facilè est assignare, iuxta regulam illam cõmunem: Tot modis dicitur vnũ oppositorũ, quot modis & reliquum. Dicimus enim posterius tẽpore, posterius natura, posteriũs ordine, posterius dignitate, & posterius secũdũ causalitatẽ, vel in ratione effectus. Quę sigillatim prosequi foret superfluũ, cùm facillimè ex cõparatione priorũ possint intelligi.

De *modis simul.* CAP. LXVI.

TRES modos simul ponit Aristoteles, qui tribus his versibus, ad iuuãdam puerorum memoriã solent cõcludi.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est. *Primus modus simul.*
Quæ conuertuntur, dicimus esse simul.
Súntque simul species genus vnũ condiuidentes.

Primus itaq; modus est, secundum quem illa dicuntur simul, quorũ generatio siue productio est in eodem tempore, id est, quę simul nata siue producta sunt. Vt duo infantes ambo in eodem momento vel breui tempore nati. Item omnes Angeli simul sunt hoc modo, quoniã in eodẽ tempore siue momento omnes producti sunt, non alius post aliũ. Angelus autem & homo non sunt simul: quoniã non in eodẽ tempore productus est homo cũ angelo. Atq; hoc modo dicit Aristoteles simpliciter & propriissimè simul dici, quemadmodũ prius primo modo & propriissimè dicitur secundũ tempus.

Secundo modo illa dicũtur simul, quæ conuertuntur secundũ essendi consequentiã, & neutrũ est causa alteri vt sit. *Secundus modus.* Atq; hæc dicuntur simul natura, vel naturaliter simul, vt duplum & dimidiũ adinuicẽ cõuertuntur. Si enim duplum est, dimidiũ est: & econtrariò, si est dimidiũ, est duplum. Insuper neq; duplum causa est dimidij, neque dimidium causa dupli. Idcirco duplũ & dimidiũ sunt simul natura. Similiter pater & filius, dominus & seruus cæteraq; huiusmodi. Quòd si *Obiectio.* de patre & filio quis obiiciat, patrẽ esse causam filij, ac proinde priorem esse patrẽ filio secundum naturam. Respondebitur (iuxta sententiã Boëtij) verum quidem esse, hominem illum qui est pater, causam esse substãtiæ atq; hominis illius qui est filius, nõ tamẽ ob hoc dicendũ est, patrẽ esse causam filij. Quemadmodũ (exẽpli gratia) Aeneas causa fuit vt esset

Ascan

Ascanius, sed non fuit pater causa vt esset filius, nihilo certè amplius quàm fuit filius causa vt esset pater. Simul enim cœperunt esse pater & filius, nec potuit Aeneas prius esse pater, quàm esset ille filius. Vnde cùm dico, pater causa est vt sit filius innuitur relationem paternitatis significatam per vocabulum patris efficere relationem, quæ per vocabulum filij significatur, quod veritatem non habet. Cùm autem dico, Aeneam esse causam vt sit Ascanius, indico substantiam illam quæ est Aeneas, causam existendi præstitisse substātiæ quæ vocatur Ascanius. Atq; hoc iuxta Poëtarum descriptionem verum est.

Tertius modus.

Tertio modo dicuntur simul (atq; etiam aliquo modo secundū naturam) quæ ex eodem genere ediuerso à seinuicem diuiduntur, hoc est, species plures sub eodem genere æquè immediatè contentæ, quæ ipsum genus ex æquo diuidunt. Vt homo & brutum hoc modo simul sunt, quoniam sub genere animal æquè immediatè continentur, & ex æquo genus illud diuidunt. Siquidem animal diuiditur immediatè in hominem & brutum. Sic equus, asinus, leo, simul sunt: quoniam sub eodem genere, brutum, æquè immediatè continentur. Genera verò nunquam simul sunt cum suis speciebus, in quas diuiduntur, sed priora sunt illis.

De motu & eius speciebus. CAP. LXVII.

QVONIAM in prædicamentis aliquoties mentio facta fuit de motu siue mutatione, cùm diceretur de substantia, quòd ipsa cum sui mutatione sit contrariorū susceptiua: itē in quantitate, de motu sursum & deorsum: itē quia de actione & passione dictū est, quæ cum motu aliquo fiunt, propterea Aristoteles nunc breuiter de motu & eius speciebus determinat: tāetsi eius exactior cōsideratio ad Physicā pertineat. Diuidit itaq; motum in sex species, quæ sunt, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & secundum locū mutatio. Hæc adinuicē ita differunt: quoniam generatio & corruptio ad substātiam pertinent, augmentatio & diminutio ad quantitatē, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad vbi. Id quod ex earū descriptionibus facilè patebit quæ sunt huiusmodi. Generatio est progressio à non esse « substantiæ ad esse eiusdem. Corruptio est progressio ab esse « substantiæ, ad nō esse eiusdem. Augmentatio est progressio « à minori quantitate, ad maiorē. Diminutio est progressio à « maiori quantitate, ad minorē. Alteratio est motus de qua- «

litat

litate in qualitatē. Loci mutatio est motus de loco ad locū. Exempla assignabimus singulorum. Cùm Petrus aut Paulus qui prius non erat, accipit esse humanum, fitq; homo, illud sic non esse ad esse procedere, dicitur generari. Cùm econtrariò, iis qui modò esse habet, post paululum esse illud perdit, & non esse succedit pro esse, dicitur corrumpi. Cùm idem ex modica quātitate puerilis ætatis, pertingit ad quantitatem maiorem ætatis virilis, dicitur augeri. Cùm econtrariò, ad ætatem decrepitam perueniens, ad minorem iterum quantitatem reuertitur, dicitur minui. Cùm ex albo fit niger, ex bono malus, aut econtrariò, dicitur alterari. Postremo, cùm de loco se transfert in locum alium, dicimus illum secundum locum moueri. De motus autem contrarietate inquirens Aristoteles, dicit, quietem ipsi simpliciter contrariari, id est, opponi. Nā propriè non potest esse quies contraria motui, cùm sit quies nil aliud quàm priuatio. Contrariantur etiam motus qui sunt ad terminos contrarios. Vt generatio propriè contrariatur corruptioni: quoniam terminos habent contrarios. Generatio enim progreditur ad esse substantiæ, corruptio ad non esse. Sic augmentatio, & diminutio, quarum illa ad maiorem, hæc ad minorem tendit quantitatem. Hæc autem quodammodo contraria censentur, secundum Physicam maximè considerationem. Ita dicendum in alterationibus, quæ sunt ad contrarios terminos, cuiusmodi sunt dealbatio & denigratio. Item de mutationibus secundum locum, vt motus sursum, motus deorsum. De his plenius exactiusq; tractare ad Physicam spectat considerationem.

De modis habendi. CAP. LXVIII.

QVONIAM Aristoteles vocabulo habere, in prædicamentis secundum diuersas acceptiones vsus fuerat (siquidem habitum posuit speciem qualitatis, & habere nouissimum assignauit prædicamentum) idcirco ne quis æqui uocatione nominis illius turbetur, adiici nunc & alias eiusdem acceptiones, octo eius ponens modos: quos quia pauciſſimis perstringit, ipsius hic verba placuit tātùm subscribere.

Octo modi habēdi.

Habere, inquit, octo dicitur modis. Aut enim aliquid qualitatem habere, dicitur, vt habitum & dispositionem, scientiam (inquam) & virtutem. Aut quantitatem, vt magnitudinem, tricubitum aut quadricubitum. Aut ea quæ circa corpus

pus sunt, vt vestimentum, tunicam, vel gladium. Aut aliquid in corporis parte, vt in digito annulum. Aut partē, vt pedem vel manū. Aut vt continens contentum, vt modius grana tritici, aut lagena vinū. Aut possessionem vel domū vel agrū. Dicitur etiam & vir vxorem habere. Sic ille octo habendi modos enumerat, qui his concluduntur duobus versibus.

Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum,
Membrum, contentum, possessio, vir mulier.

Vltimum autē modum Aristoteles dicit esse omnium alienissimum, eo quòd habere vxorem (vt ipse ait) non aliud sit quàm vxori cohabitare: videlicet secundum Gentilium ritū & sententiā loquens, quia sacramentū magnum illud ignorabant. Nos autem, quos CHRISTVS Iesus omnis veritatis magister in sacratissimæ fidei mysteriis erudiuit, sacramentum magnum in coniugio viri & fœminæ intelligētes, scimus longè amplius esse virum habere vxorē, quàm ei cohabitare. Virum enim habere vxorem, secundum veritatem est virum cum vxore indissolubili vinculo esse colligatum, ita vt ipse (iuxta Apostolum) potestatem non habeat sui corporis, sed mulier: ac vicissim mulier sui corporis non habeat potestatē, sed vir. Vnde si hunc modum nos quoq; alienissimum dixerimus, aliam assignabimus rationem, quoniam in aliis modis habendi, id quod habet non dicitur vicissim haberi, ab eo quod habet: vt habens possessionē, non ab ea habetur: & qui habet vestē aut annulum, non ab ipsis habetur: qui pedē habet, non dicitur haberi à pede. In hoc autem modo, vt vir habet vxorem, ita vicissim habetur ab ea. Neuter enim sui corporis habet potestatem, sed vicissim alter alterius, ita vt sint duo in carne vna, in significationem grandis illius mysterij, quod nobis sacer Paulus Apostolus prędicauit in CHRISTO & Ecclesia, quod olim gentium quoque summis principibus (vt modo in nostro Aristotele cernimus) absconditum, nunc tandem in fine seculorum, vt alia plura nobis patefecit magister veritatis, IESVS Christus, dominus noster, cui proinde sit laus, honor & gloria, vnà cum Patre & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

DEO SEMPER ET VBIQVE GLORIA.

DIA

DIALECTICAE CONSIDERATIONIS LIB. III.

QVI DE INTERPRETATIONE INSCRIBITVR.

✲

PRAEFATIO.

POST exactam in duobus præcedentibus libris simplicium vocum determinationem, recto ordine nunc est procedēdum ad simplicium illorum compositionem diligenter considerādam. A' simplicibus enim ordinatus est progressus ad composita. Tractabit ergo principaliter hic liber de orationibus compositis, maximè autem de illis, quibus verum vel falsum significatur, quæ peculiari nomine enuntiationes vel enuntiatiuæ orationes nominantur. Inscribitur autem hic liber ab Aristotele Græco titulo περὶ ἑρμηνείας, id est, de interpretatione: quæ idem videtur esse cum enuntiatione, qua mentis nostræ conceptum verum falsúmve interpretamur siue exprimimus. Quanquàm Boëtius in ea videtur esse sententia, vt interpretationem intelligat etiam nomen quodlibet & verbum & participium, per se aliquid significans. Qua de re pluribus digladiari, non videtur operepretium. Illud certum est, præcipuam hic enuntiationum haberi determinationem. De nomine & verbo quod paucula præmittantur, per accidens euenit, videlicet propter meliorem enunciationum cognitionem: quandoquidem ex nominibus & verbis vt præcipuis partibus, componitur enunciatiua oratio.

De *nominis definitione.* CAP. I.

A NOMINE igitur incipientes cum Aristotele libri huius tractatum, primum ipsius constituamus explicemusq; definitionem, quam ille assignat in hunc modum:

Nomen est vox significatiua secūdum placitum, sine tempore, cuius pars nulla est significatiua separata, finita, & recta. Definitio nominis.

Cuius definitionis occasione recētiores quidā libri huius deter

determinationem incipiunt à definitione soni eiusq; diuisione in vocem & non vocem. Vbi deinde partibus vtrisque sua definitione terminatis, vocem diuidũt in significatiuam & non significatiuam, ac rursum significatiuã, in eam quæ naturaliter, & eam quæ ad placitum significat. Verùm nos hæc omnia in libris de consideratione rerũ naturalium, vbi proprius est ipsorum locus, plenissimè tractauimus, libro videlicet nono à cap. 6. vsq; ad 12. Propter quod, paucissimis ea tantùm quæ necessaria videntur, hoc in loco repetemus.

Vox significatiua. Inter voces igitur, quædam sunt omnino nihil determinatè significãtes: vt cùm pueri aut moriones aut ebriosi inarticulatas voces emittunt, ex quibus nihil percipitur. Inter eas verò quæ determinatum aliquid significant, quædã naturaliter quædam secundum placitum dicuntur significare.

Vox significatiua naturaliter. Nempe illæ naturaliter significant, quæ apud omnes homines vbiq; locorum siue gentium, idem significãt, vt gemitus quem infirmus emittit, dolorem significat ægritudinis: & suspirium ab alto eductũ, significat cordis tristitiã siue grauitatem. Canis latratus, significat famem aut iram siue conturbationem, atq; ita in huiusmodi. Ex naturali enim dispositione & influxu habent illæ voces, vt sic apud omnes idem significent.

Vox ad placitum significatiua. Illæ verò dicuntur secundum placitũ significare, quæ non idem apud omnes homines repræsentãt, sed pro voluntate imponentium rem aliquam significant. Vt homo apud Latinos significat substantiã rationalem, apud Græcos nihil omnino significat. Sic de omnibus vocibus cuiuslibet idiomatis, quo humano more vtũtur adinuicem colloquendo homines. Ex quibus facilè patet, quam ob rem in definitione nominis dictum sit. Nomẽ est vox significatiua, secundum placitum. Quod enim huiusmodi vox nõ est, nominis appellationem non recipit. Adiicitur deinde particula, sine tempore. Pro qua explicanda intelligendum est, differentiam inter nomina & verba hanc esse, quòd nomina nõ trahant secum tempus in sua significatione, neq; suum significatum quod habent secundũ aliquam temporis differentiam determinant: vtpote neq; secundum præsens, neq; secũdum præteritum, neq; secundum futurum. Verba autem tempus secum trahunt in sua significatione, ipsumq; significatum vocis secundum determinatam aliquam temporis differẽtiam important. Exempli gratia, nomen homo, nullo modo tem-

poris

poris aliquam differentiam in sua significatione trahit, neq; humanam naturam (quæ est ipsius præcipuũ significatum) aut ipsos homines particulares (quæ significata sunt secundaria) secundum vllam temporis differentiam determinat. Cùm autẽ dico, curro, cucurri, curram, manifestũ est prius verbum trahere secum in significatione tempus præsens: secundũ, tempus præteritum: tertiũ, tempus futurum, ipséq; cursus idem per singula illorum principaliter significatus, secundũ tempus certum determinatur, quemadmodũ in explicando patet. Curro enim valet, in tempore præsenti cursum habeo: cucurri, in tẽpore præterito cursum habui: curram, in tẽpore futuro cursum habebo. Sic inter tria hęc, est, fuit, erit, idem est significatum principale, nempe existentia ipsa siue ipsum esse. Verùm in tempore quod secum trahunt in sua significatione est manifesta differentia.

Illud autem quod nos Boëtium hac in parte sequentes, diximus tempus secum ad significationem trahere, ipsum est quod dicit Aristoteles significare cũ tempore. Est enim differentia notanda, inter significare tempus, & significare cũ tempore. Significant enim tempus quædam nomina vtpote hora, dies, annus, mensis, biennium, triennium, biduum, triduũ, & huiusmodi, quæ videlicet nõ secum trahunt tempus ad significationẽ suam, sed tẽpus habent pro significato suo præcipuo. Illa autem quæ cùm tempore significãt, principaliter aliud quidem significant, vt curro cursum, amo amorem: & præter huiusmodi significatum principale, designant quandã certam differentiã temporis, circa quod determinatur quodammodo illud significatum præcipuũ. Excludit ergo prædicta particula sine tempore, omnia verba à definitione nominis. In cæteris enim omnibus, conueniunt definitiones nominis & verbi, illa vnica particula excepta.

Significare tempus.

Significare cũ tempore.

Quòd autẽ vltimo loco ponitur, cuius nulla pars est significatiua, separata, ad differẽtiã ponitur nominis simplicis ab oratione, quæ est cõposita. In hoc enim differt nomẽ ab oratione, quòd in nomine partes ipsæ quatenus illius nominis partes sunt, nullam habent significationẽ, sed solum ipsum totum nomen simplicem habet significationẽ. Vt cùm dico, homo, partes illę per se nihil significãt, neq; ho aliquid, neq; mo aliquid. In oratiõe verò, partes per se habẽt significationes singulæ suas, & ex partiũ significationibus consurgit si-

gnificatio totius orationis. Vt, homo viuit, est oratio, in qua & homo suũ habet significatũ peculiare, & viuit suũ: & tota oratio significationem habet ex his duabus partibus resultantem. Quòd si quis interroget, de nominibus quæ Grãmatici vocant figuræ cõpositæ, quid sit sentiendum, an verè nomina sint, & vtrũ partes eorum nihil significent separatè? Dicendũ, quòd verè nomina sunt, iuxta Aristotelis sententiã, neq; verè partes eorum sunt significatiuæ separatæ, quatenus partes sunt. In hac etenim dictione respublica, quandiu accipitur ipsa vt nomẽ vnicum cõpositæ figuræ, simplex conceptus ei respõdet in mente, sicut & aliis nominibus figuræ simplicis, habétq; significationem non minus simplicem. Neq; enim, res, vt ibi ponitur, tanquã pars altera illius nominis compositæ figuræ, quicquam significat, non magis quàm ho, in dictione homo: neq; item publica, vt ibi ponitur, quicquam significat, sicut nec mo, in dictione homo.

De nominibus compositæ figuræ.

De nominibus infinitis.

Necdũ verò plenè contentus Aristoteles, duas adhuc particulas censuit adiiciendas, ad excludenda nomina quæ vocãtur infinita, & nominum casus, quę vocantur obliqua nomina. Cùm enim negatio simplici nomini aut verbo præponitur (dicendo non homo, non animal, non ambulat) non videtur aggregatum illud dignũ appellatione nominis aut verbi, cùm in eo potius tollatur nomen aut verbum per negationem propositam. Nomen etenim & verbum semper aliquid determinatum constituunt, id est, significationem aliquam certam habent & determinatam. Eiusmodi autem complexum ex negatione & nomine, nihil certum aut determinatum sua significatione constituit, sed indefinitè & indeterminatè omne quod non continetur sub nomine cui adiungitur negatio. Vt homo determinatè significat naturam humanam, & quæ in ea conueniunt. Non homo autem non determinatè aliquam naturam significat, neq; equum determinatè, neq; asinum, neq; lignum, neq; cœlum, neque aliud aliorum quę subsistunt in natura, sed indefinitè & indeterminatè omne id à quo abnegatur nomen hominis. Propter quod, nomen infinitum censuit Aristoteles huiusmodi nominandum. Insuper casus nominum non propriè nomina putat appellanda. Sunt enim nominum casus & inflexiones, ac propter hoc videntur à nominibus distare, quoniam à nominibus cadunt & deflectunt, vnde casus vocantur

De nominibus obliquis.

tur atq; obliqui. Vocabulum autem primariũ, quod non ab alio cadit siue deflectit, sed alia cadunt siue obliquantur & deflectũtur ab ipso, rectus appellatur aut nominatiuus. Idcirco autẽ Aristoteles casus nominum, non dignos æstimat appellatione nominis, quoniã omne nomẽ, si ei addatur verbũ aliquod, faciet cũ illo orationẽ veram aut falsam. Casus autem nominum adiecto verbo nõ faciunt orationem verã aut falsam, nisi insuper nomen aliud rectum adiungatur. Vt cùm dixeris: Socratis est, neq; verum neq; falsum habes, nisi addideris rectum dicẽdo, Socratis vestis aut liber est. Ita in reliquis. Ex his igitur omnibus elicitur hæc definitio nominis ab Aristotele omnino cõpleta. Nomen est vox significatiua secundũ placitum, sine tempore, cuius pars nulla est significatiua separata, finita, & recta. Vel, iuxta Boëtiũ, pro duabus illis particulis finita & recta, ponatur, definitũ aliquod significans, cũ est, aut nõ est iuncta, faciens enũciationem: quæ particulæ prioribus æquiualent, eáq; explicant. *Completa definitio nominis.*

De *verbo*. CAP. II.

POSTQVAM prolixè satis de nomine tractatum est, nõ ita multum erit insumendum temporis ad verbi naturã declarandam. Quæcunq; enim de nomine dicta sunt, eadẽ & de verbo suo modo sunt dicẽda, vna tantùm particula illa excepta, quę inter ea ponit discretionem. Quanquam verò ad definitionem verbi potuisset Aristoteles non minori iure addere particulas illas, vox significatiua secundũ placitum, quas primo loco posuit in definitione nominis, illa tamen quasi nota relinquens ex nominis definitione, ea præcipuè in verbi definitione posuit, secundum quæ differt à nomine. Est autem hæc eius definitio.

Verbum est quod consignificat tempus, cuius pars nihil extra significat, & est semper eorum quæ de altero dicuntur nota. *Definitio verbi.*

In qua definitione, relatiuo quod assignandũ est antecedens, vocabulum secundũ placitum significatiuũ. Nõ enim potest referre verbũ, quoniam non potest idem definiri per seipsum. Particula autẽ sequens, quod consignificat tempus à definitione ista nomen elongat, quod nõ consignificat tempus, sed absq; tẽpore significatum suũ importat. Quid

autem sit significare cũ tempore vel cõsignificare tẽpus, & quomodo differant tempus significare & tempus consignificare, satis lucidè dictum est in tractatu de nomine. Quare superfluũ fuerit, eadem hìc prolixius repetere. Tantùm cõsuetas descriptiones horũ terminorum, simpliciter assignabimus. Significare tempus est, ex significato principali tempus designare. Significare autem cũ tempore est, præter significatum principale, aliquam certam temporis differentiã connotare. Differentias temporum sumimus in proposito, secundũ præsens, præteritum, & futurũ. Quod deinde sequitur, cuius pars nihil extra significat, sic de verbo intelligitur, quomodo de nomine suprà ostendimus. Itidémq; dicẽdum erit de verbis quæ nominantur figurę compositæ, quomodo de nominibus eiusmodi diximus. Postremũ verò illud. Et est semper eorum quæ de altero dicuntur nota: difficultatem habet, & variè exponitur. Recentiores facili satis intelligẽtia ita solent exponere, quod verbũ, semper est copula vel actualis vel aptitudinalis ad copulandum prædicatum cũ subiecto, videlicet quia omne verbũ includit actualem & formalem copulam, vt patet in resoluendo. Currit enim idẽ valet, quod, est currens: vbi copulã est, vides explicatam. Aliter interpretatur Boëtius, dicens omne verbũ accidẽs aliquod significare, vtpote actionẽ vel passionem, quæ semper de altero prædicantur, cùm sint accidentia, & accidẽs semper de eo prædicetur quod sibi est subiectũ. Distinguit deinde verba finita ab infinitis Aristot. vt suprà in nomine fecerat, & verba obliqua à rectis. Infinita verba sunt, nõ currit, nõ laborat, non proficit, quę licet tẽpus consignificant, nihil tamen determinatũ important, sed indefinitè & indeterminatè omne quod sub verbo à quo fit abnegatio non continetur. Verbũ autem obliquũ appellat, omne quod non est tẽporis prẽsentis & modi indicatiui. Currebat enim & cucurrit & curret, vocat obliqua verba: quoniã videlicet sic à verbo prẽsentis temporis modi indicatiui per quandã obliquitatem & inflexionẽ cadunt, mutata terminatione finali, sicut in nominibus obliqui cadũt à recto. Propriè ergo non verba, sed verborũ potius casus & obliqua vel inflexiones dicũtur. Possunt verò obliqua verba distingui tripliciter. Vel ex parte tẽporis tãtũ, vt currebat, cucurrit, cucurrerat, curret: quę sunt quidẽ modi indicatiui, & ob hoc quã-

Infinita verba.

Obliquũ verbum.

tum

tum ex parte illa non sunt obliqua: sed quia non sunt tẽporis præsentis, inde obliqua verba dicuntur. Vel ex parte modi tantum, vt curreret, currat, currere: quæ sunt quidem tẽporis præsentis, sed modi non indicatiui, atq; ex hac parte verba obliqua sunt. Vel ex parte temporis & modi simul, & hęc maximè obliqua sunt, vt cucurrissem, cucurrisse, itẽ currerẽ, & currere, quando accipiuntur vt præterita imperfecta optatiui siue coniunctiui & infinitiui modi. Inter ea verò quæ sunt obliqua ex parte tẽporis tantùm, & quæ ex parte modi tantùm, videntur illa minus obliqua istis, & magis ad naturã rectorũ accedere. Verba enim omnia indicatiui modi, quodcunq; tempus cõsignificent, hoc habent commune, quod adiecto nomine æqualiter faciunt enuntiationem verã vel falsam, vt Petrus viuit, Petrus viuebat, vixit, vixerat, viuet. Verba autem quæ alterius modi sunt quàm indicatiui, etiamsi sint præsentis temporis, nõ faciunt orationẽ veram vel falsam, addito nomine. Vt si dicas, Surge Petre, Petrus surgeret, aut surgat, aut Petrũ surgere, nusquam verum est aut falsum. Tandem verò priusquã tractatum hunc de nomine & verbo egrediamur, perquirendũ est de iis partibus orationis, quas Grammatici appellant participia, an hoc in loco sub nomine, an potius sub verbo sint constituenda. Sub nomine enim prima facie non videntur cõmodè posse cõstitui, quoniã non significant sine tempore. Quemadmodum enim amo significat cũ tempore præsenti, sic & amãs: & quomodo amabo significat cũ tempore futuro, sic & amaturus. In hoc igitur videntur obtinere naturã verbi. Ex altera autem parte videntur cõuenire cũ nomine, & à verbo distare, quoniam verbũ nunquam per se potest esse subiectũ enuntiationis, participiũ autem potest. Verbum quoq; per se solum, addito tantùm nomine aliquo, facit enũtiationẽ. quod participiũ non potest nisi insuper & verbum addatur. Cùm enim dico: Amans amatur, enũtiatio est: cùm autẽ, Ioannes amans, enuntiationem nõ habeo, sicut neq; hìc, Ioannes homo, cùm pro participio nomen ponitur. In hoc ergo videtur cum nomine conuenire, & à verbo differre. Respondendũ est, non mirũ esse, si participium nec plene obtineat naturã nominis, nec plenè naturã verbi. Si enim alterius naturam penitus haberet, nomẽ suum perderet. Participium enim dicitur, quasi partem capiens. Nam (vt Grammatici declarãt)

De partici-pijs.

partem capit à nomine, partem à verbo, & partem ab vtroq;. A' nomine capit genera & casus, à verbo tempus & genus verbale, ab vtroq; numerum & figuram. Non est igitur mirum, si non penitus alterius naturam obtineat. Communior tamen sententia compræhendit ipsum sub nomine: dicens ipsum non propriè significare cum tempore, eo modo quo verba. Nam verba significant cũ tempore tali, quod sit mẽsura totius enuntiationis, non autem participia. Vt cùm dico, Ioannes fuit amans, enuntiatio illa mensuratur & denominatur, non à tempore per participium amans significato. Non enim dicitur esse enuntiatio de præsenti, sed de præterito, propter tempus præteritum per verbum, fuit significatum. Vel aliter dicitur participium non consignificare tempus determinatum vel determinatè, sicut verbum, eo quòd participium cogatur, secundum qualitatem verbi sibi adiecti, vt si addatur verbo præteriti temporis participium præsentis, ampliatur secundum tempus præteritum, vt accipiatur pro præteritis, quod ex sua significatione est temporis præsentis.

De *oratione*. CAP. III.

DEFINITVR post simplicia nomina & verba composita oratio hoc modo:

Definitio orationis. *Oratio est vox significatiua, cuius aliquid partium significatiuum est separatum, vt dictio, non vt affirmatio vel negatio.*

Vt homo bonus, dæmon peruersus, creatura Dei, & huiusmodi. In his enim, partes sigillatim suã habent significationem, vt homo suam habet, & bonus item suam, ex quorum significatis consurgit etiam totalis significatio orationis illius, homo bonus. Quòd autem oratio dicitur secundũ placitum significatiua, non est accipiendum, quasi oratio quælibet sigillatim & per se imposita sit ad significandũ, sed ratione partiũ dicitur ita significare. Quia enim significationem habet oratio à suis partibus, & partes ipsæ secundũ placitum significant institutiõ, hinc etiam orationes ipsæ secundariò dicuntur secundum placitũ significare. Inueniuntur nihilominus quædam orationes quæ secundum aliquam suam significationem, quasi primariò ad placitũ significant. Vt cùm dicimus, aërem verberare, aut laterẽ lauare, pro eo quod

quod est frustra laborare, hanc significationem quodammodo videntur orationes illæ habere primariò ex placito instituentium quibus placuit totis illis orationibus ad eam vti significationē, quàm à suis partibus sine noua impositione non habebant. Nisi fortè quatenus impositio circa partes facta occasionem præbet hac quoq; noua significatione totali orationem ipsam vsurpandi. Diuiditur autē oratio prima sectione, in orationē perfectam & imperfectam. Imperfecta oratio est, quæ sensum perfectum non generat in animo audientis: id est, quæ non constituit intellectum audientis quietum, sed suspensum dimittit, vt adhuc expectet addi aliquid. Perfecta autem oratio est, quæ sensum perfectum gignit in audientis animo, id est, quæ suspensum non tenet audientis animum, sed pleno sensu quietum & cōtentum eum reddit. Exempli gratia, si dixerit quispiam, angelus bonus, dæmon malus, homo albus, equus niger, Petrus & Ioannes, ad singulas has orationes suspendor animo, expectans vt complementum audiam alicuius sententię. Ideò imperfectę dicuntur. Si autem dixerit, angelus bonus assistat, dæmō malus aufugiat, homo albus pertransijt, equus niger visus est: Petrus & Ioannes fuerunt sanctitate admirabiles, iam in singulis perfectum sensum intelligo. Orationis imperfectæ clarissimum est exemplum apud Terentium in Adelphis, vbi iratus Geta multas facit imperfectas orationes, apud Sostratam, priusquam perfectam absoluit sententiam, quam illi volebat indicatam, de Aeschino, quòd rapuisset, duxisset-que vxorem aliam. Sunt autē vniuersaliter imperfectę orationes illæ, in quibus nullum ponitur verbum, quantumuis etiam prolixa videatur oratio. Vt, Deus potens & sapiens, fortis ac bonus, mundum gubernans in sapientia, oratio est adhuc imperfecta. Vniuersaliter item sunt imperfectæ orationes omnes in quibus ponitur relatiuū qui quæ quod, cum vnico verbo. Vt, Deus qui viuit, homo qui mortalis est, aurum quod magni pēditur. Idem est de quibusdā compositis à quis, vtpote de quisquis & quicunq;. Istæ enim sunt imperfectæ orationes: Quisquis Deo seruit. Quicūq; in hoc mundo nascitur. Sic & de aduerbiis quibusdam quæ secūdū vim significationis includunt, qui, relatiuū: vt quādocunq;, vbicunque, vtcunq; vel quomodocunque, & si quæ sunt similia. Quandocunque enim valet omni tempore quo vbicunque

De oratione perfecta & imperfecta.

***

omni loco quomodocunq;,omni modo quo,atque ita in cæteris.Ad hoc autem vt perfecta sit sententia illa in qua ponitur relatiuum,vel explicitè,vel implicitè, necesse est geminum poni verbum.Vnde hæ sunt perfectæ orationes, Deus qui viuit in æternum, creauit nos in tẽpore.Deus qui vides imperfectum hominem, da veniam miseris.Vrinam qui nobis hanc dedit vitam temporalem, donet simul & perpetuam. Quisquis Deo seruit, bona refert sui laboris præmia.Sunt quoque eiusdem conditionis coniunctiones, cum,si,& si quæ aliæ sint partes orationis huiusmodi includentes.Vnde qui dicit,si veneris ad me,cùm veneris ad me, incompletam relinquit sententiam.

De oratione perfecta non enuntiatiua.

CAPVT IIII.

Oratio perfecta non enũtiatiua.

DIVIDITVR deinde perfecta oratio,in orationẽ enuntiatiuã & non enuntiatiuã.Oratio perfecta non enuntiatiua dicitur,quæ licet perfectũ sensum gignat in animo audientis,non tamen verũ aliquid,vel falsum significat. Huiusmodi sunt omnes orationes deprecatoriç.Vt Miserere nostri Deus omniũ.Omnes imperatiuæ,siue præceptiuæ, aut prohibitiuæ.Vt,Deũ time,& mãdata eius obserua.Diligite iustitiã omnes qui habitatis terrã.Præter vnum Deum alium ne adorate.Omnes itẽ exhortatoriæ vel cõsolatoriæ, vt,viriliter agite,& sustinete Dominũ,patientes estote donec adueniat retributor laborum omniũ Deus.Fiũt autem hæ omnes communiter per modũ imperatiuum, qui modus non semper imperatiuè significat,sed aliquãdo deprecatiuè, aliquando exhortatiuè.Sunt quoq; imperfectæ orationes optatiuæ,vt,Vtinam saperent homines & intelligerẽt,ac nouissima prouiderẽt.O si mortis diem perpetuo ante oculos habeant mortales.His quoq; adiungẽdæ sunt orationes interrogatiuæ,vt,Quid agitis cęci mortales,dum pro terrena possessiuncula æternam amittitis patriam?Similes fere videntur illæ quæ non tam interrogatiuè quàm admiratiuè enuntiãtur,vt,Quam malè sibi consulunt adolescẽtes, qui florem adolescentiæ otio & vitiorum illecebris perdũt.Tametsi enim forsitã videatur in huiusmodi verum esse aut falsum,non tamẽ hoc inuenitur in ipsis eiusmodi orationibus, sed in eo quòd tacitè solet ad huiusmodi in mẽte respondẽri.Quòd si quis fortè contendat,huiusmodi ex se ipsis verũ

falsũm

falsúmve indicare, hic & illam suprapositam orationẽ interrogatoriam orationẽ debebit enũciatiuã admittere, quod parum verisimile videtur. Huiusmodi autem orationum omniũ nullus est vsus dialectico, qui totus in hoc est, vtquid verũ & quid falsum apprehẽdat. Communi autẽ vsui hominum ex sacris literis admodum sunt frequẽtes. Peculiariter quoq; rhetoribus & poëtis, qui magis affectum cõmouere studẽt, ad quod huiusmodi peculiarius cõueniunt. In singulis aliquot exempla ex Poëtis, in adolescentũ gratiam, vt similia ex propositis exẽplis discant in authoribus obseruare, assignabimus. Oratione deprecatoria apud Virgiliũ fortissimus Aeneas incẽsis nauibus Iouẽ orat, dicẽs, Iupiter omnipotẽs, da flammã euadere classi. Nunc pater, & tenues Teucrũm res eripe letho. Sic apud Didonẽ deprecãtur naufragio superstites Troiani: Parce pio generi, & propius res aspice nostras. Preceptiua oratione apud Comicũ vtitur herus ad seruos: Vos isthæc intrò auferte, abite, adesdum Sosia. Prohibitiua siue dissuasoria est oratio illa in Bucolicis Virgilianis O formosẽ puer nimiũ ne crede colori. Exhortatoriũ est illud Horatij: Omnibus adde modũ, & huiusmodi. Exhortatoria simul & consolatoria oratio est, quàm suis Troianis in naufragio loquebatur Aeneas: Durate (inquiens) & vosmet rebus seruate secundis. Optatiua oratio est, quã Aeneæ presentiam desiderãs Dido proloquitur dicens, Atq; vtinã rex ipse noto cõpulsus eodẽ Afforet Aeneas. Item & illud Euãdri pristinam optãtis fortitudinem: O mihi præteritos referat si Iuppiter annos. Interrogatiua est illa Didonis ad Aeneę socios: Quis genus Aeneadũ, aut quis Troiæ nesciat vrbẽ? Itẽq; illud eiusdẽ ad ipsum Aeneã. Quis te nate Dea per tanta pericula casus Insequitur? Interdum vero interrogatiua oratio apud Poëtas & vsum loquẽdi communẽ indignationem significat. Vt cùm Ilioneus apud Didonẽ querimoniam proponit de incensione nauiũ. dicẽs: Quod genus hoc hominum, quę've hũc tam barbara morem Permittit patria, hospitio prohibemur arenæ? Sic apud Persiũ malefrugi adolescentem pẽdagogus interrogando increpat, dicẽs: Non pudet ad morem discincti viuere nate? Auaros quoq; sacerdotes amara interrogatione sic notat idẽ Satyricus: Dicite põtifices in templo quid facit aurũ? Interdum verò tãtùm humilem & supplicem querimoniam explicat. Veluti cũ apud

Virgilium pro suo Aenea mater Venus Iouem omnipotentem lamentabili voce affatur, dicens: Quem das finem rex magne laborum? Videtur quoque adiungenda prædictis subiunctiua oratio, vt apud Virgilium: Si datur Italiam sociis & rege recepto Tendere, vt Italiam læti latiúmque petamus.

De oratione enuntiatiua.

CAPVT V.

HAEC igitur orationes omnes (vt supradictum est) dialectico non conueniunt, sed illa sola quæ indicatiua, vel enuntiatiua dicitur, quam Aristoteles appellat enuntiationem, vel enuntiatiuam orationem. Cicero verò, quem hac in parte magis imitamur Latini, propositionem censuit appellandam, alij pronuntiatum, alij axioma nominant aut proloquium. Omnium verò est vna ratio, quia per ipsam enuntiatur, proponitur, pronuntiatur, statuitur verum aut falsum. Definitur autem ab Aristotele his verbis:

Oratio enuntiatiua.

Enuntiatiua oratio est, in qua est verum aut falsum.

Hoc est, oratio perfecta est quę verũ aut falsum significat. Nõ enim sic verũ est in oratione, quasi ipsa veritas aut falsitas sit in ipsa vocabuli aut scripta oratione realiter. Veritas enim & falsitas in intellectu sunt. Sed ideò in enũtiatione dicitur esse verũ aut falsum: quia aliquid ipsa significat verum aut falsum, vt (exẽpli gratia) hæ orationes: Deus viuit, Deus omnia cõdidit, Homo est mortalis, Cœlum est incorruptibile, singulę verũ significant. Istæ verò: Deus est malus, diabolus est omnium rerum principium, homo est asinus, singulæ falsum significant. Vnde ex hac definitione elici potest diuisio enuntiationis siue propositionis, in propositionem verã, & falsam. Propositio vera est, quãdo res ita se habet quomodo per ipsam significatur. Vt hæc propositio, Homo est mortalis, vera est, quoniã ita res se habet vt ipsa significat. Significat enim hominem esse mortalẽ, & ita verè res habet, probatq; hoc ipsa experientia. Propositio autem falsa est, quãdo res non ita se habet, vt per ipsam propositionẽ significatur. Vt hæc est falsa, homo est brutũ, quoniã significat hominem esse brutalis naturæ & sine intellectu. Atq; res lõgè secus habet. Similiter hæc falsa est: Cicero fuit eximius poëta.

**** Propositio vera.* *Falsa.*

Sig

Significat enim Ciceronem de numero fuisse insignium poëtarum. Non ita verò res habet, id quod illud ipsius manifestè carmen testatur, quod in huius rei testimonium citat Iuuenalis, O fortunatam natam me consule Romam.

» Amplius quoque diuidi posset enuntiatio in necessariam, *Diuisio enuntiationis.*
» impossibilem, & contingentem. Propositio necessaria est, *Necessaria.*
» quando res necessariò sic se habet, quomodo per ipsam si-
» gnificatur, nec potest aliter se habere, vt Deus est, homo est
» animal rationale. Creatura impar est creatori. Propositio *Impossibilis.*
impossibilis est, quando res ita se habere non potest, quomodo per eam significatur, vt homo est brutum, Deus est impius. Propositio autem contingens est, quando res per ipsam significata potest sic se habere, & item aliter se habere potest. Vt cùm dico Petrus sedet, Ioannes orat, Philippus disputat. Propositio necessaria semper est vera. Propositio impossibilis semper falsa. Propositio cōtingēs, nec semper vera, nec semper falsa, sed interdū vera, interdū falsa. Generaliter verò enūtiationes dicūtur omnes illæ perfectæ orationes, quæ pro principali verbo habēt verbū indicatiui modi, cuiuscunque tandē fuerit tēporis. Omne enim verbū modi indicatiui, facit orationem veram aut falsam, quam ob causam à Grammaticis rectè modus ille vocatur indicatiuus, veri nimirum aut falsi. Vnde hæ omnes sunt enūtiatiuæ orationes, Deus viuit in æternū. Deus viuebat ante mundum conditum. Deus hominē de luto formauit. Deus hominem rectū creauerat & sine peccato. Deus vitā æternā dabit se diligentibus. In omnibus quidem his verum similiter inuenitur. Veruntamen falsitas aut veritas propositionum illarum quæ sunt de futuro aut præterito, considerari debet secundum veritatem propositionum de præsenti, quas solent recentiores appellare propositiones de inesse, eo quòd per eas quasi in actuali existētia cōstituatur & proponatur, quod in aliis fuisse aut fore dicitur. Videlicet vera est propositio de præterito, si propositio de præsenti ex iisdē omnino extremis cōposita aliquādo fuerit vera. Et vera est propositio de futuro, si propositio ei correspondēs de copula præsenti aliquādo vera sit futura. Exēpli gratia, vera est ista de præterito: Adā vixit in terris, quoniā aliquādo hæc vera fuit, Adā viuit super terrā. Ista quoque de futuro est vera, Antichristus erit, quoniā aliquando vera hæc erit de præsenti, Antichristus

Cōtingens.

stus est. Illa autem de præterito falsa est, cui respondens propositio per præsens tempus enuntiata, nunquam vera fuit. Et illa de futuro falsa dicitur, cuius de præsenti nunquã erit vera. Vt hæc de præterito, Antichristus ille pessimus vixit, falsa est, quoniam nunquam verum fuit eum viuere. Et hæc de futuro, Messias nascetur in mundo ad salutem humani generis, falsa est, quoniam nunquam verè licebit dicere in futuro tempore, Messias nascetur in mundo. Iam enim olim natus est in mundo de virgine, non nascetur amplius.

De diuisione propositionis in simplicem & coniunctam.

CAPVT VI.

PONVNTVR autem tres diuisiones præcipuè enuntiationis, quarum prima hęc est. Propositionum alia est simplex siue categorica, alia coniuncta siue hypothetica. Propositio simplex ab Aristotele sic definitur:

Definitiõ enũtiationis simplicis.

Simplex enuntiatio est, quæ aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo enuntiat.

Hoc est, talis aliqua enũtiatio, in qua vnum aliquod prædicatum de vno aliquo subiecto enũtiatur, siue affirmatiuè siue negatiuè. Propositio enim de, significat affirmationé, ab verò negationem. Vt cùm dico, Deus est immortalis. Homo non est immortalis, in vtraq; simpliciter enũtiatur vnũ prædicatum de vno subiecto, in priore quidẽ affirmatiuè, in posteriori autem negatiuè. Appellatur autem hæc propositio simplex à posterioribus, Græco nomine κατηγορικὴ, id est, prędicatiua: videlicet quoniam in ea vnum prædicatum de vno subiecto prædicetur, soletq; clarius in hunc modũ definiri: Propositio categorica est, quæ habet subiectũ prędicatũ & copulam tanquàm præcipuas partes sui. In omni etiam propositione simplici siue categorica, duo sunt termini, quorũ alter dicitur subiectũ vel terminus subiectus, alter prædicatũ vel terminus prædicatus. Subiectum est id de quo aliquid dicitur. Prædicatũ est, quod dicitur de altero. Hoc est, terminus ille dicitur subiectũ qui subiicitur alteri & de quo alter dicitur, prædicatur siue enuntiatur. Ille autẽ qui sic alteri supponitur, & qui de altero prædicatur, dicitur prædicatum. Vt in hac propositione, Homo est mortalis, subiectũ est homo, prædicatũ verò mortalis. Vnde manifestũ est subiectum

&

& prædicatũ dici adinuicem relatiuè, eo modo quo adinuicem referũtur pater & filius. Semper quoq; in categorica propositione esse debet verbalis copula. Quæ interdũ quidem à prædicato expressè inuenitur distincta. Vt cùm dico, homo est animal, Deus est bonus, Angelus est incorruptibilis. Cuiusmodi propositiones solent vocare recẽtiores de est tertio adiacente: eo quòd verbum est, in illis sit quasi tertiũ adiacens, duobus terminis, quos adinuicẽ nectit & copulat.

Copũla.

De est tertio adiacente.

Interdum verò copula nõ distinguitur secundũ vocalem expresionẽ, ab ipso quod est prædicatũ. Vt cùm dico, Deus viuit, Deus imperat, Homo peccat. Hic studet, ille currit, & vniuersaliter in omnibus propositionibus quorũ prædicatum est verbum adiectiuũ. Hic enim prædicatum & copula secundũ vocalem expresionẽ non differunt, sed in vno termino coincidunt. Attamen in explicatione inuenietur copula à prædicato distincta. Idem est enim, Deus viuit, quòd, Deus est viuens. vbi viuens est prædicatũ, & est copula. De propositionibus quoq; illis quas vocant recentiores de secũdo adiacente, simile est iudicium. Vt in istis, Deus est, homo est. Hæ enim de est secundo adiacẽte appellantur, quoniam in ipsis verbum est vni tantùm subiecto apponitur, nec aliud tertium est in eadẽ propositione cui connumeretur. Neq; verò requiritur ad enuntiationem simplicem siue categoricam, quòd subiectum & prædicatum sint termini simplices & incõplexi. Hæc enim propositio, Deus pius, iustus & longanimis, ostendit magnam erga reprobos patientiã: vna est simplex enuntiatiua oratio. Habet enim vnum subiectum, totum hoc: Deus iustus, pius & longanimis: habet item prædicatum vnũ, nempe ostendens magnam erga reprobos patiẽtiam, & vnum istud prædicatũ, de vno illos subiecto, mediante vna copula est, prædicatur. Est igitur vna simplex, & categorica enuntiatio. Possunt tamen huiusmodi enuntiationes appellari de extremis cõplexis aut de altero extremorum complexo. Vnde quædã sunt propositiones categoricæ de vtroq; extremo simplici, vt Deus est verax, homo est mẽdax. Quædam de simplici subiecto tãtùm, vt Deus est verax in omnibus verbis suis. Homo est mendax in verbis & factis. Quædam autem de simplici prædicato tantùm, vt homo iustus saluatur, homo impius damnatur. De propositione autem cõiuncta siue composita quam cõmuniter hypothe

De secundo adiacente.

Subiectum et prædicatum possunt termini complexi esse.

potheticam appellant, tametsi posterius absoluto tractatu simplicium plenè tractandum sit, paucis tamen etiam hoc in loco eius definitionem explicabimus. Sic itaque definitur ab Aristotele:

Definitio propositionis cõiunctæ.

Propositio coniuncta est, quæ composita est ex enuntiationibus simplicibus.

Hoc est, enuntiatio aliqua totalis, quæ componitur ex duabus simplicibus enuntiationibus ad inuicem per aliquã certam coniunctionem connexis. Vt cùm dico, si verax est Deus, iustus saluabitur: tota hæc est vna oratio coniuncta, quoniam plures habet simplices per coniunctionem si, vnitas. Nisi enim vnitæ essent plures illæ simplices per aliquam coniunctionem, non vna diceretur enuntiatio coniuncta, sed plures simplices. Vt cùm dico, Iustus saluabitur, impius peribit, duæ sunt simplices enuntiationes, non vna coniuncta. Deest enim coniungens copula. Hæc paucis in præsentiarum de enuntiatione coniuncta sufficiant. Ad simplicem autem, quæ modo est determinanda redeamus.

De secunda diuisione enuntiationis. CAP. VII.

SECVNDA diuisio principalis ipsius enuntiationis, siue propositionis hæc est: Propositionum alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita. Hãc diuisionem Aristoteles in principio libri Priorum assignat, in præsenti autem loco tantùm paucissimis indicat. Quæ tamen vt perfecta sit, & sufficiens diuisio, oportet vel ipsum diuisum restringi ad solas propositiones de subiecto cõmuni, vel quartũ subaudiri membrum, propositionem singularem. Tria quoq; membra priora, loco suprà adducto idem Aristoteles sic definit:

Quid propositio vniuersalis particularis, & indefinita.

Propositio vniuersalis est, quæ omni aut nulli inesse significat.

Propositio particularis est, quæ alicui, aut non alicui, aut non omni inesse significat.

Propositio indefinita est, quæ inesse aut non inesse significat, sine signo vniuersali aut particulari.

Quæ Aristotelis definitiones, per alias aliquãto notiores à posterioribus declarantur, in hunc modũ: Propositio vniuersa

» uersalis est, in qua subiicitur terminus communis signo vni
» uersali determinatus. Propositio particularis est, in qua sub-
» iicitur terminus communis signo particulari determinatus.
» Propositio indefinita est, in qua subiicitur terminus cõmu-
» nis sine signo, subaudi vniuersali aut particulari. Exempli
gratia, hæ propositiones sunt vniuersales: Omnis homo est
mortalis. Nullus homo in perpetuum viuet. Hæ sunt parti-
culares: Quidam homines sunt iusti. Quidam homines non
sunt iusti. Hæ sunt indefinitæ, Homo est animal. Asinus non
» est rationalis. Contrariorum eadem est disciplina. Proposi-
» tio autem singularis hoc modo solet definiri: Propositio sin *Propositio singularis.*
» gularis est in qua subiicitur terminus singularis, vel termi-
» nus communis sumptus cum pronomine demõstratiuo pri-
» mitiuæ speciei. Vt hæ sunt singulares: Ioannes conuertit A-
siam. Paulus in occisione gladij mortuus est. Hic homo di-
gnus est morte. Vir ille dignus est præmio. Quæ autem
sunt signa vniuersalia aut particularia, ex auditu facilè qui-
libet dinoscit. Signa enim illa quæ denotant terminum cui *Signa Vniuersalia.*
adduntur accipi, & enuntiationem totam verificari pro o-
mnibus suppositis termini illius sine exceptione, dicuntur
vniuersalia, vt omnis, nullus. Cùm enim dico: Omnis homo
est mortalis, significo prædicatum subiecto conuenire, non
solùm pro vno aut altero supposito, sed pro omnibus omni-
no quæ sub ipso comprehenduntur. Ita cùm dico: Nullus ho
mo est immortalis, indicatur ex virtute signi præpositi sub-
iecto, prædicatum ab ipso abnegari secundum omnia quæ
sub ipso comprehenduntur. Signa autem particularia sunt, *Signa particularia.*
quæ cùm adduntur termino, non indicant terminum cui ad-
duntur debere accipi, & propositionem ex eius parte veri-
ficari pro omnibus suppositis ipsius, sed pro aliquo, vel
pro aliquibus. Vt cùm dico, Quidam homines sunt iusti, si-
gnificatur iustitia conuenire homini non pro omnibus sin-
gularibus, sed pro aliquibus. Ita cùm dico: Quidam homi-
nes non sunt probi, prædicatum non significatur abnegari
ab homine secundum omnia suppositа, sed tantùm secun-
dum aliqua.

De signis vniuersalibus, & particularibus.

CAP. VIII.

DE ISTIS autem signis vniuersalibus & particularibus notandum est, quòd per se nihil significant, sed tantùm aliqua

aliqualiter dicũtur significare, id est, vniuersaliter vel particulariter, secundũ quod terminũ cui adduntur sic vel sic faciunt accipi, & propositionẽ sic vel sic verificari. Vt signum omnis, per se quidem nec equũ, nec hominem, nec angelum, nec aliquã rem significat: si autem addideris ipsum termino cõmuni significatiuo alicuius rei, illic ipsum videbis vniuersaliter significare, vt dicendo omnis homo. Atq; ob hãc rem eiusmodi dictiones non propriæ terminorum merentur appellationem, sed tãtùm signa nominantur. Aut si interdum termini appellẽtur, dicũtur termini tantùm cõsignificatiui, non absolutè significatiui. Solentq; hac ratione excludi à definitione nominis, per particulam illã, vox significatiua.

*** Quædam tamen inueniuntur signa vniuersalia, non purè signa consignificatiua, sed simul etiam alicuius rei significatiua, quemadmodum in explicando patet. Vt nihil, nemo, nullus (cum substantiuatè accipitur) quisquis, quicunq;. Nihil enim valet, nullum ens, vel nulla res, vbi signum vniuersale vides cum termino significatiuo. Nemo, id est, nullus homo, nullus substantiuè, idem valet, quilibet substantiuatè, idem valet quod omnis homo, quisquis, id est, omnis homo qui. Omnes igitur hæ propositiones vniuersales sunt, nihil est creatum à semetipso. Nemo sibi viuit, nullus sibi vitam dedit. Quisquis vel quicunq; Dei mandata obseruauerit, vitam æternã habebit. Huiusmodi solent vocare terminos mixtos, quod simul in sua significatione includãt terminum consignificatiuum & significatiuum, quodq; & aliquid significent & aliqualiter. Prædictis videntur adnumeranda quædam aduerbia vniuersalia signa in sua significatione includentia: Vt semper, vbique, nunquam, nusquam, omnino, nequaquam, & huiusmodi. Semper enim valet, omni tempore: nunquam, nullo tempore. Vbique, omni loco: nusquam, nullo loco omnino, omni modo: nequaquam, nullo modo. Verùm inter hæc talis est differentia, quòd illa quę includunt signa affirmatiua, non faciunt per se enuntiationem simpliciter vniuersalem, etiam si ponantur in principio totius propositionis. Vnde hæ propositiones. Vbiq; animalia sunt homines. Semper animalia sunt homines. Omnino animalia sunt homines, non videntur esse vniuersales: cùm subiecta earum non determinentur aliquo signo vniuersali. In prædictis enim enuntiationibus subiectum est,

anima

animalia, vbiq; autē vel ſemper licet præponatur ſubiecto, non dicitur tamē ipſum determinare, quoniā virtutem vniuerſalitatis ſuę in ipſum nō explicat. Manet enim virtus vniuerſalitatis intra ipſum aduerbiū incluſa, ſolúmq; in locū & tēpus quæ ſimul in aduerbiis includuntur, cadit, nec protenditur vſq; ad ſubiectū, animalia. Tunc autē dicitur ſubiectum enuntiationis determinari vniuerſali ſigno, quando virtus vniuerſalitatis eius ſuper ipſum cadit. Merè autē vniuerſales fient hæ propoſitiones, ſi ita dixerimus: Vbique omnia animalia ſunt homines. Semper omnia animalia ſunt homines. Omnino omnia animalia ſunt homines.

Secus tamen eſt de aduerbiis negatiuis, affirmatiuis iſtis correſpondentibus, nunquā, nuſquam, nequaquā. Hæc enim cùm præponuntur ſubiecto, faciunt enuntiationem ſimpliciter vniuerſalē. Vt, Nunquā homo potuit prȩualere Deo. Nuſquā impij effugient Dei iudicium. Nequaquam impius miſericordiam obtinebit poſt mortem. Ratio autē diuerſitatis eſt, quoniā negatio incluſa vim vniuerſalitatis explicat, non ſolum in terminum proximum in eodem aduerbio ſimul incluſum, ſed & in omnia quę ſequuntur, iuxta vulgatum dictū: Negatio totum negat quod ſequitur, & ſua virtute æquè in diſtantia atq; in propinqua agit.

Similiter dicendū eſt ſuo modo de aduerbiis huiuſmodi quæ ſigna includūt particularia, vt aliquādo, alicubi, aliqualiter, aliquatenus, aliquouſq;, aut huiuſmodi ſi quæ ſint alia quæ ex ſe nō faciunt propoſitionem particularem, etiam ſi ponantur in principio. Vnde iſtæ: Aliquando impij pœnas luent. Alicubi homines nudi ambulant. Aliquouſq; mali tolerandi ſunt, nō ſunt particulares enuntiationes, ſed indefinitæ, poſſuntq; ſic fieri vniuerſales. Aliquādo omnes impij pœnas luent. Alicubi omnes homines nudi ambulant, &c.

Poſtremo notandum eſt quædam ſigna vniuerſalia vel particularia accipi ſecundū æquiualentiam: vt cùm ex pluribus ſignis in ſeinuicem cadentibus, ſeq; inuicem vel impedientibus vel confortantibus, vnius ſigni alterius ſimplicis qualitas conſurgit. Vt non aliquis, valet nullus: non nullus, valet quidam: non omnis, valet quidam non: nonnihil, valet aliquid: non aliquid, valet nihil, atque ita in cæteris. De quibus ſignorum & propoſitionum æquipollentiis, dicetur poſterius.

De propositione indefinita. CAP. IX.

DE propositione autem indefinita videndũ est, quisnam sit vsus eius atq; significatio, & cui cẽsenda sit æquiualere. Quidam eam cõputant cum particulari, iuxta communem illorum regulam, quam in syllogismorum libro solent adducere. De indefinitis & particularibus idem est iudiciũ. Vnde has duas idem valere putant: Quidam homines sunt probi, Homines sunt probi. Contrà verò ex vsu disciplinarum & sermocinalium & naturalium & moralium, item & scripturarum sanctarum, videntur propositiones indefinitæ frequentius pro vniuersalibus vsurpari. Vt cùm in Grãmatica dicitur: Nomina in a desinentia primæ inflexionis sunt fœminini generis. In Dialectica, Syllogismus tantùm tres habet terminos. Syllogismus primæ figuræ nõ valet minore negatiua. In naturalibus, cùm dicitur: Materia nõ potest esse sine omni forma. Anima rationalis est immortalis. In mathematicis quoq; disciplinis cũ dicimus triangulum habere tres angulos, numerũ maiorem includere minorem, astra esse inanimata, manifestum est hæc omnia sic accipi & sic intelligi, ac si vniuersaliter proponerentur. Item cùm in moralibus dicimus, pueros iam inde à teneris annis assuefaciendos esse virtuti, virtutẽ esse laudandã, vitiũ esse fugiendum, liberalem probum esse, prodigum improbũ, aliaq; huiusmodi omnia sic intelliguntur ac si vniuersaliter pronuntiarentur. In scripturis quoq; id est manifestũ. Veluti cũ dicitur: Iustus ex fide viuit. Impius in impietate sua morietur. Iustũ amat Deus, impiũ odit. Puer centũ annorũ morietur. Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit, & alia huiusmodi infinita. Rarò enim vniuersalibus vtitur scriptura enuntiationibus in iis etiam quæ secũdum vniuersalitatem intelliguntur, sed indefinitis regulariter vtitur vniuersaliũ loco. Videntur itaque propositiones indefinitæ, ex vsu & consuetudine pro vniuersalibus vsurpari, non tamen id esse videtur ex modo enuntiationis, cùm nullum habeant signũ indicans vniuersalitatem, sed ex vsu, tantum, vt dictũ est. In materia autem contingenti, vt cum dico, Homo est iustus, homo non est iustus, homo saluabitur, homo non saluabitur, hîc satis pro particularibus possunt accipi, etiã ex cõsuetudine. Quamuis nõ multũ vti soleamus indefinitis enũtiationibus, in cõtingenti materia. Vulgatius enim in contingen

gentibus particulare signũ adiicimus, dicentes: Quidã homines sunt iusti, quidam non: quidam saluabuntur, quidam non, & cætera. De propositione verò singulari, hoc in loco nihil occurrit dicendum peculiare. Quæ de termino singulari siue indiuiduo dicẽda videntur, copiosè à nobis dicta sunt in principio libri primi, quem de quinque prædicabilibus inscripsimus. Quare his contenti, ad distinguendum inter affirmationem & negationem procedamus.

De propositione affirmatiua & negatiua.

CAP X.

DIVIDITVR tertia diuisione enuntiatio categorica in affirmatiuam & negatiuã, siue in affirmationem & negationem. Eas sic definit Aristoteles.

Affirmatio, est enuntiatio alicuius de aliquo. Affirmatio.
Negatio est enuntiatio alicuius ab aliquo. Negatio.

Quarum definitionũ hæc est sententia: Enuntiatio affirmatiua est, in qua prædicatum de subiecto dicitur affirmatiuè, id est, secundũ copulam non negatam aliqua negatione. Enuntiatio autem negatiua est, in qua prædicatum negatur de subiecto, id est, de subiecto dicitur mediante copula negata siue aliqua negatione determinata. Dicitur autẽ copula negari, quando alicuius negationis virtus in ipsam cadit. Exẽpli gratia, hęc enuntiatio, Homo est mortalis, affirmatio est siue enuntiatio affirmatiua: quoniam prædicatũ, mortalis, dicitur de subiecto homo, mediãte copula, est, nulla negatione determinata. Ista autem, Homo non est mortalis, negatiua dicitur: quoniam prędicatum de subiecto dicitur, mediante copula iam negata. Operæpretium autẽ est, hoc in loco aduertere, quando negatio copulam neget, & quando nõ neget. Sciendum igitur primum, quòd negatio nunquam potest agere, aut vim suã explicare in ea quæ præcedunt, sed tantùm in sequẽtia. Vt cùm dico, Lapis nullum animal est, subiectum Lapis, non negatur: quoniã præcedit negationem. Cùm verò ita dico, Lapis est non animal, neq; subiectum Lapis, neq; copula est, negatur, sed tantum animal prædicatum. Quæ proinde enuntiatio affirmatiua dicenda est, tametsi prædicatum videatur negari, eo quòd negationis virtus non ceciderit in verbalem copulam, secundum quã dicitur tota enuntiatio affirmatiua aut nega-

tiua. Rursum negatio quotiescunq; clauditur intra partes alterius extremorũ, ita vt sit pars subiecti vel prædicati, virtutẽ suam tum nõ explicabit vltra extremum illud in quo cõcluditur. Vt cùm dico: Homo creatura nullius pretij, audet offendere creatorem omniũ dominum, affirmatiua est enuntiatio. Neq; obest negatio præposita copulæ, quoniam intra partes subiecti clauditur, ibiq; virtus eius cõstricta & coangustata deficit, neq; pertingit vsq; ad copulam. Totum enim subiectũ illius enuntiationis est, homo creatura nullius pretij. Ita cùm dico, Christus qui nulli hominum mali quicquã intulerat, passus est ab hominibus grauissima supplicia, similiter & eadẽ ratione est affirmatiua enuntiatio. Item, Deus qui nõ accipit personas, paratus est omniũ misereri. Quãdo verò negatio nõ est pars alicuius extremi, tũc negat omne quod sequitur. Tunc autem nõ est pars alterius extremorum, quãdo in principio propositionis ponitur, aut sic vt ipsam copulam immediatè determinet. Exemplũ primi, vt cùm dico: Nullus impius est amicus Dei. Non viuit homo qui possit cũ Deo cõtendere. Nullius hominis virtus Deo potest obsistere. Exemplũ secundi: Deus nõ parcet impiis, Deus nunquã derelinquit electos, Lapis nullum est animal. Notandũ hic quoq; de impedimento plurium negationum, quando in eundẽ cadunt terminum, quòd negationem frequẽter cõtingit impediri ab effectu suo, per aduentum negationis alterius. Quoniã enim negatio est naturæ malignãtis & destruẽtis (negat enim & destruit omne quod sequitur) idcirco cùm duæ negationes cadunt ambæ in vnũ terminũ, neutra vllam vim in eundẽ terminum habet. Vnde dici solet iuxta cõmunem regulam: Duæ negationes vnã faciunt affirmationem. Item, quòd negationes in numero pari super vnum terminum cadentes, terminum illum intactũ relinquũt. Si verò in numero impari, vtpote si negatio vna, tres, aut quinq;, in vnũ terminum cadant, is demum sentiet virtutem negationis. Exempli gratia, in hac oratione. Nullus homo nõ est mortalis, terminus homo negatur à priori negatione, nullus: quoniã sola in ipsum cadit. Terminus aũt mortalis, nõ negatur, nec vniuersaliter ponitur: quoniã duæ super ipsum cadunt negationes, quæ seinuicem impediunt. Quod autem illic nõ teneatur, mortalis, vniuersaliter, patet exponendo. Valet enim hanc, Omnis homo est mortalis, vbi

man

manifestum est ipsum non accipi vniuersaliter. Item in ista: Nonnulli homines sunt probi, neq; subiectum, neq; prædicatum negatur, quoniã ambæ negationes super vtrunq; cadunt. Si verò tres cadant negationes in vnum terminum, ille negabitur. Vt in hac propositione, Nonnulli homines non sunt praui: quæ hanc valet, Quidã homines non sunt praui? vbi manifestum est terminum praui, in quem tres simul cadebant negationes, vniuersaliter teneri atq; negari. Duabus enim negationibus prioribus seinuicem impedientibus, tertia impedimento carens vim suam liberè exercet in terminũ cui additur, perinde acsi alia nulla præcessisset negatio.

Quòd si cui difficile videatur intelligere, quomodo duæ negationes nihil omnino efficiant, vbi vnica efficiat plurimũ, consideret analogiam hãc in rebus corporalibus. Cùm enim contigerit pro eadem re duos æquè fortes & robustos contendere, impediunt illi plerunq; seinuicem, ita vt neuter assequi possit, quod per se vterq; posset, absente alio. Si autem tertius superuenerit, illis adinuicem contendentibus duobus, atq; seinuicem impedientibus facile ille nullum patiens impedimentum, faciet solus, quod ambo illi iuncti nõ possunt. Neq; valet, si adducatur similitudo de multis idem onus portantibus, quorum plures melius efficaciúsque ferri agunt quàm vnicus aut pauciores. Verùm est enim hoc vbi plures illi seinuicem adiuuant, non autem impediunt. Nam interdum commodius res per vnum quàm per multos transigitur, quando multi illi inuicem se impediunt. Ita autem est in pluribus negationibus.

Quomodo distinguantur prædictæ tres diuisiones.

CAP. XI.

INTER has autem tres enuntiationis præcipuas diuisiones, talem solent assignare differentiam: vt prima dicatur sumi secundum eius substantiam, secunda iuxta quantitatem, tertia secundum qualitatem. Quòd enim propositio quælibet simplex siue categorica, aut coniuncta siue hypothetica dicatur, id sumitur ex consideratione partiũ ipsius: quæ proculdubio ad substantiã spectant, cum vnaquæq; res ex suis partibus cõstet & subsistat. Nempe si præcipuæ enũtiatiões alicuius partes sint, terminus subiectus & terminus prædicatus, per verbalem copulam vniti simplex est propositio: si autem precipuę sint partes duę simplices propositio-

nes per coniunctionẽ vnitæ,cõiuncta dicitur.Quòd autem propositio quælibet dicatur vniuersalis,aut particularis,aut indefinita,ad quantitatẽ spectat,quoniã per signa vniuersalia aut particularia declaratur,pro quantis vel quot suppositis fieri indicetur propositionis verificatio,an videlicet pro omnibus,vel tantùm pro aliquibus.Deniq; affirmatio & negatio ad qualitatem ipsius spectant enuntiationis.Secundũ enim quod copula vario modo disponitur,varius est enuntiandi modus secundũ affirmationẽ aut negationem.

Hac quoq; cõsideratione triplex solet in hoc loco distingui quæsitiuum,quod de huiusmodi distinctè interrogatur. Cùm enim interrogare volumus de propositione aliqua,nũ sit categorica aut hypothetica,vtimur quæsitiuo vocabulo, quæ,interrogãtes,quænã sit hęc,aut illa propositio.Cũ aũt scire voluerimus,nũ propositio vniuersalis sit aut particularis,interrogamus,quãta sit.Deniq; scire volẽtes,an affirmatiua sit propositio an negatiua,rogamus,qualis sit ipsa.

De oppositione in generali. CAP. XII.

His verò ita de propositione & variis eius diuisionibus ac speciebus vtcunq; declaratis,poscit ordo,vt ad propositionũ simpliciũ oppositiones trãseamus.Iucunda enim pariter & vtilis erit huiusmodi consideratio,vt cognoscatur,quæ propositio,cui,quo modo,& quousque opponatur siue repugnet,secundũ veritatem,aut secundum falsitatẽ, aut secundum vtrumq; simul:varias quoque oppositionum species ab inuicem discernere,singularúmq; leges & naturas tenere. Pro quarum rerum faciliori & pleniori intellectu,præmittendæ sunt duæ diuisiones aliæ propositionũ, quarum prior hæc est,Propositionum quædam participant vtroq; termino,quædam altero tantùm,quædam verò neutro termino participant.Primi membri exemplum sunt hæ duæ propositiones:Omnis homo est animal.Nullus homo est animal.Secundi,Omnis homo est animal,Nullus homo est asinus. Tertij,Omnis homo est animal.Nulla arbor est brutum.In illis autem solis potest inueniri oppositio,quæ vtroq; termino participant. Secunda diuisio est,qua subdiuiduntur propositiones vtroq; termino participantes,in hunc modum:Propositionum vtroque termino participantium,quędam secundum eundem ordinem participant,alię verò secundum alium & inuersum ordinem.Primi exemplum

plum sunt hæ duæ: Omnis homo est animal, Nullus homo est animal. Secundi hæ, Omnis homo est animal. Nullum animal est homo. In illis autem solis propriè inuenitur oppositio, quæ vtroque termino secundum eundem ordinem participant. His præmissis, quidnam sit oppositio, & quot sint eius species, declarabimus. Ex Aristotele itaque hæc colligitur definitio oppositionis.

Contradictio siue oppositio est affirmatio & negatio oppositæ. Definitio oppositionis.

Cuius definitionis hic est sensus: Oppositio est repugnãtia inter duas propositiones, eiusdẽ omnino subiecti & eiusdem omnino prædicati: quarũ altera est affirmatiua, altera negatiua. Vel sic, Oppositio, id est, propositiones oppositæ sunt, propositio affirmatiua & propositio negatiua eiusdẽ subiecti & eiusdẽ prædicati. Vt inter has, Omnis homo est bonus. Nullus homo est bonus, vera est oppositio. Sub hac autem definitione, nõ continetur oppositio subalterna, quæ est inter propositiones eiusdem qualitatis, & sumitur tantùm secundum diuersam quantitatem propter quod non meretur dici oppositio, nisi admodũ impropriè. Clarius quoque & generalius solet definiri oppositio, hoc modo: Oppositio est repugnantia duarum propositionum, vtroque termino participantium secundum eundem ordinem, vl in qualitate tantum, vel in quantitate tantum, vel in qualitate & quantitate simul. Communis definitio

Quæ definitio etiam oppositionem subalternam intra se concludit. Sub primo definitionis membro continentur oppositio contraria, & oppositio subcontraria, quarum vtraq; est inter propositiones solum qualitate differentes. Sub secundo membro est oppositio subalterna, quę (vt iam dictum est) propositionũ est sola quantitate differentium. Sub tertio est oppositio contradictoria, quæ est inter propositiones qualitate simul & quantitate repugnantes. Quæ omnia in sequentibus fient clariora, vbi ante oculos singularum oppositionũ constituentur exempla.

De speciebus oppositionis. CAP. XIII.

ASSIGNAT Aristoteles oppositioni tres species, propositiones oppositas diuidẽs. in contrarias, subcontrarias, siue (vt ipse eas appellat) nõ cõtrarias, & cõtradictorias. Ex eo quoq; singularũ assignantur definitiones in hũc modũ,

Cõtrariæ. *Contrariæ enuntiationes sunt, si quid enuntietur vniuersali vniuersaliter inesse & non inesse.*

Subcõtrariæ. *Subcontrariæ enuntiationes sunt, si quid enuntietur vniuersali particulariter inesse & non inesse.*

Contradictoriæ. *Contradictoriæ sunt, affirmatio & negatio eiusdem de eodem, quarum altera significat vniuersaliter, altera verò non.*

Quarum definitionũ hic est sensus. Contrariæ, sunt, cùm aliquod idem prædicatũ de eodẽ subiecto termino communi prædicatur, in altera vniuersaliter & affirmatiuè, in altera vniuersaliter & negatiuè. Subcontrariæ sunt, cùm idem prædicatum de eodem subiecto aliquo termino communi prædicatur, in altera particulariter & affirmatiuè, in altera particulariter & negatiuè. Contradictoriæ verò sunt, cùm idem prædicatum de eodem subiecto termino cõmuni prædicatur, in altera vniuersaliter & affirmatiuè, in altera autem particulariter & negatiuè. Vel in altera vniuersaliter & negatiuè, in altera particulariter & affirmatiuè. Multo verò clarior est modus posteriorũ, qui prædictas oppositionis species ita definiunt: Contrariæ sunt vniuersalis affirmatiua & vniuersalis negatiua, eiusdem subiecti & eiusdem prædicati. Subcontrariæ sunt, particularis affirmatiua & particularis negatiua, eiusdem subiecti & eiusdem prædicati. Contradictoriæ sunt, vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua: vel, vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua eiusdem subiecti & eiusdem prædicati. Subalternas quoq; similiter definiunt in hunc modũ. Subalternæ sunt vniuersalis affirmatiua & particularis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua & particularis negatiua, eiusdem subiecti & eiusdem prædicati. Nunc in singulis ante oculos constituamus exempla. Istę sunt cõtrarię, Omnis homo est iustus. Nullus homo est iustus. Ambæ enim sunt vniuersales, altera affirmatiua, altera negatiua, idẽ habẽtes subiectũ homo, & idem prædicatum iustus. Hæ sunt subcõtrariæ: Quidã homo est iustus. Quidam homo nõ est iustus: ambæ enim sunt particulares, altera affirmatiua, altera negatiua. Istę sunt contradictoriæ. Omnis homo est iustus. Quidam homo non est iustus. Itẽ &

istæ,

istæ, Nullus homo est iustus. Quidã homo est iustus. Illę nãque sunt vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua: hę verò sunt vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua, omnes eiusdem subiecti & eiusdẽ prædicati. Deniq; hæ sunt subalternæ, Omnis homo est iustus. Quidam homo est iniustus. Item & istę, Nullus homo est iustus. Quidã homo nõ est iustus. Sunt enim duæ priores vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua. Alteræ vniuersalis negatiua, & particularis negatiua, omnes eiusdem subiecti & eiusdem prædicati. Quæ omnia in hac figura ad oculum licet intueri.



De conditionibus quibusdam ad perfectam oppositionem requisitis. CAP. XIIII.

NOTANDVM verò est, quòd definitiones specierũ oppositionis iam positæ non penitus vniuersales sunt & omnino sufficientes, nisi insuper singulis conditio vna addatur. Videlicet ad perfectam contrarietatem requisita conditio hæc est: Vt non sit in propositionibus assignatis aliquis terminus, qui non vt minimum in altera vniuersaliter ponatur. Huius conditionis defectu istæ non sunt verè contra-

riæ: Omnis homo est animal, Omnis homo aliquod animal non est. Tota enim definitio contrariarum supraposita eis conuenit, quoniam sunt duæ propositiones: quarum altera est vniuersalis affirmatiua, altera vniuersalis negatiua, idem prorsus habentes subiectũ, idemq; prædicatum. Sed est in eis terminus animal, qui in neutra vniuersaliter ponitur. Non enim in prima, vt manifestũ est: nec in secunda, quoniam negatio ei postponitur. Dictũ est autẽ suprà negationem non habere vim nisi in ea, quæ sequũtur. Quod autẽ hæ non sint cõtrariæ, patet, quoniã simul veræ sunt, quod est cõtra naturã contrariarũ, vt posterius declarabitur. De veritate istius, Omnis homo est animal, certissimũ est. De altera, Omnis homo aliquod animal non est, declaratur quòd vera sit. Omnis enim homo leo non est, igitur omnis homo aliquod animal non est. Eiusdẽ cõditionis defectu hæ quoq; nõ sunt contrariæ. Vniuscuiusq; hominis altera manus est dextera. &, Vniuscuiusq; hominis altera manus nõ est dextera. Ambas enim cõstat veras esse. De secũda patet, quoniã vniuscuiusq; hominis sinistra manus nõ est dextera. igitur vniuscuiusq; hominis altera manus nõ est dextera. Si autẽ verã velimus assignare cõtrarietatẽ, curandũ est vt terminus ille qui in neutra positus est vniuersaliter, vt minimũ in altera sic assignetur. Vnde hæ sunt cõtrariæ, Omnis homo est animal, Omnis homo non est animal. vel: Omnis homo omne animal non est. vel Omnis homo nullũ animal est, quæ tres æquiualent. Item hæ contrariãtur, Vniuscuiusq; hominis vtraq; manus est dextera. Vniuscuiusq; hominis altera manus non est dextera. Vel sic, Vniuscuiusq; hominis altera manus est dextera, Vniuscuiusq; hominis vtraq; manus non est dextera. Pro sub cõtrariis autẽ quasi oppositis requiritur cõditio, ne sit aliquis terminus in vtraq; vniuersaliter positus. Id enim impediret sub contrarietatẽ, cuius defectu istæ nõ sunt subcõtrariæ: Quidam homo omne animal est. Quidã homo non est animal. Hic enim terminus animal, in vtraq; tenetur vniuersaliter. Quod autem nõ sunt subcontrariæ, patet, quia ambæ simul falsæ sunt, quod est cõtra naturam subcõtrariarũ. Sic autem assignabuntur subcõtrariæ: Quidã homo est animal. Quidam homo non est animal. Vel sic, Quidã homo omne animal est, Quidã homo aliquod animal non est, cautè sic præponendo terminum animal, in secũda, ne vniuersaliter accipiatur.

piatur. Porrò in contradictoriis vtrumq; æquali vigilantia cauendũ, videlicet vt nec in vtraq; sit idem terminus vniuersaliter positus, nec in vtraq; particulariter. Vtrunq; enim contradictionem impedit: quoniam oportet in cõtradictoriis talem fieri propositionum comparationem vt omnis, terminus qui in priori positus est vniuersaliter, in posteriori ponatur nõ vniuersaliter, & ecõtrario, omnis qui in priori particulariter, in posteriori vniuersaliter cõstituatur. Huius defectu istæ non contradicunt, Omnis homo omne animal est. Quidam homo non est animal: in quibus terminus animal vtrobiq; vniuersaliter ponitur. Neq; istæ, Omnis homo est animal. Aliquis homo aliquod animal non est, in quibus terminus animal vtrobiq; particulariter ponitur. Duæ priores sunt simul falsę, posteriores ambæ simul veræ, quod est contra naturam contradictoriarum, quæ non possunt esse simul veræ aut simul falsæ. In subalternis verò, cautio est adhibenda, ne aliquis teminus vniuersaliter ponatur in particulari, qui non item vniuersaliter ponatur in vniuersali. Huius defectu istæ non sunt subalternæ: Omnis homo animal est. Quidam homo omne animal est. Animal enim in particulari tenetur vniuersaliter, cum in vniuersali non vniuersaliter positum fuerit. Quòd autem hæ non sint subalternæ, patet, quoniam secundum legem subalternarum, ad veritatem vniuersalis sequitur veritas particularis, & ad falsitatem particularis sequitur falsitas vniuersalis. Hic autem non ita res habet. Ista enim vniuersalis, Omnis homo est animal, vera est, illa autem particularis, Quidam homo omne animal est, falsa est. Vt igitur veræ sint subalternæ, oportet signum vniuersale abiici in secunda, à termino animal dicendo, Quidam homo animal est. Addunt recentiores quidam singulis speciebus oppositionum alias cautiones: sed nos in præsentiarum rudi ista determinatione contenti abscedimus, ne longè nimium ad inania progressi, in fæces sophisticas forsitan incidamus.

De legibus oppositionum. CAP. XV.

COLLIGVNTVR quoq; ex Aristotele certæ quædam leges singularum oppositionum, quibus indicatur quomodo inter se propositiones oppositæ repugnent, vel secundum veritatem tantùm, vel secundum falsitatem tantùm, vel secundum veritatem & falsitatem simul.

Lex

Lex contrariarũ.

Lex contrariarum: Impoßibile eſt cõtrarias eſſe ſimul veras: ſimul autem falſas eſſe, poßibile eſt.

Hoc eſt, ſi contrariarum altera ſit vera, alteram oportet eſſe falſam, non autem econtrariò, quoniam poſſunt duæ contrariæ dari ſimul falſæ. Exempli gratia. Si hæc ſit vera, Omnis homo eſt iuſtus: eius contraria erit falſa, Nullus homo eſt iuſtus. Secundum veritatem enim hæ manifeſtiſsimè opponuntur, quemadmodum facilè percipit quiſquis aut res conſulit ſuas, mentemq; auditui accommodat. Non autem conſequitur, ſi hæc falſa ſit, Nullus homo eſt iuſtus, ob hoc veram eſſe contrariam, Omnis homo eſt iuſtus. Ambæ enim falſitatem habent, & neutra veritatem. Vnde contrariæ propoſitiones opponuntur tantùm ſecundum veritatem, in qua nunquam conuenire poſſunt: non autem ſecundum falſitatem in qua poſſunt.

Lex ſubcontrariarum.

Lex ſubcontrariarum: Subcontrarias contingit ſimul eſſe veras, ſimul autem eſſe falſas non contingit.

Hoc eſt, Propoſitionum ſubcontrariarum ſi altera ſit falſa, reliquam oportebit eſſe veram, quoniam ſimul ambæ falſæ eſſe non poſſunt. Nõ autem neceſſe eſt, ſi altera ſit vera, ob hoc alteram eſſe falſam, quoniam ambæ ſimul poſſunt eſſe veræ. Exempli gratia, Si iſta ſit falſa. Quidam homo non eſt animal, conſequitur alteram veram eſſe, Quidã homo eſt animal. Quamuis autem vera ſit hæc, Quidã homo eſt iuſtus, non tamen ob hoc oportebit alteram eſſe falſam, Quidam homo non eſt iuſtus. Ambæ enim veritatem ſimul habent. Vnde ſubcontrariæ repugnant tantùm ſecundum falſitatem, in qua non poſſunt conuenire: non autem ſecundum veritatem, in qua poſſunt. Propter quod forſitan ſubcontrariæ ſignanter ſunt nominatæ, quaſi minus contrariæ. Prior enim & potior videtur contrarietas ſecundum veritatem, quemadmodũ veritas prior eſt falſitate, & prius ipſa conſideratur. Vel ideò ſubcontrariæ dictæ ſunt, quia in falſitate contrariæ, ſub aliis in veritate contrariis poſitæ.

Lex contradictoriarum.

Lex contradictoriarum: Contradictoriæ non poſſunt ſimul eſſe veræ, nec ſimul falſæ, ſed neceſſe eſt earum alteram eſſe veram, & alteram falſam.

Hoc

Hoc est, Contradictoriarum si altera sit vera, alterã consequitur esse falsam: & si altera sit falsa, consequens est alteram esse veram. Exempli gratia. Si hæc vera est, Omnis homo est animal: rectè colligitur, istam esse falsam, Quidã homo non est animal. Rursum si hæc sit falsa, Quidam homo est leo, rectè infertur hãc esse veram, Nullus homo est leo. Pugnant enim omnibus modis contradictoriæ, & secundum veritatem, & secundum falsitatem. Propter quod, oppositio inter istas est maxima: quæ appellatur contradictoria, eo quòd tam secundum veritatem, quàm secundum falsitatem ambæ sibiinuicem contradicant. Hanc legem participant etiam propositiones singulares, illæ quarum altera est affirmatiua, altera negatiua, eiusdem subiecti, & eiusdem prædicati. Vt Petrus viuit, Petrus non viuit. Non enim possunt istæ simul esse veræ, aut simul esse falsæ, Propter quod meritò contradictoriis adnumerantur.

Adiiciunt posteriores legem pro subalternis, in hunc modum: Subalternarum si vniuersalis sit vera, particularem consequitur esse veram, non autem econtrariò. Et si particularis sit falsa, consequitur vniuersalem esse falsam, non autem econtrariò. Hoc est, inter subalternas, ad veritatem vniuersalis sequitur veritas particularis, quam vocant subalternatam: non econtrariò, veritas particularis infert veritatẽ vniuersalis. At verò falsitas particularis infert falsitatem vniuersalis, non econuerso, falsitas vniuersalis falsitatẽ particularis. Exempli gratia: si hæc est vera, Omnis homo est animal, euidenter infertur hanc quoque particularem esse veram, Quidam homo est animal. Non tamen econtrariò consequens est, si vera sit hæc particularis, Quidam homo est iustus ob hanc veram esse eius vniuersalem subalternam, Omnis homo est iustus. Rursum, si falsa sit hæc particularis, Quidam homo est brutum, statim consequitur, vniuersalem quoque falsam esse, Omnis homo est brutum. Nec tamen vicissim consequitur, si falsa sit hæc vniuersalis, Omnis homo est iustus, falsam propterea esse particularem, Quidam homo est iustus. Hæc enim vera est, cùm illa sit falsa. Vnde apparet, subalternas nullo modo repugnare, neq; secundum veritatem, neq; secundum falsitatem, multo verò minus secundum vtrunque. Passim enim inueniuntur simul veræ, aut simul falsæ.

Lex subalternarũ.

De

De diuersa materia propositionum.

CAPVT XVI.

*** QVONIAM autem suprà diximus, contrarias interdum simul posse falsas inueniri, subcontrarias autem simul veras: ad cognoscendum, quæ illarum possint, aut non possint simul esse falsæ aut veræ, distinguitur triplex materia enuntiationum, nempe naturalis, contingens, & remota. Per materiam autem totius enuntiationis, intelligimus ambo simul extrema subiectum & prædicatum, & secundũ habitudinem horum duorũ adinuicem, sumitur ista distinctio materiæ. Propositio illa dicitur esse de materia naturali, « in qua subiecto prædicatum cõuenit essentialiter, vel vt mi- « nimum necessariò. Vt cùm genus prædicatur de specie, spe- « cies de indiuiduo, differentia de specie constituta, aut propriũ de subiecto. Vt hæ enuntiationes: Omnis homo est animal, Omnis homo est risibilis, Omne animal est sensibile, sunt ex materia naturali. De contingenti autem materia esse dicitur propositio illa, in qua prædicatum subiecto conuenit cõtingenter, sic vt possit adesse & abesse. Huiusmodi est prædicatio, accidentis de subiecto. Postremo, de remota materia dicitur esse illa propositio, cuius prædicatũ non potest verè affirmari de subiecto: vt, Omnis homo est asinus.

Naturalis

Contingens.

Remota.

Ratio autem horum nominum est satis manifesta. In primis enim enũtiationibus; quia prædicatum se habet ad subiectum naturaliter, hoc est, essentialiter vel necessariò, ideò de materia dicuntur esse naturali. In secundis quia prædicatum se habet ad subiectum contingenter, de materia dicuntur esse contingenti. In tertiis quia prædicatum non potest cum subiecto conuenire, sed abinuicem sunt penitus remota & disparata, ideò meritò de materia dicuntur esse remota siue disparata. His præmissis, nota quòd propositiones contrariæ de materia naturali non possunt vnquam simul esse falsæ, similiter nec in materia remota. In materia enim naturali semper affirmatiua est vera, imò necessaria. In materia autem remota, semper negatiuam oportet esse veram. Neq; hîc igitur neque illic, possunt ambæ contrariæ simul esse falsæ. In materia autem contingenti, inueniri possunt ambæ simul falsæ: vt, Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus, Omne animal volat, Nullum animal volat. Proportionabiliter dicendum est de subcontrariis, quod in naturali

turali materia, aut remota simul non possunt inueniri veræ: quoniam in naturali negatiua est impossibilis, & in remota affirmatiua item est impossibilis. In materia autem contingenti simul possunt esse veræ.

De æquipollentijs propositionum. CAP. XVII.

POST oppositiones enuntiationum, conuenientissimum videtur statim de earum æquipollētia tractatum adiungere, quod æquipollentiarum regulæ cognitionem recētem præsupponant oppositionem, vt statim patebit ex ipso regularum pro hac re constituendarum tenore. Consideramus autem hic propositiones æquipollentes siue æquiualentes, non ex parte ipsorum terminorū subiecti aut prædicati, quo modo istas dicimus æquipollere, Tullius dicit, Marcus loquitur: sed ex parte signorum vniuersalium aut particulariū, affirmantium & negantiū, certo modo & ordine adinuicem dispositorū. Valetq; huius æquipollentiæ notitia, ad obscuriores propositiones aliis clarioribus elucidandas.

Tres regulæ pro æquipollentijs.

» Ponuntur autem æquipollētiarum tres regulæ. Prima re-
» gula, Si alicui signo vniuersali vel particulari præponatur
» negatio, æquipollebit suo contradictorio. Secūda, Si alicui
» signo vniuersali postponatur negatio, æquipollebit suo con
» trario. Tertia, Si alicui signo vniuersali, vel particulari prę-
» ponatur, & postponatur negatio, æquipollebit suo subalterno. Primæ regulæ hic est sensus, Si in aliqua propositione præponatur negatio alicui signo vniuersali vel particulari, illa tota enuntiatio sic præpositam habens negationē, æquipollebit cum ea quæ prioris sine negatione erat cōtradictoria. Exempli gratia, Omnis homo est iustus, antequā præmittatur negatio, habet hanc contradictoriā, Quidā homo non est iustus. Nunc itaq;, si libet, adiice negationem priori ante signū vniuersale, dicendo, Non omnis homo est iustus. Si hanc quæris explicare per aliam clariorē æquiualentem, cape illā contradictoriā prioris. Quidā homo nō est iustus. Prorsus enim idē valent. Similiter ista, Quidā homo est iustus: hanc habet cōtradictoriā. Nullus homo est iustus. Si igitur præponas negationem priori, dicendo, Non quidam homo est iustus, huius æquipollens est illa prioris contradictoria. Nullus homo est iustus. Oportet autem secundū hāc regulam, negationē præponi toti propositioni. Secūda regula sic est intelligēda: Si in aliqua propositione signo vniuersali

sali postponatur negatio, prædicatum negans, illa æquipollebit ei quæ prioris nondum postposita negatione fuerat contraria. Exempli gratia, Hæ contrariæ sunt, Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus. In prima si libet, postpone negationem, dicendo, Omnis homo non est iustus. Vis scire cui æquipolleat? Illi scilicet contrariæ prioris, Nullus homo est iustus. Ac rursum, in hac postpone negationem dicendo, Nullus homo non est iustus. Vis scire modo cui æquipolleat? Illi nimirum prioris contrariæ, Omnis homo est iustus. Notandum autem est in hac regula non fieri sermonem nisi de signis vniuersalibus. In particularibus enim secundum postpositionem negationis, specialis non sumitur æquipollentia. Tertia regula sic est intelligenda: Si alicui propositioni geminam adiicias negationem, alteram ante signum vniuersale vel particulare, alteram post ipsum, illa æquipollentem habebit eam quæ erat subalterna prioris, in qua nondum adiecta erat gemina negatio. Vt istæ sunt subalternæ. Omnis homo est iustus, Quidam homo est iustus. Adde priori geminā negationē, hoc modo: Nō omnis homo nō est iustus. Vis scire cui æquipolleat? Illi videlicet, quidam homo est iustus. Ita vicissim hæc, Non quidam homo nō est iustus, æquipollētem habet illam primam, Omnis homo est iustus. Quanquàm autem regulas istas iam exposuimus de propositionibus ipsis, facilius tamen signis applicātur, vt ipsa signa in se considerantur. Quemadmodum (exēpli gratia) secundum primam regulam, nō omnis, æquipollet, quidam non: quoniam quidam non, contradictoriè opponitur signo omnis. Non quidam, æquipollet, nullus: quoniam quidam contradictoriè opponitur signo nullus. Iuxta secundā regulam, Omnis non, æquipollet nullus: quoniam omnis, cui postponitur negatio, contrariatur signo nullus. Item, nullus non, simili ratione æquipollet, omnis. Iuxta tertiam regulam, non omnis non, æquipollet quidam. Adiicitur prędictis & alia regula, ordine quarta, ex duabus prioribus velut contexta: Si duo signa vniuersalia negatiua ponantur in eadem propositione, alterum ex parte subiecti, & alterum ex parte prædicati, prius æquipollet suo contrario, iuxta secundam regulam, & posterius suo contradictorio per primam. Exempli gratia. In ista propositione, Nullus homo nullum animal est, duo ponuntur signa negatiua, Nullus & nul

& nullum: alterum ex parte subiecti, nullus: alterum ex parte prædicati, nullum. Assignando ergo huius propositionis æquipollentem, pro primo signo ponendum est signum contrarium omnis: pro secundo contradictorium, aliquod. Atque ita habetur æquipollens, Omnis homo aliquod animal est. Sic ista, Nihil nihil est, æquipollet huic, Quodlibet aliquid est. Ista, Ex nihilo nihil fit, huic, Ex quolibet fit aliquid. Hæc autem, Nihil ex nihilo fit, huic æquiualet, Quodlibet fit ex aliquo. Ista, Nemo nusquam est, huic, Quilibet alicubi est. Nullus homo nunquam aberrat, isti, Quilibet homo aliquando aberrat. Omittimus autem hoc in loco prolixissimas, & monstris adsimiles enuntiationes in medium adferre, quòd omnia ferè quæ in authoribus & vsu vulgato contingit occurrere, ad rem istam spectantia, his paucis abundè existimamus comprehensa.

De conuersione propositionum.

CAPVT XVIII.

PRAETER iam determinatas simplicium enuntiationum proprietates, oppositionem & æquipollentiam, est alia nunc suo ordine paucis explicanda, quæ vulgato nomine appellatur conuersio. Quemadmodum enim propositionibus conuenit, adinuicem opponi vel æquipollere, sic & conuerti siue verti secundùm extremorum transmutationem, ita vt ex subiecto fiat prædicatum, & ex prædicato subiectum. Est autem conuersio huiusmodi duplex, altera simplex, altera per accidens. Conuersio simplex est, quando de subiecto fit prædicatum, & de prædicato subiectum, manente eadem quantitate & qualitate propositionum. Hoc est, tunc fit alicuius propositionis simplex conuersio, quando subiectum mutatur in prædicatum, & econtrario, sic vt nec quantitas mutetur, nec qualitas propositionis. Vt ista enuntiatio, Nullus homo est animal, simplici conuersione conuertitur in istam, Nullum animal est homo. Quod enim in priori est subiectum, est prædicatum in posteriori, & econtrario. Est insuper eadem quantitas vtriusque, quoniam ambæ sunt vniuersales: eadem quoque qualitas, quoniam ambæ sunt negatiuæ. Sic ista, Quidam homo est animal, simplici conuersione in hanc conuertitur, Quoddam animal est homo. Vniuersalis autem affirmatiua hoc modo non potest rectè conuerti. Vt ista, Omnis homo est animal, non rectè conuertitur in istam, Omne animal est homo. In omni enim bona conuersione

Simplex conuersio.

oportet propositionem conuersam inferre ipsam in quam vel per quam conuertitur, quæ communiter appellatur conuertens. Manifestum est autem, non valere hanc consequentiam, Omnis homo est animal, igitur omne animal est homo: cùm antecedens sit verum & necessarium, consequens autem falsum & impossibile. Non item hac conuersione potest conuerti particularis negatiua. Vt ista, Quoddam animal non est homo. non rectè in istam vertitur, Quidam homo non est animal. Non enim hæc ad illam consequitur. Relinquitur ergo, solam vniuersalem negatiuam & particularem affirmatiuam conuerti simpliciter.

Conuersio per accidens.

Altera est conuersio per accidens, quæ sic definitur, Conuersio per accidens est, quando de subiecto fit prædicatum, & de prædicato subiectum, manente quidem eadem qualitate, sed quantitate mutata. Vt quoties vniuersalis propositio conuertitur in particularem. Vniuersalis quidem affirmatiua, in particularem affirmatiuam. Vniuersalis autem negatiua, in particularem negatiuam. Vt ista, Omnis homo est animal, rectè conuertitur in hanc, Aliquod animal est homo. Vbi qualitas manet eadem, quia ambæ sunt affirmatiuæ, sed quãtitas est diuersa, quoniam altera est vniuersalis, altera particularis. Item ista, Nullus homo est animal, rectè conuertitur in hanc, Aliquod animal non est homo. Particularis autem siue affirmatiua siue negatiua, non potest sic conuerti: quoniam ex particulari non potest inferri vniuersalis conuertens. Non enim sequitur, Quidam homo est animal, igitur omne animal est homo. Ratio autem harum nominationum, quare prior conuersio dicatur simplex, posterior per accidens, videtur ex hoc desumpta: quia in conuersione simplici conuertens infertur immediatè ex conuersa, non gratia alicuius illationis intermediæ. In conuersione autem per accidens, conuertens ex conuersa non immediatè, sed quasi per medium alicuius infertur. Exempli gratia, ista propositio, Omnis homo est animal, non videtur immediatè ex se inferre hanc, Quoddam animal est homo, sed immediatius videtur inferre, iuxta subalternarum legem, hanc suam subalternam. Quidam homo est animal. Et quia ad hanc, Quidam homo est animal, simplici conuersione sequitur ista, Quoddam animal est homo, hinc quasi per medium, illa posterior conuertens sequitur ad primam, quæ est conuersa. Secundum naturalem enim & immediatum ordinem argumentando ab alia ad aliam, sic fo-

***

Simplex conuersio dicitur sic.

Per accidens conuersio.

ret

ret procedendum: Omnis homo est animal, igitur aliquis homo est animal: & si aliquis homo est animal, igitur aliquod animal est homo. A primo ergo ad vltimum valet illatio: Omnis homo est animal, igitur quoddam animal est homo. Ita vniuersalis negatiua non immediatè infert particularem conuertentem, sed immediatius infert vniuersalem negatiuam, per quam conuertitur simpliciter. Ex ista enim, Nullus homo est brutum, sine medio infertur ista, Nullum brutum est homo: ac deinde ex ista infertur tertia, Aliquod brutum non est homo. In conuersione autem simplici, non videtur inter conuertentem & conuersam aliquod medium. Vnde ista, Quidam homo est animal, sine medio infert istam, Quoddam animal est homo: & ista, nullus homo est brutum, hanc, Nullum brutum est homo. Ideo, scilicet, ista conuersio vniuersalis negatiuæ in vniuersalem negatiuam, & particularis affirmatiuæ in particularem affirmatiuam, dicitur simplex. Conuersio autem vniuersalis affirmatiuæ in particularem affirmatiuam, & vniuersalis negatiuæ in particularem negatiuam, dicitur conuersio per accidens.

Prædictis quoque adiicitur tertius modus conuersionis, qui dicitur per contrapositionem, quæ sic definitur, Conuersio per contrapositionem est, quando de subiecto fit prædicatum, & de prædicato subiectum, seruata eadem qualitate & quantitate, sed mutatis terminis finitis in infinitos, & econtrario. Vt ista, Omnis homo est animal, hac conuersione in istam conuertitur, Omnè non animal est non homo. Vbi manifestum est in vtraque esse eandem quantitatem, cùm sint ambæ vniuersales: eandem quoque qualitatem, cùm sint ambæ affirmatiuæ: sed in prima subiectum & prædicatum sunt termini finiti, in secunda ambo sunt termini infiniti, nempe non homo, & non animal. Hoc autem modo conuertuntur propositiones vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua. Dicitur autem ista conuersio per contrapositionem: eò quòd fiat secundùm terminos oppositos, & contradictorios. Terminus enim infinitus contrà opponitur & contradicit termino finito. Propriè tamen non meretur conuersionis nomen, quoniam in conuersione propriè dicta oportet eadem prorsus esse extrema, ordine conuerso disposita, vt subiectum vnius sit alterius prædicatum, & econtrario: quod non est in prædicta conuersione. Extrema enim conuersæ sunt, duo termini finiti: extrema autem conuertentis sunt, termini infiniti.

Conuersio per cõtrapositionẽ.

☞ Et generaliter in omni conuersione hoc diligenter obseruandum est, vt totum subiectum vnius sit prædicatum alterius, & totum prioris prædicatum alterius subiectum. Vnde si quis hanc velit conuertere, Petrus videt Paulum, non assignabit hanc pro conuertente, Paulus videt Petrum, (Non enim hæc ad illam consequitur) sed istam potius assignabit, Videns Paulum est Petrus. Item ista, Petrus est in domo, non vertitur in hanc: domus est in Petro, sed in istam, Existens in domo est Petrus. Ita in aliis semper est diligenter ad extrema considerandum.

De propositionibus hypotheticis.

CAPVT XIX.

POST absolutum vtcunque tractatum de simplicibus enuntiationibus (iis exceptis quæ modales appellantur, de quibus posterius agetur) ratio ordinis videtur exposcere, vt pauca quædam de enuntiationibus compositis siue coniunctis dicamus, quæ (vt suprà diximus) ex pluribus constant simplicibus enuntiationibus, coniunctionali aliqua particula adinuicem coniunctis, propter quod ab Aristotele appellantur enuntiationes coniunctæ. Alij verò hypotheticas appellãt, id est, conditionales, speciei vocabulo ad genus translato, cùm propositio hypothetica siue conditionalis, sit species præcipua propositionis coniunctæ. Diuiditur autem propositio coniuncta, in propositionem conditionalem, copulatiuam, & disiunctiuam. Quarum specierum distinctio sumitur ex distinctione coniunctionum simplices enuntiationes connectentium, per quas & definiuntur, hoc modo, Propositio conditionalis est illa, in qua coniunguntur duæ propositiones categoricæ per coniunctionem conditionalem. Propositio copulatiua est, in qua coniunguntur duæ categoricæ per coniunctionem copulatiuam. Propositio disiunctiua est, in qua coniunguntur duæ categoricæ per coniunctionem aliquam disiunctiuam. Vt hæc est conditionalis, Si pater est, filius est. Hæc est copulatiua, Deus est verax, & homo est mendax. Hæc est disiunctiua, Iustus saluabitur, vel mendax est Deus. In singulis enim videntur duæ enuntiationes simplices, adinuicem coniunctæ per coniunctionalem particulam. Quantum verò ad propositionem conditionalem specialiter hoc notandum est, non esse necessarium vt ipsa explicitè duas habeat simplices enuntiationes, quæ sigillatim sumptæ per se sint veræ enuntiationes, verum aut falsum signi

Quid propositio conditionalis, copulatiua & disiunctiua.

significantes: sed sufficit, quòd in conditionali positæ orationes locum obtineant verarum enuntiationum, sic vt tota oratio coniuncta non aliud significet, quàm si duæ enuntiationes formaliter verum aut falsum significantes, earum loco essent suppositæ. Quod dicimus exemplo patebit. Cum dico, Si lapis esset homo, lapis esset animal: proculdubio tota hæc enuntiatio veritatem continet, & enuntiatio verè est composita. Neutra tamen pars per se sumpta, formaliter verum aut falsum explicat. Cum enim dico, Lapis esset homo, lapis esset animal (quoniam verbo non vtor indicatiui modi) verum aut falsum non indico. Attamen propter naturam & vim conditionalis coniunctionis, propositionum locum obtinent illic positę, suntque propositionum formalium velut vicariæ. Idem enim illa valet quod ista, Si lapis est homo, lapis est animal. Non autem inuenitur hoc in copulatiuis aut disiunctiuis enuntiationibus. Nam si dixeris, Deus esset bonus, & homo esset malus, neque verum neque falsum tota indicat oratio. Ratio autem diuersitatis est, ex natura diuersa coniunctionum. Sciendum quoque est propositiones istas coniunctas non habere quantitatem, id est, non dici vniuersales vel particulares, indefinitas aut singulares. Sumitur enim quantitas secundum rationē subiecti, quod sic vel sic, id est, cum signo vniuersali vel particulari, vel absque vtroque ponitur. In his autem enuntiationibus, non est consideratio subiecti aut prædicati. Qualitas autem, id est, affirmatio, & negatio vtique inuenitur in eis. Quæ sumitur non ex affirmatione, vel negatione partium, sed tantum ex affirmatione vel negatione copulæ coniunctionalis. Ita enim se habet coniunctionalis copula in propositionibus istis compositis, quomodo se habet copula verbalis in simplicibus: & ita se habent in compositis duæ propositiones simplices: quomodo in simplicibus extrema, subiectum & prædicatum. Vnde hîc copula coniunctionalis habet rationem formæ, & duæ simplices enuntiationes rationem materiæ, sicut illic verbalis copula formæ rationem obtinet, duo autem extrema rationem materiæ. Vnde quemadmodum in simplicibus considerata est affirmatio & negatio, non ex parte subiecti aut prædicati, sed ex parte verbalis copulæ, sic in istis compositis sumenda est affirmatio & negatio, non ex partibus, sed ex coniunctionali copula. Vnde ista est negatiua enuntiatio: Non si animal est, homo est, quo-

Quantitatē non habent hypotheticæ propos.

Qualitatem non habent

niam si coniunctio negatur, quãuis vtraq; pars maneat affirmatiua. In partes enim non agit illa negatio, sed in totam ipsam enuntiationem, & immediatè in ipsam fertur coniunctionem. Contrà, hæc est affirmatiua enuntiatio, Si animal non est, homo non est: cùm tamen vtraque pars sit negatiua, eo quòd præcipua copula coniunctionalis, si, manserit intacta.

Hypotheticæ contradictoriam tantùm habet.

Ex eo autem quod iam dictum est, solam qualitatem in hypotheticis considerari, non etiam quantitatem, sequitur & alterum nimirum quòd sola oppositio contradictoria in eis inueniatur, non autem contraria, subcontraria aut subalterna. Cùm enim istæ tres oppositiones sumantur secundùm diuersam quantitatem, manifestè consequens fit, vbi non est quantitas, non illic talium oppositionum aliquam reperiri posse. Contradictio verò, ex sola potest qualitate inueniri, quemadmodum in propositionibus patet de subiecto singulari: quæ ambæ cùm sint eiusdem quantitatis, opponuntur tamen contradictorie. Quòd si quis putet, ex partium oppositione tali vel tali, ipsam quoque totam hypotheticam sic aut sic opponi, errabit qui id asserere tentauerit. Ista enim conditionalis, Si omnis homo est animal rationale, omnis homo est capax disciplinæ, non est contraria huic, Si nullus homo est animal rationale, nullus homo est capax disciplinæ. Sunt enim ambæ simul veræ. Ista item copulatiua, Aliquis homo est animal rationale, & aliquis homo est animal irrationale, non subcontrariantur huic, Aliquis homo non est animal rationale, & aliquis homo non est animal irrationale. Ambæ enim sunt simul falsæ, quod est contra naturam subcontrariarum. Ista quoque, Si dies est, non est nox, non est huius contradictoria, Si non est dies, est nox, Ambæ enim sunt simul veræ. Similiter de his disiunctiuis dicendum, Vel dies est vel nox est, vel non est dies vel non nox.

De *veritate aut falsitate propositionum hypotheticarum cognoscenda.*

CAPVT XX.

Conditionalis affirmatiua.

QVOMODO autem veritas vel falsitas harum enuntiationum cognosci debeat, diligenter est notandum. Ad veritatem enim conditionalis affirmatiuæ requiritur hoc tantum, vt altera rectè sequatur ex altera, consequens videlicet ex antecedente. Vt hæc est vera, Si homo est, animal est, quoniam posterior illa rectè ex priori infertur. Non autem

tem requiritur vllius partis veritas. Ista enim, Si lignum est homo, lignum est animal, vera est conditionalis, vtraque tamen eius pars euidentissimæ est falsitatis. Propter quod vulgò dici solet, propositionem conditionalem nihil ponere, id est, nullam partem vt veram astruere, sed tantum sequelam indicare vnius partis ex altera. Ad veritatem autem conditionalis negatiuæ satis est non esse bonam illationem consequentis ex antecedente. Vt ista est vera: Non si leo animal est, leo est homo. Quæ sic potest explicari, Non est consequens, si leo animal sit, ipsum esse hominem. Vbi nota, in omni conditionali esse antecedens & consequens. Antecedens est illa propositio, ex qua significatur alia inferri. Consequens verò, illa quæ significatur inferri ex altera. In conditionali illa est antecedens, quæ statim post coniunctionem ponitur, siue præcedat, siue sequatur. Vt cùm dico, Si homo est, animal est, & iterum, Animal est, si homo est, vtrobique homo est, dicitur antecedens, altera consequens. Sub conditionali autem propositione, solent comprehendi rationalis & causalis. Rationalis est, cuius partes coniunguntur per coniunctionem rationalem. Vt ista, homo est, ergo animal est. Pater est, igitur filius est. Causalis dicitur, in qua partes per coniunctionem causalem coniunguntur. Vt, Quia sol lucet, dies est. Ad veritatem autem rationalis, amplius aliquid requiritur, quàm ad veritatem conditionalis. Nam præter bonam illationem antecedentis ex consequente, requirit insuper vtriusque partis veritatem. Vt ista est vera, Homo est, igitur animal est, quia bona est illatio, & vtraque pars est vera. Ista autem falsa est, Lignum est homo, igitur lignum est animal: quoniam licet bona sit illatio, partes tamen falsæ sunt.

Conditionalis negatiua.

Antecedens.

Consequens.

Quæ rationalis, & quæ causalis.

Ad Rationalis veritatem.

Amplius verò ad veritatem causalis, dum propriissimè accipitur coniunctio, requiritur vltra bonam illationem & vtriusque partis veritatem, quòd veritas antecedentis sit causa veritatis consequentis. Vnde ista est falsa, Quia homo risibilis est, ideò & disciplinæ capax est. Est tamen illatio bona alterius ex altera, & ambæ partes veræ sunt, sed quia antecedens non ponit causam veritatis consequentis, ideò tota causalis veritate caret. Ista autem est vera, Quia homo est rationalis, est & capax disciplinæ siue beatitudinis. Hìc enim antecedens explicat causam veritatis ipsius consequentis.

Ad Causalis veritatem.

Ad veritatem autem propositionis copulatiuę affirmatiuæ

Ad Copulatiuæ affirmat. Veritatem.

requiritur vtranque partem esse veram: falsa autem erit, si altera partium fuerit falsa. Vt hæc est vera, Deus est bonus, & homo est malus. Similiter & ista, Quidam homo est probus, & quidam homo non est probus, quoniam partes earum ambæ sunt verę. Ista autem est falsa, Homo est animal, & Deus non est, quoniam altera pars est falsa. Item & ista, Homo non est animal, & Deus non est bonus, vbi vtraque pars est falsa. Vbi & hoc specialiter notandum est, posse dari copulatiuam impossibilem, cuius ambæ partes sunt possibiles. Vt omnis copulatiua composita ex propositionibus contrariis aut contradictoriis contingentibus, cuiusmodi est ista: Omnis homo sedet, & nullus homo sedet, vel aliquis homo non sedet. Ambæ partes sunt possibiles, tota tamen est impossibilis. Oportet autem ad possibilitatem totius copulatiuæ, non solum possibiles esse ambas, sed etiam compossibiles, ita vt possint ambæ simul esse veræ. Ad veritatem autem copulatiuæ negatiuæ, sufficit alteram partem non esse veram. Vt hæc est vera, Non homo est animal, & Deus est mendax. Quæ sic explicatur, Non est verum simul & hominem esse animal, & Deum esse mendacem. Sub copulatiua autem propositione, solent constitui propositiones temporales & locales, item & illæ quæ aduerbium habent similitudinis: quæ omnes in propositiones copulatiuas videntur resolui. Vt ista est temporalis: Quando postulat homo, Deus exaudit. Ista est localis, Vbi duo sunt congregati in nomine Domini, illic ipse est in eorum medio. Prior sic resoluitur in copulatiuam. Aliquando homo petit, & tunc Deus exaudit. Posterior sic, Alicubi duo sunt congregati in nomine Domini, & illic ipse adest in eorum medio. Ista autem aduerbium habet similitudinis: Sicut erga proximum se gerit homo, ita erga eum se geret Deus, sicque resoluitur: Homo aliquo modo se habet erga proximum suum, atque hoc modo se habebit Deus erga illum. De disiunctiua autem propositione variè videntur loqui recentiores & antiqui. Ad veritatem disiunctiuæ putant recentiores sufficere, si altera sit vera, nec obesse si ambæ sint veræ. Vnde istam dicunt veram disiunctiuam: Homo est animal, vel arbor est substantia. Secundum veteres autem, videntur disiunctiuæ veræ partes, altera veritatem continere, altera verò falsitatem: ita vt si pars altera sit vera, sit altera falsa, & econtrario. Vt ista est propriè disiunctiua vera. Aut dies est, aut nox est. Petrus est homo, vel

Ad Copulatiuæ Negatiuæ Veritatem.

Petrus

Petrus non est homo, est homo vel est brutum. Cui sententiæ satis consonat appellatio nominis, quo coniunctionem disiunctiuam dicimus ab officio scilicet disiungi partes secundum veritatem & falsitatem. Vnde iuxta hanc sententiam, ad veritatem disiunctiuæ requiritur alteram partem tantum esse veram, alteram autem falsam. Ad falsitatem autem requiritur vtranque partem falsam esse, aut vtranque partem veram. Atque hanc sententiam facilè videbit ex veterum animo esse, qui formulas argumentationum ab eis traditas, secundum huiusmodi hypotheticas propositiones, diligenter considerauerit de quibus & posterius in libro sequenti tractabitur.

De propositionibus quæ modales vocantur.

CAP. XXI.

*** Totũ hunc de modalibus tractatum sine graui dãno lector festinus transilire poterit, ad finem vsque libri.

INVENIVNTVR autem & aliæ quædam enuntiationes simplices, ratione certorum quorundam modorum peculiarem difficultatem habentes, quantũm ad oppositiones & æquipollentias, quæ secundum regulas enuntiationũ simplicium suprapositas, non possunt examinari. Propter quod, earum determinatio in hunc vsque locum, in extremã scilicet libri huius partem, consultò est reseruata. Sunt autem modi isti peculiaris difficultatis authores, quatuor, nempe possibile, contingens, impossibile & necesse. A' quibus modales dicuntur enuntiationes, quæ modorum illorum aliquem in se habent. Assignantur autem interdum aduerbialiter hoc modo: possibiliter, contingenter, impossibiliter, necessariò. Aliquando nominaliter, hoc pacto: possibile, contingens, impossibile, necessarium, vel necesse. Ac rursum, interdum separatim ex altera parte constituuntur, non intra partes dicti. Vt cum dico, Hominem esse iustum, est possibile vel contingens. Interdum verò locantur, intra partes ipsius dicti. Vt cùm dico, Hominem possibile est esse iustum, Hominem impossibile est volare, Hominem necesse est spirare. Dictũ hic appellatur, aggregatũ ex accusatiuo & verbo infinitiui modi. In his autem ponunt recentiores talem differentiam, vt eas quæ modum habẽt aduerbialem vel nominalem intra partes dicti constitutum, vocent modales diuisas: illas autem quæ partes dicti habent coniunctas, & modum separatim positum, appellent modales compositas. Exempli gratia: Propositiones istas appellant modales cõpositas, Hominem esse iustum est possibile, est contingens, est impossibile, est neces-

Diuisa.

Composita.

sarium. Neque refert si modi præponantur, hoc modo, Possibile est hominem esse iustum. Atque in his modos ita solent explicare, vt possibile idem sit quod propositio possibilis. Impossibile idem quod propositio impossibilis. Necesse idem quod propositio necessaria. Vnde huius propositionis, hominem esse iustum est possibile, sensum hunc assignant. Hæc enuntiatio est possibilis, homo est iustus. Diuisæ autem modales hæ erunt, Hominem possibile est esse iustum. Hominem impossibile est volare. Similis ferè distinctio videtur ponenda & inter eas quæ de modo sunt aduerbiali. Vt si inter subiectum & prædicatum ille diuidat, faciet diuisam: si verò ab altera parte se teneat, subiectum verò & prædicatum simul coniungantur, compositam. Vt hæ sunt modales diuisæ: Homo possibiliter est iustus. Homo impossibiliter est brutum. Homo necessariò est animal. Istæ verò compositæ, Possibiliter homo est iustus: Impossibiliter homo est brutum, Necessariò homo est animal. Neque verò modicam esse arbitrantur hanc differentiam modalium compositarum à diuisis, quoniam interdum compositam contingit esse falsam, diuisa ex eisdem terminis composita, existente vera, & econtrario. Has enim diuisas, Album possibile est esse nigrum. Iustum possibile est esse iniustum, apparet esse veras. Significatur enim, id quod modò est album, posse aliquando habere in se nigredinem, & nigrum denominari: item, eum qui modò virtutem habet, posse illam perdere, ac vitiosum fieri. Atque ita dubio procul res se habet. Si autem coniunxeris partes, & modum separatim constituas, hoc modo, Possibile est album esse nigrum, possibile est iustum esse iniustum: aut vertendo, Album esse nigrum est possibile. Iustum esse impium est possibile, falsitas videtur his pronuntiatis inesse: quoniam hoc videtur significari, quòd possibile aliquando sit, vt album sit nigrum, aut iustus sit impius, cùm sint hæc impossibilia. Idem videtur dicendum de istis: Possibiliter album est nigrum, & album possibiliter est nigrum. Possibiliter iustus est impius, & iustus possibiliter est impius. Priores enim falsæ videntur, posteriores veræ. Hanc autem distinctionem modalis compositæ & diuisæ, alii veterum dictis pertinacius inhærentes minimè approbant, prorsúsque reiiciunt, eo quòd non videatur Aristoteles in hoc tractatu nisi de compositis modalibus facere sermonem. Verùm hi posteriorum diligentiam nimium mordaciter redarguentes, non

omnino

omnino iustè id faciunt. Tametsi enim verum sit, Aristotelem hoc loco non nisi de modalium compositarum oppositionibus & æquipollentiis specialem facere tractatum, eo quòd modales diuisæ per omnia subiaceant legibus supra aliis simplicibus enuntiationibus assignatis, non tamen ex hoc consequens est fictitiam & vanam omnino esse distinctionem illam inter compositas & diuisas modales. Imò verò quisquis aures diligenter consuluerit, & proprietates sermonum exactius perpenderit, facilè percipiet inter compositas & diuisas nonnihil secundum significationem esse distantiæ, & veram esse alteram sine altera aut falsam deprehendet. Non omnino igitur irridendi videntur, qui sic modales ex modi varia constitutione distinguunt. Sed & hoc fatendum est, in præsenti tractatu de compositis præcipuè fieri sermonem. In his enim peculiaris latet difficultas, non diuisis, quæ per omnia (vt iam dictum est) leges sequuntur simplicium enuntiationum, quas de inesse solent appellare. Quibus proinde supersedentes, de compositis dicamus.

De æquipollentia modalium compositarum.

CAP. XXII.

ET PRIMVM quidem de earum inter se æquipollentia siue consequentia, posterius de oppositione videndum. Est itaque aduertendum, vnamquanque modalem compositam quemcunque tandem habuerit modum, quatuor modis posse efferri. Primo quidem prorsus affirmatiue, ita vt, neque ad verbum dicti neque ad modum ponatur negatio. Vt hominem esse iustum est possibile, est contingens, est impossibile, est necessarium. In omnibus enim his, nulla negatio, neque ad verbum dicti, neque ad modum ponitur. Secundo, constituendo negationē ad verbum, dicti modo tamen nō negato. Vt, hominem non esse iustum est possibile, est contingens, est impossibile, est necessarium. Tertio, constituendo negationem ad modum tantùm, non autem ad verbum dicti, vt, hominem esse iustum non est possibile, non est contingens, non est impossibile, non est necesse. Quarto, constituendo negationem simul ad verbum dicti & modum. Vt hominem non esse iustum non est possibile, atque ita deinceps. Est autem harum propositionum talis habitudo adinuicem, vt omnis propositio de possibili aliquam habeat de contingenti cui omnino æquipolleat, & cum qua conuertatur secundum consequentiam aliquam item de impossibili,

possibili,& aliquam de necessario:ac rursum, quælibet propositio de impossibili,aliquam habeat æquipollentem de possibili, aliquam de contingenti,& aliquam de necessario, atque ita in reliquis. Fit autem hæc æquipollentia propositionum diuersos modos habentium,secundum varias negationes aut affirmationes dicti siue modi. Atque hinc manifestum est,quatuor cõplexiones consurgere quatuor æquipollentium propositionum. Pro quibus debite assignandis solẽt poni quatuor regulæ, secundum quarum vnamquanque vna inuenitur complexio quatuor propositionum æquipollentium.

Quatuor regulæ pro æquipollentia modaliũ.

Prima regula hæc est, Cuicumque dicto affirmato attribuitur possibile,eidem attribuitur contingens,ab eodem remouetur impossibile,& ab eius contradictorio remouetur necesse.

Secunda regula,Cuicumque dicto negato attribuitur possibile,eidem attribuitur contingens, ab eodem remouetur impossibile,& ab eius contradictorio remouetur necesse.

Tertia regula,A quocunq; dicto affirmato remouetur possibile,ab eodem remouetur contingens, eidem attribuitur impossibile,& eius contradictorio attribuitur necesse.

Quarta regula,A quocunque dicto negato remouetur possibile,ab eodem remouetur contingens, eidem attribuitur impossibile,& eius contradictorio attribuitur necesse. Iuxta primam regulam,hæ sunt æquipollentes:Ioannem sedere est possibile,Ioannem sedere est contingens, Ioannem sedere non est impossibile,Ioannem non sedere non est necesse. Iuxta secundam hæ æquipollent, Ioannem non sedere est possibile,Ioannem non sedere est contingens,Ioannem non sedere nõ est impossibile,Ioannem sedere non est necesse.Iuxta tertiã hæ æquipollent,Ioannem sedere non est possibile, Ioannem sedere non est contingens, Ioannem sedere est impossibile, Ioannem non sedere est necesse. Iuxta quartam autem regulam, sic assignabis æquipollentes, Ioannem non sedere non est possibile, Ioannem non sedere non est contigens,Ioannem non sedere est impossibile,Ioannem sedere est necesse.

Ad quas regulas promptius memoria tenendas, effictæ sunt à tractatoribus huius negotij quatuor voces, singulæ quatuor syllabas continentes, quæ per singularum syllabarum vocales literas indicant,quomodo secundum affirmationem vel negationem debeant disponi singulæ propositiones. Hæ sunt,Amabimus,Edentuli,Illiace,Purpurea. Pro quarum vocum intellectu no

ctu nota, per primã syllabam vbique significari propositionem de possibili, quæ sic debet disponi secundum affirmationem vel negationem: quomodo per suam vocalem ipsa indicat. Per secundam, significatur propositio de contingenti. Per tertiam, illa de impossibili. Per quartam illa de necesse. Vocalis autem a, significat omnimodam affirmationem & dicti & modi: e, significat negationem dicti tantùm: i, modi tantùm: v, negationem vtriusque. Exempli gratia, considerando dictionem illam, Amabimus, per hoc quòd in duabus prioribus ponitur a, significatur, duas priores de possibili & de contingẽti debere assignari sine omni negatione, tam dicti quàm modi. Per hoc autem quòd in tertia syllaba ponitur vocalis i, significatur, tertiã quæ est de impossibili assignandam esse cum negatione solius modi. Dum verò in quarta ponitur v, indicatur, illam de necesse residuam debere assumi cum duplici negatione, quemadmodum ad oculum factum vides in suprapositis exemplis primæ regulæ. Similiter considerandum est in aliis tribus vocabulis, Edentuli, Iliace, & Purpurea, adhibita collatione regularũ & exemplorum suprà positorum.

Possunt verò prædictæ quatuor regulæ in duas concludi. *Duæ regulæ pro æquipollẽtia modalium.*

„ Quarum prior hæc est, Si aliqua propositio sit possibilis, eadem est contingens, eadem non est impossibilis, & eius contradictorium non est necessarium. Secunda regula, Si aliqua propositio non est possibilis, eadem non est contingens, eadem est impossibilis, & eius contradictorium est necessarium. Sub prima regula continentur duæ superius assignatæ priores: sub secunda, duæ posteriores.

De conditione quadam ad bonam æquipollentiam obseruanda.

CAP. XXIII.

ET QVIDEM pro assignatione æquipollentium modalium de dicto singulari, cuiusmodi iam positæ sunt, nihil supereſt difficultatis. In iis verò quæ sunt de dicto communi, hoc peculiariter obseruandum est, vt postrema semper sit alterius quantitatis quàm tres priores: vt si tres primæ assignentur de dicto particulariter sumpto, quarta sit de dicto sumpto vniuersaliter: & econtrario, si tres primæ sint de dicto sumpto vniuersaliter, quarta erit de dicto sumpto particulariter. Vt verbi gratia, hæ æquipollent, Aliquod animal esse hominem est possibile. Aliquod animal esse hominem est contingens. Aliquod

quod animal esse hominem non est impossibile. Omne animal non esse hominem non est necesse. Similiter & hæ æquipollent, Omne animal esse hominem est possibile. Omne animal esse hominem est contingens. Omne animal esse hominem non est impossibile. Aliquod animal non esse hominem non est necesse. Quòd autem debeat necessario fieri huiusmodi mutatio quantitatis, manifestè demonstratur, tum ex suprapositis regulis, tum ex vi rationis cogentis. Ex regulis quidem suprapositis id patet. In singulis enim, quarto loco dicebatur, eius contradictorio attribuitur necesse, vel ab eius contradictorio remouetur necesse. In aliis autem tribus prioribus locis dicebatur, eidem attribuitur vel ab eodem remouetur. Manifestum est autem, contradictorias de dicto communi debere esse diuersas secundum quantitatem. Sunt enim vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua, vel vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua.

Ex ratione autem cogente ita id monstratur: quoniam nisi mutetur quantitas, poterit dari propositio de possibili vera, propositione de necessario in eadem linea siue in eodem angulo existente falsa. Quod licet non possit in quibuslibet propositionibus passim monstrari, in duobus tamen casibus clarè id monstratur. Primùm quidem in istis: Aliquam personam in diuinis esse patrem est possibile, Aliquam personam in diuinis esse patrem est contingens. Aliquam personam in diuinis esse patrem non est impossibile, Aliquam personam in diuinis non esse patrem non est necesse. Hic manifestum est tres priores esse veras. Quarta autem falsitatem habet. Significat enim, hanc propositionem non esse necessariam, aliqua persona in diuinis non est pater, quod falsum est. Omnino enim necessarium est, aliquam personam in diuinis non esse patrem. Necesse est enim, semper esse Filium, item & Spiritum sanctum, quorum neuter est pater, sed sunt distinctæ personæ. Si autem mutato secundum quantitatem dicto, sic quartam assignaueris, Omnem personam in diuinis non esse Patrem non est necesse, rectam habebis æquipollentiam. Est enim hæc vera, sicut reliquæ. Econtrario, si omnes assignatæ fierent vniuersales, hoc modo: Omnem personam in diuinis esse Patrem est possibile, est contingens, non est impossibile: & omnem personam in diuinis non esse patrem non est necesse: tres primæ sunt falsæ, sola quarta vera est. Significat enim, istam non esse propositionem necessariam:

Omnis

Omnis persona in diuinis non est pater, quod proculdubio est verum. Adeò enim illa non est necessaria, vt etiam non sit possibilis. Si autem quarta fuerit particularis, erit falsa sicut reliquæ. Si enim dixeris, Aliquam personam in diuinis non esse patrem non est necesse, falsitatem eloqueris: cùm omnino sit necessarium, aliquam personam non esse patrem, videlicet Filium vel Spiritum sanctum.

Præterea extra terminos huiusmodi in Diuinis declarari idē poterit in his propositionibus,

Aliquod animal esse hominem est possibile.

Aliquod animal esse hominem est contingens.

Aliquod animal esse hominem non est impossibile.

Aliquod animal non esse hominem non est necesse: supposita opinione Aristotelis, falsa quidem illa, sed in naturali ratione probabili, quòd ab æterno fuisset mundus sine principio & fine, quodque ab æterno fuissent ac in perpetuum forent singulæ rerum species, & quòd necessario fuissent ac forent omnes species vniuersi. Secundum hanc suppositionem tres primæ veritatem habent, quarta sola falsitatem. Significat enim hanc propositionem, Aliquod animal non est homo, non esse necessariam, cùm verè sit illa necessaria, secundum hanc suppositionem. Si enim necesse est equum esse & leonem, quæ non possunt esse homines, & necessario sunt animalia, necesse quoque est aliquod animal nō esse hominem. Econtrario, si omnes assignaueris vniuersales, tres primæ erunt falsæ, quarta sola vera. Hæ enim falsæ sunt, iuxta prædictam suppositionem: Omne animal esse hominem est possibile, est contingens, non est impossibile. Ista est vera, Omne animal non esse hominem non est necesse. Sensus enim istius est: Hæc non est necessaria, Omne animal nō est homo. Atque id verum est. Quomodo enim esset necessaria, quæ neque possibilis est? Si autem quartam assignaueris vniuersalem cum prioribus particularibus, omnes simul habebis veras: si quartam particularem cum primis vniuersalibus, omnes simul habebis falsas, sicque verè æquipollentes habebis. Hoc autem vniuersaliter notandum est in omnibus istis quatuor angulis, illam quæ simplicissima est, id est, illam quæ non habet modum negatum, in suo angulo siue in sua linea considerari vt præcipuam, vtpote quæ sit intellectu facilior: cæteræ verò secundum æquipollentiam ad hanc considerantur. Vt in linea, Amabimus, propositio de possibili est præcipua:

cipua: item in linea secunda, Edentuli. In tertia autem, Illiace, illa de impossibili præcipua est. In quarta verò, illa de necesse. Possibile autem & contingens, capiuntur pro eodem. Ideò de vtrisque idem est iudicium. Capitur enim hic contingens generaliter, pro omni eo quod sic esse potest, etiamsi non possit taliter se habere. Aliàs verò accipitur specialiter, pro eo quod potest esse & potest non esse: quomodo non conuertitur cum possibili. Nam & necessaria possibilia sunt, non autem contingentia, hoc sanè modo.

De oppositionibus modalium.
CAP. XXIIII.

DE MODALIBVS diuisis iã suprà diximus, eas per omnia sequi legem propositionum simplicium, quas vocant de inesse. Sunt enim hæ contrariæ: Omnis homo necessariò spirat. Omnis homo impossibiliter spirat. Hæ subcontrariæ: Quidam homo possibiliter spirat. Quidam homo possibiliter non spirat. Hæ contradictoriæ: Omnis homo necessariò spirat. Quidam homo possibiliter non spirat. Item, Omnis homo impossibiliter spirat. Quidam homo possibiliter spirat. Hæ subalternæ, Omnis homo necessariò spirat, Quidam homo possibiliter spirat, Omnis homo impossibiliter spirat. Quidam homo possibiliter non spirat. Nec est speciale quid obseruandum in huiusmodi oppositionibus: nisi quòd in contrariis caueatur, ne modus ponatur vtrobique particularis: in subcontrariis, ne vtrobique ponatur modus vniuersalis: in contradictoriis, ne idẽ modus, sit vel vniuersalis vel particularis in vtraque. In subalternis, ne ponatur modus vniuersalis in particulari, qui non fuerit positus in vniuersali.

Hæ enim non sunt cõtrariæ, Omnis homo possibiliter sedet. Omnis homo possibiliter non sedet: quoniam sunt ambæ simul veræ. Hæ non sunt subcontrariæ, Aliquis homo necessariò sedet, Aliquis homo necessariò non sedet: Ambæ enim simul sunt falsæ. Hæ non sunt contradictoriæ, Omnis homo necessariò sedet, Aliquis homo necessariò non sedet, quoniam sunt ambæ simul falsæ. Neque item hæ contradicunt, Omnis homo possibiliter sedet. Aliquis homo possibiliter non sedet: quoniam sunt ambæ simul veræ. Nec hæ sunt subalternæ, Omnis homo possibiliter spirat, Aliquis homo necessariò spirat. Est enim vniuersalis vera, particulari existente falsa. In primis duabus, est idem modus

modus particularis, cùm deberet vt minimum in altera esse vniuersalis. In secundis est idem modus vniuersalis, cùm deberet vt minimum in altera esse particularis. In tertiis, est idem modus vniuersalis vel idem particularis, cùm deberet in altera esse vniuersalis, & in altera particularis. In quartis est modus vniuersalis in particulari, qui non est in vniuersali. Et hæc quidem de modalium diuisarum oppositionibus obiter dicta sufficiant.

Quantum verò ad compositas, quæ hîc ex proposito speciali opera tractantur, primum est cognoscendum, quæ lineæ quibus, quo modo opponantur. Sunt enim lineæ contrariæ, illa quæ significatur per vocabulum effictum Purpurea, cum illa quæ per Iliace. Subcontrariæ verò sunt, Amabimus & Edentuli. Contradictoriæ, Purpurea & Edentuli: item, Iliace & Amabimus. Subalternæ autem, Purpurea & Amabimus: item Iliace & Edentuli. Vnde propositiones in Purpurea & Iliace adinuicem contrariantur, in Amabimus & Edentuli subcontrariantur. In Purpurea & Edentuli, in Iliace item & Amabimus contradicunt. In Purpurea & Amabimus, item in Iliace & Edentuli subalternantur adinuicem. Et quidem in iis quæ sunt de dicto singulari, specialis nulla occurrit difficultas, nisi quòd in suis lineis eo modo quo suprà dictum est constituantur. Omnes enim quæ in lineis sic vel sic oppositis inueniuntur, sic aut sic erunt oppositæ. Verùm in iis quæ sunt de dicto communi, est difficultas specialis. Non enim indifferenter quælibet in lineis contrariis positæ contrariantur, neque in subcontrariis lineis quælibet indifferenter opponuntur subcontrariæ, neque in contradictoriis contradictoriæ: sed in singulis magna cautio est adhibenda, vt debita fiat oppositarum assignatio.

Pro cuius clariori intellectu notandum est in singulis oppositionibus aliquem modum præcipuum vel modos plures præcipuos inueniri, secundùm quos consideretur primaria oppositio talis vel talis: & quæ tales modos præcipuos continent propositiones, vt primario sic vel sic oppositæ veniunt considerandæ. Cæteræ verò in eisdem lineis, secundùm comparationem *** ad has præcipuas considerari debent. Videlicet in lineis contrariis. Purpurea & Iliace, præcipuus modus est necesse: ac proinde propositiones modum illum continentes, vt præcipuas inter contrarias oportet considerare. In lineis subcontrariis Amabimus & Edentuli propositiones de possibili ambæ principaliter ve-

niunt spectandæ. In lineis contradictoriis, altera de necesse & altera de possibili. In subalternis item, de necesse altera & altera de possibili. Vt ergo sciatur quarumlibet propositionum in Purpurea & Iliace recta contrarietas, præcipuè oportet considerare illas de modo necesse, quæ si inuentæ fuerint verè contrariæ, & cæteræ æquipollentes contrariæ erunt: sin aliter, nec illæ erũt contrariæ. Ita dicendum de habentibus modum possibile, quantum ad subcontrarietatem, & ita in cæteris.

Ad hoc autem vt propositiones de modo necesse in lineis contrariis positæ, verè contrarientur, cautio est adhibenda, vt dictum non ponatur in vtraque particulariter, sed vt minimum in altera vniuersaliter: quod si in vtraque, tanto erit fortior contrarietas. Si verò in neutra ponatur vniuersaliter, non solùm non erunt contrariæ, verumetiam nullam participabunt oppositionis legem. Vt ista in Purpurea, Omnem hominem spirare est necesse, contrariatur huic in Iliace, Omnem hominem non spirare est necesse. Imò & istæ contrariantur, Omnem hominem spirare est necesse. Aliquem hominem non spirare est necesse. Legem enim contrariarum istæ participant, quoniam simul falsæ inueniri possunt, simul veræ non possunt. Sed non ita propriè, nec ita fortiter contrariantur, vt priores ambæ de dicto vniuersali. Istæ verò non opponuntur contrariè, Aliquem hominem spirare est necesse. Aliquem hominem non spirare est necesse: cùm dentur eiusmodi simul veræ, vt (iuxta Aristotelis supradictam opinionem.) Aliquod animal esse hominem est necesse, Aliquod animal non esse hominem est necesse. Item illæ, Aliquam personam in diuinis esse patrem est necesse. Aliquam personam in diuinis non esse patrem est necesse.

In cæteris autem propositionibus dispositis in Purpurea & Iliace, nempe in iis de possibili, contingenti & impossibili, non est hæc cautio obseruanda, imò non licet in eis dictum vtrobique sumi vniuersaliter, sed vt minimum in altera particulariter poni debet: & melius fuerit, si particulariter in vtraque. Cuius ratio ex dictis manifesta est. Si enim tres primæ, de possibili, contingenti & impossibili, fuerunt de dicto vtrobique vniuersali, quartæ ergo de necesse erunt ambæ de dicto particulari: eo quòd in quarta oporteat mutari quantitatem dicti, vt in præcedentibus declaratum est. Non ergo erunt illæ de necesse contrariæ, nec proinde reliquæ. Et si tres primæ tam in Purpurea quàm in Iliace fuerunt de dicto particulari, tanto erit oppositio

contra-

contraria fortior: quoniam sic ambæ de necesse erunt de dicto vniuersali, in quibus diximus esse maximam contrarietatem. Ad hoc ergo vt propositiones de dicto communi Purpurea & Iliace verè contrarientur, primæ tres assignentur de dicto particulari, vltimæ duæ de dicto vniuersali, & erit optima contrarietas. Si verò ordine conuerso in vtraque linearum assignatæ fuerint tres primæ vniuersales, & duæ vltimæ particulares, non habebitur contrarietas, imò oppositio nulla erit.

Ad hoc autem vt veræ sint subcontrariæ in Amabimus & Edentuli propositiones de possibili (quas diximus in oppositione ista esse præcipuè spectandas) cautio est adhibenda, ne dictum teneatur in vtraque vniuersaliter, sed vt minimum in altera particulariter, & si in vtraque, melior erit subcontrarietas. Si verò in vtraque dictum ponatur vniuersaliter, non solùm non erunt subcontrariæ, sed nullam omnino oppositionis legem participabunt. Vt hæ sunt subcontrariæ, Aliquem hominem sedere est possibile. Aliquem hominem non sedere est possibile. Item & istæ, Aliquem hominem sedere est possibile, Omnem hominem non sedere est possibile. Nam & hæ subcontrariarum legem participant, quoniam simul veræ esse possunt & sunt, simul autem falsæ esse non possunt. Sed priores videntur melius opponi oppositione subcontraria, eò quòd in vtraque dictum particulariter teneatur. Hæ verò non sunt subcontrariæ, Omnem hominem sedere est possibile. Omnem hominem non sedere est possibile: quoniam similes duæ possunt inuenìri simul falsæ, vt hæ, Omne animal esse hominem est possibile. Omne animal non esse hominem est possibile, iuxta supradictam opinionem Aristotelis. Item istæ, Omnem personam diuinam esse patrem est possibile, Omnem personam diuinam non esse patrem est possibile. Non ergo legem participant subcontrariarum. Sed neque contrariarum, quoniam similes duæ dantur simul veræ, nempe istæ, Omnem hominem sedere est possibile, Omnem hominem non sedere est possibile. Multo minus autem participabunt legem contradictoriarum, quæ nec simul veræ nec simul falsæ esse possunt. De subalternis verò nulla est apparentia. Nullam ergo legem participant. Ad hoc autem vt propositiones de necesse & possibili verè contradicant in Purpurea & Edentuli, siue in Iliace & Amabimus, necesse est dictum nec in vtraque vniuersaliter, nec in vtraque particulariter

poni, sed in altera vniuersaliter, & in altera particulariter, vt, Omne animal esse hominem est necesse, in Purpurea, contradicit huic in Edentuli, Quoddam animal non esse hominem est possibile: & ista in Iliace, Omne animal non esse hominem est necesse, contrariatur huic in Amabimus, Quoddam animal esse hominem est possibile. Si verò dictum teneatur in vtraque vniuersaliter, vt in his, Omne animal non esse hominem est necesse. Omne animal esse hominem est possibile, non erunt contradictoriæ, cùm simul dentur falsæ. Et hæ in Purpurea & Edentuli, ambæ de dicto particulari, Aliquod animal esse hominem est necesse. Aliquod animal non esse hominem est possibile, similiter non contradicunt, tametsi in lineis contradictoriis, quoniam dantur simul veræ.

Non dicimus tamen in hac cautione sicut in prioribus diximus, eas quæ contra cautionem assignantur, nullam omnino legem participare. Nam illæ quæ dictum habent in vtraque vniuersaliter positum, legem contrariarum participant: eò quòd simul falsæ possint dari, non simul veræ. Quæ autem ambæ sunt de dicto particulari, legem participant subcontrariarum: quoniam simul veræ esse possunt, non autem simul falsæ, id quod ex suprapositis exemplis facile patebit consideranti.

Postremo, ad hoc vt propositiones de necesse & possibili assignatæ in Purpurea & Amabimus, itē in Iliace & Edentuli veræ sint subalternæ, cauendum est ne dictum teneatur in illa de possibili vniuersaliter, cùm in illa de necesse positum fuerit particulariter. Hæ enim non sunt subalternæ, Aliquod animal esse hominem est necesse. Omne animal esse hominem est possibile. Potest enim prior dari vera, quæ est de modo vniuersali, posteriori existente falsa, quæ est de modo particulari: sed istæ subalternantur, Omne animal esse hominem est necesse. Omne animal esse hominem est possibile: vel, aliquod animal esse hominem est possibile. Vt ergo in omnibus angulis singulæ propositiones secundùm angulorum oppositionem verè opponantur, & opponantur commodissimè: assignandæ sunt in omnibus quatuor angulis vbique tres primæ de dicto particulari, & quarta vbique de dicto vniuersali. Ita enim habebitur perfecta contrarietas, subcontrarietas, contradictio, & subalternatio, nec erit vlla querela. Propter quod, pro clariori omnium intelligentia, coram oculis subiectam figuram proponimus.

CON

CONTRARIAE.

Purpurea	*Iliace*
Aliquod animal non esse hominem non est possibile.	Aliquod animal esse hominem non est possibile.
Aliquod animal non esse hominem non est contingens.	Aliquod animal esse hominem non est contingens.
Aliquod animal non esse hominem non est impossibile.	Aliquod animal esse hominem est impossibile.
Omne animal esse hominem est necesse.	Omne animal non esse hominem est necesse.



Amabimus	*Edentuli*
Aliquod animal esse hominem est possibile.	Aliquod animal non esse hominem est possibile.
Aliquod animal esse hominem est contingens.	Aliquod animal non esse hominem est contingens.
Aliquod animal esse hominem non est impossibile.	Aliquod animal non esse hominem non est impossibile.
Omne animal non esse hominem non est necesse.	Omne animal esse hominem non est necesse.

SVBCONTRARIAE.

De *conuersionibus modalium.* CAP. XXV.

SVPEREST, ad plenam modalium determinationem pau-

cis earum conuersionem explicare. Et primùm quidem, quantum ad modales diuisas, per omnia fit conuersio, vt supra dictũ est, de simplicium propositionum conuersionibus. Vniuersalis videlicet affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam per accidens. Vt ista, Omnis homo possibiliter est animal. conuertitur in hanc, Aliquod animal possibiliter est homo. Vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter. Vt ista, Omnis homo impossibiliter vel non possibiliter est leo. in hanc, Omnis leo impossibiliter vel non possibiliter est homo. Conuersione quoque per accidẽs, conuertitur eadem in particularem negatiuam. Vt ista, Omnis homo impossibiliter est leo. conuertitur per accidens in hanc, Aliquis leo impossibiliter est homo. Particularis affirmatiua conuertitur simpliciter. Vt ista, Aliquis homo possibiliter est animal, in hanc, Aliquod animal possibiliter est homo. Hoc tantùm cauendum est, vt modus vniuersalis affirmatiuus in conuersa positus, in conuertente mutetur in particularem, id est, vt pro necessario in conuersa affirmatiua, ponatur possibiliter in cõuertente, eo modo quò supra dictum est, signum vniuersale affirmatiuum in conuersa positum, non debere poni in conuertente, sed pro eo accipiendum esse signum particulare. Quòd autem talis debeat mutatio fieri, manifestè probatur. Si enim non fiat, dabitur conuersa vera, conuertente existente falsa. Ista enim est vera, Creans necessariò est Deus. Significatur enim ipsum qui est creator & creans esse necessariò Deum, quod proculdubio ita est. Ista tamen falsa est, Deus necessariò est creans, quoniam potest non creare. Debet ergo illi priori pro conuertente hæc assignari, Deus possibiliter est creans. De modo autem impossibili, per omnia sicut de signo vniuersali negatiuo dicendum est. Vnde sicut signum vniuersale negatiuum suprà diximus in conuersione non debere mutari in signum particulare, sed facit conuersionem simplicem in propositione vniuersali, in particulari nullã nisi per contrapositionem, ita impossibiliter non opus est mutare in conuersione propositionis vniuersalis: in particulari autem nullam facit conuersionem nisi per contrapositionem. Non enim sequitur, Aliquod animal impossibiliter est homo, igitur aliquis homo impossibiliter est animal. Sed per cõtrapositionem sequitur: Aliquod animal impossibiliter est homo, ergo aliquid quod est non homo, impossibiliter est non animal.

Quantum verò ad modales compositas, non accipimus conuersio

uersionem nisi ex parte dicti. Et quædam quidem conuerti possunt, quędam non possunt. Illæ quæ habent modum necesse non negatum, conuerti possunt secundum exigentiam dicti: vt ista, Nullum hominem esse leonem est necesse, conuertitur in hanc, Nullum leonem esse hominem est necesse. Item ista, Aliquem hominem esse animal est necesse, in hanc, Aliquod animal esse hominem est necesse, idque conuersione simplici. Ista, Omnem hominem esse animal est necesse, in hanc conuertitur, Aliquod animal esse hominem est necesse, conuersione per accidens. Et vniuersaliter, vbi modus est necesse non negatum, sic dicitur propositio conuerti vel non conuerti, quomodo eius dictum conuertitur aut non conuertitur. Vnde ista, Aliquod animal non esse hominem est necesse. conuerti non potest nisi per contrapositionem in hanc, Aliquid quod est non homo, non esse non animal est necesse. Similiter dicendum est de modo possibili non negato, quòd secundum rationem dicti conuertatur, aut non conuertatur propositio in qua ille positus fuerit.

Propositiones autem de impossibili affirmato aut de possibili negato, non possunt vniuersaliter conuerti secundum conuersionem dicti. Exempli gratia, Hæc propositio, Omne animal esse hominem est impossibile, non potest conuerti in hanc per accidens, Aliquem hominem esse animal est impossibile, cùm prima sit vera (iuxta suppositionem frequenter factam) & posterior falsa. Neque ista, Nullum hominem esse animal est impossibile. recte conuertitur in hanc, Aliquod animal non esse hominem est impossibile. cùm prior sit vera & posterior falsa. Veruntamen in conuersione simplici poterit sumi conuersio ex parte dicti. Vt ista, Nullum hominem esse animal est impossibile. rectè conuertitur in hanc: Nullum animal esse hominem est impossibile. Item ista, Aliquem hominem esse leonem est impossibile. rectè in hanc conuertitur, Aliquem leonem esse hominem est impossibile. Similiter valet in conuersione per contrapositionem. Omnem hominem esse leonem est impossibile. Igitur omnem non leonem esse non hominem est impossibile. Aliquem hominem non esse animal est impossibile. Ergo aliquod non animal non esse non hominem est impossibile. In sola ergo conuersione per accidens impossibile affirmatum, & possibile negatum (hæc enim æquipollent) non patiuntur ex parte dicti conuersionem. Ordine tamen contrario propositio de impossibili quæ dictum habet

particulare, per accidens conuerti potest in eam quæ dictum habet vniuersale. Vt ista valebit conuersio, Aliquod animal esse lapidem est impossibile, ergo, Omnem lapidem esse animal est impossibile. Item ista, Aliquem hominem non esse animal est impossibile, ergo, Nullum animal esse hominem est impossibile. Verùm hæc, cuiquam fortasse futilia & superuacanea videbuntur. Qui tamen penitus ea inspexerit ac diligenter ea meditatus fuerit, videbit admirabilem profectò horum modorum virtutem, meritoque hanc talem vel cohærentiam vel differentiam modorum admirabitur. Neque sophistica prorsus & inanis horum modorum consideratio existimanda est, neque omnino superuacanea, quæ ad cognoscendum occultas modorum horum vires adhibetur inuestigatio. Nunquam enim veteres illi Philosophi ingenio acerrimo præditi, tantam rebus istis peruestigandis & pertractandis impendissent operam: si vel nihil, vel minimum vtilitatis existimassent in eis contineri.

DEO SEMPER ET VBIQVE GLORIA.

DIA

DIALECTICAE CONSIDERATIONIS LIB. IIII. *qui de Syllogismo inscribitur.*

PRAEFATIO.

PRAECIPVVS Dialecticæ finis est, de vnaquaque re proposita posse disputando veritatem inquirere, falsitatem refutare. Hactenus autem non nisi de simplicibus vocibus, aut enunciationibus, item simplicibus tractatus vllus est habitus, quibus illud quod est præcipuum Dialecticæ officium, præstari nequit. Non enim quæstionis dubiæ veritas poterit inueniri, donec tantum considerationi simplicium vocum aut simplicium enuntiationum intendit animus. Verùm vbi enuntiationem cœperit enunciationi secundum debitum ordinem & modum componere, aliámque ex alia connectendo colligere, hoc pacto ex dubiis rebus, quid verum, quid falsum, poterit diiudicare. Nunc itaque post simplicium vocum & enuntiationũ determinationem figuraliter absolutam, restat argumentationum formas deliniare, modósque describere, quibus commodè alterum inferatur ex altero. Sunt autem argumentationis formæ siue species quatuor numero, syllogismus, inductio, enthymema, & exemplum: de quibus hoc libro erit tractandum, præcipuè tamen & omnium maximè de syllogismo, quæ est omnium specierum argumentationis præcipua & præstantissima: ad quam & cæteræ quodammodo, vt solent imperfectiora ad perfecta reducuntur. Et de his igitur suo loco posterius dicendum, prius tamen tota syllogismorum vis, & omnes secundum formam syllogisticam concludendi rationes explicandæ.

De syllogismorum principiis materialibus.

CAP. I.

PRINCIPIO autem de syllogismorum materia dicendum, ac deinde quid syllogismus, & quotuplex, & quot figuris ac modis fiat, constituendum. Est autem materia syllogismorum, simplices enuntiationes & termini: illa quidem propin-

quior, hæc autem remotior. Ex simplicibus namque enunciationibus, tanquam ex partibus suis immediatis, componitur syllogismus: ex terminis autem, tanquam ex partibus remotioribus, cùm ipsæ enuntiationes simplices ex terminis tanquam partibus præcipuis & materia proxima componantur. Terminum ita definit Aristoteles:

Definitio termini.

Terminus est, in quem resoluitur propositio vt prædicatum, vel de quo prædicatur.

Hoc est, terminus est alterum extremum propositionis, vtpote vel subiectum vel prædicatum, ex quo tanquam ex parte propositio ipsa componitur. Vt cùm dico, Homo est animal. duo huius propositionis termini sunt, homo & animal: atque in ipsos propositio illa resoluitur. Dicitur enim res vnaquæque resolui in suas partes integrales, ex quibus componitur, vt domus resoluitur in tectum, parietes, & fundamentum: homo in omnia sua membra resoluitur, aut in quatuor elementa ex quibus componitur. Dicuntur autem termini in propositionibus secundum similitudinem & comparationem ad terminos locorum, vt agrorum aut ditionum. Sicut enim in his, terminorum alter est principium, alter finis siue clausula, & medium est spatium, quod vtrunque connectit extremum: sic & in propositione consideratur alterum extremum tãquam oppositum alteri, nimirum vt subiectum prædicato, & econtrario: media autem est verbalis copula, quæ adinuicem connectit extrema. Vnde liquet, verbalem copulam non dicendam esse terminum propositionis, sed potius ipsius medium, amborumque extremorum copulam. De propositione autem materia propinqua syllogismis, quoniam plenè tractatum est libro præcedenti, simul & de omnibus eius speciebus atque cõditionibus in præsentiarum latius tractare omittimus.

De definitione syllogismi.

CAP. II.

Definitio syllogismi.

SYllogismum ita definit Aristoteles:

Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt.

Quæ definitio sic est exponenda, Syllogismus est oratio hypothetica siue composita, in qua pro antecedente quibusdam positis

positis, id est, præmissis duabus in certo modo & certa figura dispositis, secundum necessariam illationem aliud quiddam, nempe ipsa conclusio consequitur, eo quòd hæc sunt, id est, ex vi præmissarum illarum, eo quòd illæ sic sint certo modo & figura dispositæ. Exempli gratia, Hic est syllogismus, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. In hac enim totali composita oratione, duæ propositiones præmittuntur in certo modo & figura adinuicem dispositæ, videlicet, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal: ex quibus ita dispositis, virtute talis dispositionis, sequitur conclusio, Omnis homo est substantia, estque ipsa conclusio aliud quiddam à præmissis, quoniam neutri præmissarum est eadem, sed cum vtraque partim conuenit, partim differt. Conuenit secundum vnum extremum, differt secundum alterum. Vtriusque enim præmissæ alterum tantùm extremum habet conclusio.

Et quidem signanter dictum est, aliud quiddam ex necessitate accidit. Alioqui hic posset videri syllogismus, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omne animal est substantia. vel, igitur omnis homo est animal. Hîc autē conclusio non est aliud quiddam ab vtraque præmissarum, sed cum altera eadem. Similiter neque iste syllogismi meretur appellationem, Omnis homo est homo, & omnis homo est homo, ergo omnis homo est homo. Est enim hic conclusio eadem cū vtraq; præmissarum. Propter quod syllogismus planè fatuus & ridiculus ille solet nominari.

Ex necessitate autem accidere est, necessariò consequi, siue secundum necessariam consequentiam inferri, ita vt non possint esse veræ propositiones illæ sic præmissæ in certa dispositione sua, nisi & conclusio veritatem habeat simul. Huius defectu iste non est syllogismus, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo saluabitur. Non enim conclusio ex præmissis per necessariam consequentiam infertur. Hac particula excluduntur à definitione syllogismi, omnes illi qui in modis fiunt inutilibus, de quibus dicetur posterius. Mali enim syllogismi, simpliciter syllogismi non merentur appellari.

Postremo adiicitur, eò quòd hæc sunt. Non enim satis est, cōclusionem sequi necessariò ex præmissis dispositis, sed oportet cōclusionē inferri ex præmissis, ex virtute talis dispositionis qua adinuicem sunt dispositæ. Vnde hic non est syllogismus, Omne animal

animal est substantia,& omnis homo est animal, igitur omnis homo est risibilis. Cõclusio quidem sequitur necessariò ex præmissis, quoniam(iuxta communem regulam) necessarium sequitur ad quodlibet vel ex quolibet, sicut ad impossibile vel ex impossibili sequitur quodlibet. Verùm conclusio illa non infertur ex præmissis, ratione illius certæ dispositionis, qua ad inuicem disponuntur in primo modo primæ figuræ, de quo posterius dicetur. Non enim ista conclusio, Omnis homo est risibilis, maiorem habet habitudinem vel proportionem ad præmissas illas quàm ista conclusio, Omnis homo est asinus, quæ tamen non potest ex illis præmissis inferri. Vnde quòd conclusio illa prima sequatur, ex sua necessitate tantùm habet. Excluduntur autem ab hac syllogismi definitione tres aliæ species argumentationis, enthymema, inductio, exemplum: quoniam in eis vel non sunt plures propositiones præmissæ pro antecedente, vel si plures sint, non sunt in figura & modo dispositæ, eo modo quo disponuntur syllogismi, nec conclusio in eis sequitur propter talem dispositionem. In enthymemate quidem, plerunque vna tantùm propositio pro antecedente ponitur, & altera subticetur. In exemplo similiter vna tantùm. In inductione verò, & si propositiones plures præmittantur, non tamen in figura & modo ad inuicem sunt dispositæ.

De syllogismo perfecto & imperfecto.
CAPVT III.

DIVIDITVR autem syllogismus in syllogismum perfectum, & syllogismum imperfectum, qui ab Aristotele ita definiuntur:

Definitio syllogismi perfecti et imperfecti.

Syllogismus perfectus est, qui nullius alterius indiget præter ea quæ sumpta sunt, vt appareat necessarium. Syllogismus imperfectus est, qui vnius aut plurium indiget, quæ sunt quidem necessaria per sumptos terminos, non autem per sumptas propositiones.

Quarum definitionum hîc est intellectus. Syllogismus perfectus ille est, qui in concludendo tam est euidens ex ipsa præmissarum dispositione, vt nõ indigeat vlla reductione ad alium modum

modum euidentiorem, ad ostendendū necessariam illationem conclusionis ex præmissis: neque opus est adhibere conuersionem vllius propositionis, aut præmissarum transpositionem, aut reductionem per impossibile, ad demonstrandum talis consequentiæ necessitatem, sed ex ipsa permissarum dispositione per se euidens est illatio conclusionis. Syllogismus autem imperfectus ille est, qui licet benè & necessario inferat conclusionem, non est tamen ex se euidens illatio, sed vt constet de bonitate illationis, opus est adhibere vnum vel plura, vtpote vel conuersionem vnius aut plurium propositionum, aut transpositionem præmissarum, vel simul vtrunque, vel reductionem ad impossibile, vt sic reducendo modum minus euidentem ad alium euidentiorem & perfectiorem appareat ille necessariò concludens.

Propter hoc in definitione dicitur: Quæ sunt quidem necessaria, id est, quæ vnum vel plura sunt necessaria ad ostensionem bonitatis syllogismi, vt constet de necessaria illatione. Quod autem sequitur: Per sumptos terminos, non autem per sumptas propositiones, indicat in reductione syllogismi imperfecti ad perfectum debere quidem seruari eosdem omnino terminos, sed non easdem propositiones: cùm plerunque in huiusmodi reductione vsus sit conuersionis alicuius, aut assumptionis contradictorij, quemadmodum suo loco posterius dicetur, & per singula plenius declarabitur.

Nunc autem exemplo vnico clarum faciamus quod dicitur. Hic syllogismus, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia, est perfectus syllogismus: quoniam tam est per se euidens, tam apparens est, ex ipsa præmissarum tali dispositione illatio bona conclusionis, vt nemo sanæ mentis de ea possit dubitare. Naturæ enim lumen statim docet, illam collectionem esse optimam. Vnde syllogismus ille ad hoc vt appareat necessarium, id est, necessariò concludens, nullius indiget: sed per ea quæ sumpta sunt, id est, per assumptas præmissas suas habet euidentiam. Cuius enim bonitas & necessitas per se euidens est, non eget reductione vlla vt appareat: sicuri id quod per se lucidum vel luminosum est, non indiget adhibitione alterius luminis, vt ipsius lumen manifestū fiat.

At verò hic syllogismus, Omne animal est substātia, & omnis homo est animal, igitur quædam substantia est homo, imperfectus est. Non enim per se euidens est eius bonitas siue necessitas illationis: sed vt appareat illa, opus est syllogismum istum reduci

duci ad alium alterius modi, per medium conuersionis ipsius conclusionis. Ex illis nanque præmissis, immediatè & euidenter sequitur hæc conclusio, Omnis homo est substantia: ac deinde, quia ad hanc sequitur per conuersionem per accidens, ista, Quædam substantia est homo, inde patet, quòd rectè & ista illata fuerit ex eisdem præmissis. Atque ita manifestè patet quomodo syllogismus iste vt appareat necessariò concludens, eget alicuius nempe adminiculo conuersionis, per quam reducitur ad alium modum perfectum. Quot autem sint modi perfecti, & quot imperfecti, quomodo etiam singuli modi imperfecti ad singulos perfectos possint & debeant reduci, posterius suo quodque loco dicetur.

De principijs regulatiuis syllogismi.

CAPVT IIII.

VNDE autem vim & robur suæ illationis habeat syllogismus, breuibus indicat Aristoteles, cũ definit dici de omni, & dici de nullo, hoc modo:

Quid dici de omni, & dici de nullo.

Dici de omni, est quando nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur prædicatum. Dici de nullo, est quando nihil est sumere subiecti à quo non remoueatur prædicatum.

Quas definitiones sic intellige. In illa propositione dicitur prædicatum de omni, quæ sic significat prædicatum conuenire subiecto secundum affirmationem, vt nihil possit sumi contentum sub subiecto, de quo non dicatur siue dici denotetur prædicatum. In illa autem propositione est dici de nullo, quæ sic significat prædicatum negari de subiecto, vt nihil possit sumi sub subiecto illo, de quo non negetur siue negari denotetur prædicatum. In omni, scilicet, propositione vniuersali affirmatiua est dici de omni: & in omni propositione vniuersali negatiua, est dici de nullo. Conuenítque ipsum dici de omni vel de nullo, prædicato talis propositionis. Ipsius enim est dici vel prædicari.

Non refert autem, siue verè dicatur, siue falsè: verè item negetur aut falsè. Cùm enim dico, Omnis homo est leo, prædicatum de omni dicitur: & cùm dico, Nullus homo est animal, prædicatum de nullo dicitur. Non enim quid sit, sed quid propositiones significent consideratur. In prima enim hoc significatur,

prædi

prædicatum subiecto cõuenire, secundum omnia supposita eius, ita vt nihil subsumi possit sub eo, cui non conueniat prædicatum. In altera denotatur prædicatum negari de subiecto pro ipsius quolibet supposito, ita vt nihil possit subsumi sub eo de quo non negetur prædicatum.

Maximæ syllogismorum regulatiuæ.

Ex his autem definitionibus dici de omni & de nullo, solent elicere duas regulas siue maximas, quas vocant principia syllogismorum regulatiua, eo quòd syllogismorum bonitas tota videatur illis inniti & corroborari. Regulæ autem hæ sunt, Quicquid de subiecto quopiam dicitur vt de omni, dicitur & de quolibet subsumpto sub eo. Quicquid de subiecto quopiam dicitur vt de nullo, remouetur à quolibet subsumptum sub eo. Per primam regulantur syllogismi affirmatiui, per secundam negatiui. Et perfecti quidem immediatè his regulantur, imperfecti verò mediatè tantùm, quatenus videlicet ad perfectos reducuntur, qui in eis immediatè regulantur.

De *triplici figura syllogismorum.*

CAPVT V.

SCIENDVM autem imprimis, quòd omnis syllogismus simplex (de quo in proposito loquimur) ex tribus tantùm terminis constat, & ex tribus propositionibus, conclusione adnumerata præmissis, quæ semper sunt duæ. Cùm igitur tres propositiones debeat habere syllogismus, & non possit nisi tres habere terminos, oportet vnumquemque illorum bis sumi, vt ternarius habeatur propositionum. Horum autem trium terminorũ vnus vocatur medium, alter maior extremitas siue maius extremum, tertius minor extremitas vel minus extremum.

Quid medium, maior, extremitas & minor.

Medium est terminus, qui bis sumitur ante conclusionem. Maior extremitas est terminus, qui sumitur cum medio in maiori propositione. Minor extremitas est terminus, qui sumitur cum medio in minori propositione. Maior propositio illa prior dicitur, in qua est principale robur syllogismi, & in qua potissimum virtus fundatur illationis. Minorem verò illam dicimus, quæ minus videtur habere roboris ad illationem. Exempli gratia, in hoc syllogismo, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. terminus animal est medium, quia ante conclusionem bis sumitur: substantia est maior extremitas, quia cum medio sumitur in maiore propositione: homo verò est minor extremitas, quia cum medio sumitur in minori propositione. Ad discernen

ſcernendum autem,quæ præmiſſarum ſecundum veritatem ſit maior,quæ minor,non ſolum conſiderandus eſt localis ſitus,ita vt illa vniuerſaliter exiſtimetur maior quæ priori loco ponitur. Sæpe enim quæ primo loco ponitur, in veritate minor eſt,& quæ ſecundo loco maior. Vt in hoc ſyllogiſmo,Quidam homo eſt animal,& nullus leo eſt homo,igitur quoddam animal non eſt leo,prior præmiſſa ſecundum veritatem eſt minor,ſecunda maior. Ita & in aliis pleriſque dicendum. Generaliter ergo illa, ex qua eſt præcipuum robur,& quæ eſt veluti baſis ſyllogiſmi, maior dicitur:illa autem quæ adiicitur tanquàm minus principalis,minor. Et quidē in prima figura,ſatis facile eſt hæc conſiderare. Semper enim illa in qua fit ſubſumptio,dicitur minor,& altera ſub cuius ſubiecto fit ſubſumptio, dicitur maior. In aliis autem figuris & modis,per reductionē ad modos perfectos primæ figuræ,certiſsima eſt diſcretio. Veruntamen in ſequentibus ad vitandam confuſionem plerunque maiorem appellamus priorem præmiſſam,minorem autem ſecūdam. Difficile enim foret inexercitatis adoleſcentum ingeniis ſtatim quolibet propoſito ſyllogiſmo dinoſcere,vtra ſecundum veritatem ſit maior aut minor.

Ex horum autem trium terminorum varia diſpoſitione triplex conſurgit figura ſyllogiſmorum. Figura enim in ſyllogiſmis conſideratur ſecundum certam ordinationem trium terminorum,ſecundum ſubiectionem & prædicationem: præcipuè autem,ex parte medij. Contingit enim interdum medium ſubiici in vna præmiſſarum, & in altera prædicari. Atque hinc conſurgit prima figura. Interdum in vtraque præmiſſarum medium prædicatur,& hinc ſecunda naſcitur figura. Interdum in vtraque ſubiicitur,& hinc oritur tertia. Exemplum primæ figuræ, Omne animal eſt ſubſtantia,omnis homo eſt animal,igitur omnis homo eſt ſubſtantia. Hic medium animal,in altera ſubiicitur & in altera prædicatur. Exemplum ſecundæ figuræ: Nullus lapis eſt animal,omnis homo eſt animal,igitur nullus homo eſt lapis. Hic medium animal, vtrobique eſt prædicatum. Exemplum tertiæ figuræ: Omnis homo eſt ſubſtantia. Omnis homo eſt animal,igitur quoddam animal eſt ſubſtantia. Hîc homo medium,vtrobique ſubiicitur. Præter autem has tres figuras,non eſt inuenire aliam: quoniam inter tres tantùm terminos in tribus tantùm propoſitionibus,alius ſitus à prædictis non poteſt inueniri.

CAP.

De quinque regulis generalibus omnium syllogismorum.

CAPVT VI.

ANTE verò quàm singularum figurarum modos in particulari describamus, ponendæ sunt & explicandæ regulæ aliquot generales, quæ in omnibus syllogismis, cuiuscunque figuræ aut modi, debent obseruari, ita vt quisquis syllogismus contra aliquam illarum quinque peccare deprehensus fuerit, propter hoc sit reiiciendus. Regulæ autem istæ sic habent:

Quinque regulæ generales.

Prima. Ex puris particularibus nihil syllogisticè conficitur. Secunda. Ex puris negatiuis nihil item conficitur. Tertia. Si altera præmissarum fuerit particularis, cõclusio quoque particularis erit. Quarta. Si altera præmissarum fuerit negatiua, conclusio quoque negatiua erit. Quinta. Medium nunquam ingredi potest conclusionem.

Primæ regulæ hic est sensus. Cùm ambæ præmissæ fuerint particulares, nulla conclusio, neque vniuersalis, neque etiam particularis, potest ex illis syllogisticè inferri: sed oportet in omni bono syllogismo, vt minimum alteram esse vniuersalem. Exempli gratia, iste syllogismus non est bonus, Aliquod animal est homo, & aliquis equus est animal, ergo equus est homo. Si autem prima fiat vniuersalis, dicendo: Omne animal est homo, erit syllogismus bene concludens. Sub particularibus comprehenduntur indefinitæ, cùm pro particularibus vsurpantur, vtpote in contingenti materia extra necessaria, atque moralia. Comprehenduntur quoque propositiones singulares, quæ non sunt de medio singulari. Vnde non valet syllogismus, Comedens volat, homo est comedens, igitur homo volat. Nec ista valet ex singularibus, Plato est Philosophus, & Socrates est Philosophus, igitur Socrates est Plato.

Signanter autem dictum est, ex singularibus nihil sequi, cùm fuerint de medio non singulari, quoniam ex puris singularibus, cùm medium fuerit terminus singularis, rectè conficitur syllogismus. Vt cùm ita colligo, Ioannes est animal, & Ioannes est hic homo, igitur hic homo est animal. Cuiusmodi syllogismus communiter vocatur expositorius. Ita quoque intelligendum est, ex puris particularibus nihil sequi, cùm medium fuerit

terminus communis. Medio enim existente singulari etiam ex particularibus valet hic syllogismus, Aliqua substantia est Petrus, & aliquod animal est Petrus, igitur aliquod animal est substantia. Ratio autem huius regulæ est, quia non est necesse, si aliqua duo in vno tertio communi particulariter conueniant, ob hoc illa inter se conuenire. Possunt enim à se remota esse & omnino disparata, imò contraria, quæ in vno tertio particulariter conueniunt, vt duæ species immediatè sub vno genere contentæ. Secunda regula hunc habet intellectum. Cùm ambæ præmissæ fuerint negatiuæ, non potest ex eis fieri syllogismus bonus, sed alteram vt minimum præmissarum oportet esse affirmatiuam. Vnde non valet hic syllogismus, Nullus homo est arbor, & nulla pyrus est homo, igitur nulla pyrus est arbor. Am bæ enim præmissæ sunt veræ, & conclusio falsa. Ratio autem huius regulæ est, quia non est necesse, si aliqua duo extrema ab vno tertio remoueantur secundum negationem, propter hoc illa ab inuicem remoueri. Possunt enim illa quæ adinuicem opti mè conueniunt de eodem tertio negari.

Tertia regula docet, non esse inferendam conclusionem vniuersalem, cùm altera præmissarum fuerit particularis. Non enim valet hic syllogismus, Omne animal est corpus, & aliqua substantia est animal, igitur omnis substantia est corpus.

Quarta regula docet non esse inferendam conclusionem affirmatiuam, cùm altera præmissarum fuerit negatiua. Vnde non sequitur, Nullum animal est arbor, homo est animal, igitur homo est arbor. Ratio harum duarum regularum vna est, quia effectus sequitur partem suæ causæ debiliorem magisque malignam. Vnde conclusio, quæ est quodammodo effectus præmissarum, quoniam ex præmissis infertur, debet sequi præmissam debiliorem & imperfectiorem. Est autem particularis debilior vniuersali, & negatiua ignobilior magisque maligna quàm affirmatiua.

Quinta regula docet, non esse ponendum medium in conclusione. Vnde hic non est bonus syllogismus: Omne animal est substantia, omnis homo est animal, igitur omne animal est substantia. Hîc enim conclusio non distinguitur ab vtraque præmissarum, quod est contra definitionem syllogismi. Neque hic est syllogismus, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo. tametsi conclusio cum nulla præmissarum sit eadem. Ratio autem

tem huius regulæ est, quoniam in omni syllogismo quilibet trium terminorum debet bis sumi, & bis duntaxat. Quando autem medium ponitur in conclusione, oportet alteram extremitatum non nisi semel accipi, & medium necesse est ter poni. Bis enim ante conclusionem debet constitui, quoniam id poscit ratio medij. Præterea in omni syllogismo oportet in conclusione alteram extremitatum de altera prædicari. Hæc enim est natura syllogismi, vt ex coniunctione certa secundùm affirmationem, aut negationem extremorum duorum cum eodem medio in præmissis, ipsa quoque adinuicem coniungantur secundùm affirmationem aut negationem in conclusione. Medium igitur intra præmissas debet contineri, neque in conclusionem se ingerere.

Possunt autem prædictis adiici aliæ duæ regulæ satis notatu dignæ, quarum prior hæc est. In omni syllogismo de medio communi, oportet medium saltem in altera præmissarum poni vniuersaliter. Posterior hæc est, In omni syllogismo cauendum est, ne vllus terminus ponatur vniuersaliter in conclusione, qui non fuerit vniuersaliter positus in altera præmissarum. In quibus duabus regulis fundantur duæ suprapositæ, nempe prima & tertia. Ob hoc enim ex puris particularibus nihil sequitur, quoniam cùm ambæ præmissæ fuerint particulares & affirmatiuæ, medium in neutra accipitur vniuersaliter, si modo propositiones fuerint de consueto more loquendi. Vnde si per morem aliquem inconsuetum fiat, vt medium in altera præmissarum vniuersaliter teneatur, rectè ex puris particularibus inferretur conclusio. Vnde hic est syllogismus bonus: Aliquod animal est leo, & homo omne animal est, igitur homo est leo. Si verò inter præmissas particulares altera fuerit negatiua, ita vt per negationem medium in altera ponatur vniuersaliter, iam contra alteram regulam peccabitur: quoniam à termino non posito vniuersaliter in præmissis, proceditur ad eundem in conclusione vniuersaliter positum, quod breuitatis causa recentiores vocant argumentari à termino non distributo ad distributum. Exempli gratia, hic syllogismus ex puris particularibus non valet: Aliqua substantia non est animal, & aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est substantia. Defectus autem eius non est ex eo quòd medium in neutra tenetur vniuersaliter, cùm in prima medium per vim negationis vniuersaliter positum sit: sed contra posteriorem

Regulæ duæ generales.

regulam peccatur, quoniam in conclusione maior extremitas animal vniuersaliter ponitur, quæ non sic fuit in præmissis posita.

Tertia quoque regula in eadem ratione fundatur: quoniam cùm ex præmissa particulari infertur vniuersalis conclusio, proceditur à termino non vniuersaliter sumpto in antecedente, ad eundem in conclusione vniuersaliter sumptum. Vt in hoc syllogismo malo ad oculum patet, Omne animal est corpus, aliqua substantia est animal, ergo omnis substantia est corpus. substantia minor extremitas in conclusione ponitur vniuersaliter, non autem in præmissis. Vnde si hic defectus per aliquem inconsuetum modum possit vitari, nihil obstabit quo minus ex particulari præmissa inferri possit vniuersalis conclusio. Vt si ita fiat syllogismus in tertia figura, Aliquod animal est corpus, & omne animal omnis substantia est, igitur omnis substantia est corpus, Vel ita in secunda figura: Aliqua substantia non est arbor, omnis pyrus est arbor, igitur omnis pyrus aliqua substantia non est, vel non omnis substantia est. Hi duo syllogismi rectè suas conclusiones inferunt, tametsi vniuersales ex altera præmissarum particulari, propter cautelam ab offensione propositæ regulæ. In priori enim syllogismo per additionem signi vniuersalis curatur, vt etiam in antecedente minor extremitas ponatur vniuersaliter, sicut in consequente: in posteriori autem ne in conclusione maior extremitas ponatur vniuersaliter, sicut nec in antecedente, sicque fit vtrobique, vt terminus similiter in antecedente & consequente teneatur vniuersaliter vel non vniuersaliter. Hos autem syllogismos ex enuntiationibus secundum inconsuetum loquendi modum factis proponimus, non quod eorum magnus sit vsus in disciplinis, sed in hoc tantum, vt ex ipsa radice cognoscatur ratio prædictarum duarum regularum. Pleræque etiam regulæ speciales singularum figurarum posterius declarabuntur in altera harum generalium regularum fundari.

De *regulis specialibus primæ figuræ.*

CAPVT VII.

QVAE iam statim positæ sunt syllogismorum regulæ, omnibus figuris erant generales. Præter has autem aliæ duæ ponuntur speciales, quæ licet non in omnibus syllogismis, in iis tamen qui fiunt in prima figura, debent obseruari.

Sunt

Sunt autem hæ,

In omnibus modis primæ figuræ directè concludentibus, minore existente negatiua, non valet syllogismus. Regulæ speciales primæ figuræ.

In omnibus modis primæ figuræ directè concludentibus, maiore existente particulari, non valet syllogismus.

Contra primam regulam peccat hic syllogismus, Omne animal est substantia, nulla arbor est animal, ergo nulla arbor est substantia. Contra secundam peccat iste, Aliquod animal est homo, Omnis leo est animal, igitur omnis leo est homo. Fundantur autem hæ duæ regulæ speciales in duabus illis regulis generalibus, quas posteriori loco adiecimus. Cùm enim in prima figura directè concludendo minor fuerit negatiua, proceditur à termino non posito vniuersaliter in præmissis, ad eundem in conclusione vniuersaliter sumptum. Cùm verò maior particularis fuerit, medium in neutra tenetur vniuersaliter, quemadmodum in exemplis suprapositis ad oculum patet. Vnde si per modum loquendi inconsuetum vitentur isti defectus, poterunt boni fieri syllogismi in prima figura, etiam directè concludendo. Vnde prædicti mali syllogismi hac via possunt emendari. Prior quidem sic, Omne animal omnis substantia est, nulla arbor est animal, igitur nulla arbor est substantia. Vel sic, Omne animal est substantia, nulla arbor est animal, igitur nulla arbor omnis substantia est. In illo terminus animal vtrobique tenetur vniuersaliter, in hoc nusquam, ideo valet collectio. Posterior sic emendatur: Aliquod animal est homo, omnis leo omne animal est, igitur omnis leo est homo.

Signanter quoque dictum est, de syllogismis primæ figuræ directè concludentibus. In iis enim qui concludunt indirectè, non habent prædictæ regulæ locum. Pro cuius rei intellectu sciendum est, quid sit concludere directè, quid concludere indirectè. Concluditur directè, quando maior extremitas in conclusione prædicatur de minore extremitate. Concluditur autem indirectè, quando minor extremitas in conclusione prædicatur de maiore. Exempli gratia, in hoc syllogismo directè concluditur, Omne animal est substantia, homo *Quid concludere directè vel indirectè.*

est animal, igitur homo est substantia. Maior enim extremitas substantia, in conclusione prædicatur de minore extremitate, homo. Cùm autem sic colligo, Omne animal est substantia, homo est animal, ergo substantia est homo. indirectè concluditur, quoniam minor extremitas homo, in conclusione prædicatur de maiore extremitate, substantia: quod non est secundum ordinem directum & naturalem, cùm secundùm rectum & naturalem ordinem, maiori extremitati conueniat prædicari in conclusione, minori autem subiici in eadem.

Quo præmisso, ostendamus exemplo, prædictas regulas duas speciales in syllogismis primæ figuræ indirectè concludentibus non habere locum. Hic syllogismus bonus est in Fapesmo: Omne animal est substantia, & nulla arbor est animal, igitur aliqua substantia non est arbor. Minor tamen eius est negatiua. Item hic est syllogismus bonus in Frisesom: Aliquod animal est substantia, nulla arbor est animal, igitur aliqua substantia non est arbor. cùm tamen & primam præmissam habeat particularem, & secundam negatiuam. Ratio autem quare indirectè concludendo ista nihil obsint, est, quia per conclusionem indirectam cauetur, ne procedatur à termino non accepto vniuersaliter in antecedente, ad ipsum vniuersaliter positum in conclusione: & dum minor accipitur negatiua, medium ponitur in altera vniuersaliter. Ita nullus obtingit defectus, qui syllogismo suam auferat bonitatem. Cæterùm, vbicunque duo non cauentur, siue directè concludatur siue indirectè, nunquam valebit syllogismus.

Discernuntur modi primæ figuræ vtiles ab inutilibus.

CAPVT VIII.

SVPERIVS dictum est, in syllogismis figuram consyderari secundùm varium situm trium terminorum, ex quibus syllogismus componitur. Ita nunc dicimus, in vnaquaque figura varios modos consyderari, secundùm variam dispositionem trium propositionum, ex quibus immediatè syllogismus omnis componitur. Potissimum verò ex dispositione ipsarum præmissarum ad inuicem, quanquam largius etiam ex dispositione conclusionis sumitur varietas modorum, vt patebit in modis indirectè concludentibus. Est enim modus propriè loquendo, duarum propositionum ad inuicem certa proportio siue habitudo secundum debitam qualitatem & quantitatem. Tunc autem est qualitas debita, quando præmissarum vt minimum altera

Quid modus.

altera est affirmatiua. Tunc quantitas debita, quando vt minimum altera præmissarum est vniuersalis. Atque insuper in vnaquaque figura, vt modus sit bonus, oportet illius figuræ regulas simul obseruari. In vnaquaque autem figura possunt *** considerari, sedecim modi, secundum quod totidem modis contingit præmissas varie adinuicem disponi: ex quibus modis plures mali sunt & inutiles, alii pauciores boni & vtiles. Quod in prima figura ita fit manifestum. Vel enim ambæ præmissæ sunt vniuersales aut ambæ particulares, vel maior est vniuersalis & minor particularis, vel maior particularis & minor vniuersalis. Singula horum quatuor membrorum quatuor sub se modos complectuntur. Si enim ambæ præmissæ sunt vniuersales, vel ambæ sunt vniuersales affirmatiuæ, & est primus modus vtilis, qui significatur per vocabulum Barbara. Vel ambæ sunt vniuersales negatiuæ, & est modus prorsus inutilis: quoniam ex puris negatiuis in nulla figura valet syllogismus. Vel maior est vniuersalis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, & est modus inutilis: quoniam minore negatiua in prima figura non valet syllogismus. Vel maior est vniuersalis negatiua & minor vniuersalis affirmatiua: & hic est modus vtilis secundus, qui significatur per vocabulum Celarent.

Procedendo ad alterum membrum, si ambæ sint particulares, quatuor id potest fieri modis similiter, vt ostensum est de vniuersalibus ambabus. Verùm quomodocunque præmissæ ambę particulares sumantur, siue ambæ affirmatiuæ, siue ambæ negatiuæ, siue altera affirmatiua, & altera negatiua, nusquam inuenitur modus vtilis: quoniam ex puris particularibus nihil vsquam rectè colligitur, iuxta regulam superius positam.

Transeundo autem ad tertium membrum, si maior sit vniuersalis & minor particularis, quatuor modis similiter id potest considerari. Vel ambæ sunt affirmatiuæ, & est tertius modus vtilis significatus per Darij. Vel negatiuæ ambæ sunt, & est modus inutilis, quia ex puris negatiuis. Vel maior est affirmatiua & minor negatiua, & rursum modus est inutilis: quoniam in prima figura minore negatiua nihil concluditur. Vel maior est negatiua & minor affirmatiua, hincque modus vtilis nascitur quartus per Ferio signatus. Postremum autem membrum consyderando, vbi maior est particularis & minor vniuersalis, nullum inuenimus modum vtilem: siue ambæ affirmatiuæ

sint, siue ambæ negatiuæ, siue altera affirmatiua, altera negatiua: quoniam maiore particulari in prima figura nihil concluditur directè. Ex omnibus igitur his modis, quibus possunt in prima figura præmissę ad directè concludendum disponi, non nisi quatuor modi vtiles possunt inueniri. Si tamen simul habitudinem cõclusionis cum præmissis consyderaremus, plures liceret inuenire modos, vt Barbara, Celarent. Verùm (vt suprà dictum est) secundum præmissas propriè modus consideratur. Suprà diximus enim in definitione syllogismi præmissas disponi in modo & figura, atque ex illis sic dispositis sequi conclusionem. Item si ad conclusionem indirectam aspiceremus, plures modi vtiles quàm quatuor possint inueniri, vt patebit in processu.

De modis vtilibus primæ figuræ, & de vocabulis quibus modi illi aptè signantur.

CAP. IX.

Quo verò facilius & expeditius adolescentulorum animi cognoscerent, seruarentque tenacius vtiles syllogismorum formas siue modos sagaci industria, ii qui post Aristotelem in harum rerum consideratione versati sunt, vocabula quædam effinxerũt, quibus vniuscuiusque modi propositionum simul & conclusionis, tum qualitas, tum quantitas, commodè designarentur, quæ proinde vocabula artis rectè nominari possunt, quòd propter artem hanc syllogisticam promptius tenendam à tractatoribus artis sint efficta, quemadmodum & in priori libro diximus de vocabulis illis, Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea, ad modalium æquipollentiam facilius cognoscendam inuentis.

Vocabula autem quibus hi quatuor modi vtiles atque perfecti primæ figuræ nominantur, hæc sunt, Barbara, Celarent, Darii, Ferio. Significatio verò eorum talis est. Prima syllaba significat, cuius tum qualitatis, tum quantitatis debeat esse maior syllogismi: secunda, qualis & quanta minor: tertia, qualis & quanta conclusio. Significatio autem ista, ex vocalibus est quatuor, a, e, i, o. A enim vniuersalem affirmatiuam significat, e vniuersalem negatiuam, i particularem affirmatiuam, o particularem negatiuam. Primus igitur modus, qui per Barbara significatur, tunc est, quando in prima figura maior & minor ambæ vniuersales affirmatiuæ, inferunt directè conclusionem similiter vniuersalem affirmatiuam.

Bar

Bar Omnis virtus est laudanda.
Exemplum ba Omnis modestia est virtus.
ra. Omnis igitur modestia est laudanda.

Secundus modus primæ figuræ, qui per Celarent significatur: tunc est, quando maior vniuersalis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, directè inferunt conclusionem vniuersalem negatiuam.

Ce Nulla virtus est vituperanda.
Exemplum la Omnis humilitas est virtus.
rent. Nulla igitur humilitas est vituperanda.

Tertius modus, qui per Darii significatur, tunc est, quando in prima figura maior vniuersalis affirmatiua, & minor particularis affirmatiua, directè concludunt particularem affirmatiuã.

Da Omnis virtus est digna laude.
Exemplum ri Aliqua taciturnitas est virtus.
i. Igitur aliqua taciturnitas est digna laude.

Quartus modus perfectus primæ figuræ, qui per Ferio significatur, tunc est, quando maior vniuersalis negatiua, & minor particularis affirmatiua directè concludunt particularem negatiuam.

Fe- Nulla virtus est vituperanda.
Exemplum ri Aliqua taciturnitas est virtus.
o. Aliqua igitur taciturnitas nõ est vituperãda

In his modis exercitatissimos se reddant adolescentes, vt quibuslibet propositis terminis cuiuscunque tandem prædicamenti, statim in promptu habeant ex eis syllogismum contexere, secundum terminorum habitudinem adinuicem. In singulis enim prædicationibus cuiuscunque prædicabilis fuerint, & ex omnibus terminis cuiuscunque fuerint prædicamenti, syllogismorum hæ formæ valent, sũntque euidentes. A figura enim & modo suam habent virtutem & euidentiam, non ab ipsis terminis.

De quinque modis primæ figuræ indirectè concludentibus.

CAPVT X.

PRAETER supradictos quatuor modos vtiles & perfectos primæ figuræ, sunt alij quinque concludentes indirectè, qui significantur his dictionibus, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Vbi nota, in duobus vocabulis Baralipton & Frisesomorum, syllabas non nisi tres priores esse necessarias: cæteræ sunt adiectæ, propter complementum me-

tri, quo solent hæc vocabula propter memoriam contineri, hoc modo,

Barbara, Celarent, Darii Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo Frisesomorum.

Quintus igitur modus primæ figuræ primus eorum qui indirectè concludunt, est, quando maior & minor ambæ vniuersales affirmitiuæ inferunt indirectè conclusionem particularem affirmatiuam.

Exemplum Ba ra lip. Omne animal est substantia. Omnis homo est animal. Quædam igitur substantia est homo.

Sextus modus est, quãdo ex maiore vniuersali negatiua & minore vniuersali affirmatiua, indirectè colligitur conclusio vniuersalis negatiua.

Exemplum Ce lan tes. Nullum animal est arbor. Omnis homo est animal. Nulla igitur arbor est homo.

Septimus modus est, quando ex maiori vniuersali affirmatiua & minore particulari affirmatiua, sequitur indirectè conclusio particularis affirmatiua.

Exemplum Da bi- tis. Omne animal est substantia. Quidam homo est animal. Quædam igitur substantia est homo.

Octauus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua & minore vniuersali negatiua, indirectè concluditur particularis negatiua.

Exemplum Fa- pes mo. Omne animal est substantia. Nulla arbor est animal. Igitur quædam substantia non est arbor.

Nonus modus & vltimus primæ figuræ est, quando ex maiore particulari affirmatiua, & minore vniuersali negatiua, sequitur indirectè conclusio particularis negatiua.

Exemplum Fri se- som. Quoddam animal est substantia. Nulla arbor est animal. Igitur quædam substantia non est arbor.

Quomodo autem hi imperfecti quinque modi reducantur ad quatuor primos perfectos, dicetur posterius.

De regulis specialibus secundæ figuræ.

CAP. XI.

Secun-

SECVNDA figura (vt suprà diximus) tunc est, quando medium syllogismi in vtraque præmissarum prædicati locum obtinet. Vt cùm ita argumentamur: Omnis homo est animal, & nulla arbor est animal, nulla igitur arbor est homo. Hic medium animal in vtraque prædicatur. Pro syllogismis autem huius figuræ tres istæ ponuntur regulæ speciales.

In secunda figura, maiore existente particulari, non valet syllogismus.

In secunda figura, ex puris affirmatiuis, non valet syllogismus.

In secunda figura, semper concludi debet negatiuè.

Contra primam regulam hic peccat syllogismus: Aliquod animal est homo, & nullum brutum est homo, igitur quoddam brutum non est animal. Ratio autem huius regulæ est, quia in huiusmodi syllogismo proceditur à termino non posito vniuersaliter in antecedente, ad eundem in conclusione vniuersaliter positum. Vnde si per modum aliquem defectus iste impediatur, non erit malus syllogismus: vt si ex iisdem præmissis inferatur hæc conclusio: Aliquod brutum non omne animal est.

Contra secundam peccat hic syllogismus: Omnis homo est animal, & omne brutum est animal, igitur omne brutū est homo. Ratio huius regulæ est, quia medium in huiusmodi syllogismis in neutra præmissarum tenetur vniuersaliter. Quòd si curetur, valebit illatio: vt si medio in altera præmissarum addatur signū vniuersale, dicēdo, Omnis homo omne animal est. vel secunda, Omne brutū omne animal est. Cōtrà quoq;, si altera præmissarum existente negatiua, impediatur tamen mediū ne stet vniuersaliter, non valebit syllogismus. Vt si ita quis colligat, Omne animal est corpus, & omnis homo aliquod corpus non est, igitur omnis homo nō est animal. vitiosè colligit, ex eo quòd medium nusquam positū sit vniuersaliter. Tertia autē regula ex secunda manifestè cōsequitur: quoniā (iuxta regulam generalem suprapositam) si aliqua præmissarum fuerit negatiua, conclusionem oportet esse negatiuam. Postea igitur quàm in secunda figura necesse sit alteram præmissarū esse negatiuam, consequens est, & cōclusionem semper esse debere negatiuam.

De

De modis secundæ figuræ.

CAP. XII.

QVOMODO autem in prima figura sedecim modos deserî pſimus, ex quibus omnibus admodum paucos, nempe quatuor tantùm vtiles inuenimus: ſic & in hac figura per ſingulos modos diſcurrendo, inueniũtur quatuor tantùm vtiles. Vel enim ambæ premiſſæ ſunt vniuerſales, vel ambæ particulares, vel maior vniuerſalis & minor particularis, vel econtrariò, maior particularis & minor vniuerſalis.

Primum membrum quatuor modos continet. Vel ambæ ſunt vniuerſales affirmatiuæ, éſtque modus inutilis, quoniam in ſecunda figura ex puris affirmatiuis nihil ſequitur. Vel ambæ vniuerſales negatiuæ, & rurſum non valet ſyllogiſmus: quoniam ex puris negatiuis in nulla figura quicquam ſequitur. Vel maior eſt vniuerſalis negatiua & minor vniuerſalis affirmatiua, & conſurgit primus modus vtilis, qui per vocabulum artis Ceſare ſignificatur. Vel maior eſt vniuerſalis affirmatiua, & minor vniuerſalis negatiua, & habetur modus ſecundus vtilis, qui ſignificatur hoc vocabulo Cameſtres. Ex ſecundo membro, nullus modus habetur vtilis, quoniam ex puris particularibus nuſquam quicquam ſyllogiſticè conficitur.

Tranſeundo ad tertium membrum, vel maior eſt vniuerſalis affirmatiua & minor particularis item affirmatiua, & ſic modus eſt inutilis: quoniam ex puris affirmatiuis in ſecunda figura nihil concluditur. Vel maior eſt vniuerſalis negatiua & minor item particularis negatiua, rurſum inutilis modus inuenitur: quoniam ex puris negatiuis nihil ſequitur. Vel maior eſt vniuerſalis negatiua, & minor particularis affirmatiua, & habetur, tertius modus vtilis, qui ſignatur per vocabulum Feſtino. Vel maior eſt vniuerſalis affirmatiua & minor paticularis negatiua, cõſurgítque modus vtilis quartus ſignatus vocabulo Baroco.

Ex quarto autem membro, vbi maior eſt particularis & minor vniuerſalis, nullus bonus modus colligi poteſt: quoniam (iuxta regulam) maiore exiſtente particulari in ſecunda figura nihil rectè conficitur. Quatuor igitur tantùm modi vtiles inueniuntur ſecundæ figuræ, cæteri omnes tanquàm afyllogiſti & inutiles reiiciuntur.

Eſt igitur primus modus ſecundæ figuræ, quando ex maiore vniuerſali negatiua, & minore vniuerſali affirmatiua, ſequitur concluſio vniuerſalis negatiua.

Ce

Ce Nulla arbor est animal.
Exemplum sa- Omnis homo est animal.
re. Nullus ergo homo est arbor.

Secundus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua, & minore vniuersali negatiua, infertur conclusio vniuersalis & negatiua.

Ca Omnis homo est animal.
Exemplum me Nulla arbor est animal.
stres. Nulla ergo arbor est homo.

Tertius modus est, quando ex maiore vniuersali negatiua, & minore particulari affirmatiua, infertur conclusio particularis negatiua.

Fe Nulla arbor est animal.
Exemplum sti- Aliquis homo est animal.
no. Igitur quidam homo non est arbor.

Quartus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua & minore particulari negatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

Ba Omnis homo est animal.
Exemplum ro Quædam arbor non est animal.
co. Quædam ergo arbor non est homo.

Quomodo autem hi modi habeant reduci & perfici per modos primæ figuræ, posterius suo loco dicetur.

Enumerantur quoque hic modi tantùm directè concludentes. Alioqui, si & indirectè concludentes voluerimus considerare, vt suprà fecimus in prima figura, inuenientur & alij modi. Hic enim syllogismus, Nulla arbor est animal, & omnis homo est animal, igitur nulla arbor est homo: syllogismus est secundæ figuræ: non est tamen in Cesare, sed potius in Cesares. Sic enim differt syllogismus ille à syllogismis factis in Cesare, sicut in prima figura syllogismi in Celantes à syllogismis factis in Celarent. Iterum hic syllogismus, Omnis homo est animal, & nulla arbor est animal, igitur nullus homo est arbor, non est in Camestres, sed potius in Camestre: quoniam in reductione eius ad Celarent, non oportebit conclusionem conuerti simpliciter, sicut in syllogismo facto in Camestres. ***

A' modo autem tertio Festino, non potest accipi modus indirectè concludens: quoniam particularis negatiua non conuertitur, & procederetur à minore extremitate in præmissis non posita vniuersaliter, ad eandem in conclusionem vniuersaliter

posi

posítam. Similiter & de Baroco dicendum. Veruntamen maiore existente particulari posit inueniri modus bonus ad concludendum indirectè. Vt sic colligendo, Aliquod animal est homo, & nullum brutum est homo, igitur aliquod animal non est brutum. Qui modus sic ferè sumitur in secunda figura contra regulam specialem prohibẽtem accipere maiorem particularem, quomodo in prima figura vltimus modus Frisesomorum accipitur contra ambas regulas speciales primæ figuræ, cùm & maiorem habeat particularem & minorem negatiuam.

De tertia figura.

CAP. XIII.

TERTIA figura (vt suprà diximus) est, quando medium syllogismi in vtraque præmissarum subiecti locum obtinet. Vt autem dispositi secundum hanc figuram syllogismi valeant, præter regulas generales superius datas, aliæ duæ speciales sunt obseruandæ, quæ sunt istæ.

In tertia figura, minore existente negatiua, non valet syllogismus. In tertia figura, non potest concludi vniuersaliter, sed particularem semper oportet inferri conclusionem.

Contra priorem regulam peccat hic syllogismus, Omnis homo est substantia, & nullus homo est arbor, igitur quædam arbor non est substantia. Contra secundam peccat iste, Omnis homo est animal, & omnis homo est substantia, igitur omnis substantia est animal. Ratio autem harũ regularum ambarum vna est, quoniam in huiusmodi syllogismis proceditur à termino non posito vniuersaliter in præmissis, ad eundem in conclusione vniuersaliter positu. In priore quidẽ ex parte maioris extremitatis, in posteriori verò ex parte minoris. Vnde si per modum aliquem inconsuetum loquendi hic defectus caueatur, valebit syllogismus, etiam si videatur in alteram regularum illarum peccare: vt si in priore suprapositio syllogismo sic inferatur: Quædam arbor non omnis substantia est, vel aliqua substantia non est.

De modis tertiæ figuræ.

CAP. XIIII.

*** QVOMODO autem suprà in duabus figuris præcedentibus, ex omnibus modis considerauimus qui vtiles & qui inuti

inutiles habeantur, sic & in hac proportionabiliter faciendum, vt pateat quot nobis ex hac figura vtiles modi consurgant. Igitur aut ambæ præmissæ sunt vniuersales, aut ambæ particulares: aut maior vniuersalis, & minor particularis: aut econtrario, maior particularis & minor vniuersalis.

Sub primo membro quatuor modi considerantur. Cũ enim ambæ fuerint vniuersales, vel affirmatiuæ sunt, & est modus vtilis primus, qui significatur vocabulo Darapti. Vel sunt ambæ vniuersales negatiuæ, & est modus inutilis, quoniam ex puris negatiuis nihil sequitur. Vel maior est affirmatiua & minor negatiua, & rursum modus est inutilis: quoniam minore negatiua nihil rectè colligitur in hac figura. Vel maior est negatiua & minor affirmatiua, sicque modus inuenitur vtilis, qui significatur per Felapton.

Ex secundo membro, vbi ambæ particulares sunt, constat nihil boni procedere: quoniam ex puris particularibus nusquam quicquam syllogisticè concluditur.

Ex tertio autem mẽbro, duo modi vtiles inueniuntur, & duo inutiles. Vel enim maior est vniuersalis affirmatiua, & minor particularis item affirmatiua: estque modus vtilis, qui significatur per Datisi. Vel maior est vniuersalis negatiua, & minor particularis affirmatiua, & iterum alius est modus vtilis, significatus vocabulo Ferison. Vel maior est vniuersalis affirmatiua, & minor particularis negatiua, sicque modus est inutilis: quoniam minore negatiua in hac figura nihil conficitur. Vel ambæ sunt negatiuæ, neque rursum quicquam vtile inuenitur.

Sub quarto membro, iterum duo modi vtiles & duo inutiles inueniuntur. Maiore enim existente particulari, & minore vniuersali, vel ambæ sunt affirmatiuæ, & est modus vtilis signatus per Disamis. Vel ambæ negatiuę, & est modus inutilis. Vel prior affirmatiua & posterior negatiua, rursumque modus est inutilis: quoniam minore negatiua non valet hic syllogismus. Vel denique prior est negatiua, & posterior affirmatiua, qui est modorum vtilium nouissimus, signatus per vocabulum Bocardo. In summa igitur sex inuenti sunt huius figuræ vtiles modi directè concludentes, de quibus nunc per ordinem est dicendum. Primus igitur modus tertiæ figuræ tunc est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua, & minore item vniuersali affirmatiua, infertur conclusio particularis

laris affirmatiua. Vniuersalem enim hîc non licet concludere.

Da Omnis homo est animal.
Exemplum ra Omnis homo est substantia.
pti. Quædam igitur substantia est homo.

Secundus modus tertiæ figuræ est, quando ex maiore vniuersali negatiua, & minore vniuersali affirmatiua: sequitur conclusio particularis negatiua.

Fe- Nullus homo est arbor.
Exemplum la- Omnis homo est animal.
pton Quoddam ergo animal non est arbor.

Tertius modus est, quando ex maiore particulari affirmatiua, & minore vniuersali affirmatiua, infertur conclusio particularis affirmatiua.

Di Quoddam animal est homo.
Exemplum sa- Omne animal est substantia.
mis Quædam igitur substantia est homo.

Quartus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua, & minore particulari item affirmatiua, sequitur conclusio particularis affirmatiua.

Da Omnis homo est substantia.
Exemplum ti Quidam homo est animal.
si. Quoddam igitur animal est substantia.

Quintus modus est, quando ex maiore particulari negatiua, & minore vniuersali affirmatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

Bo Quoddam animal non est homo.
Exemplum car Omne animal est corpus.
do. Quoddam igitur corpus non est homo.

Sextus modus est, quando ex maiore vniuersali negatiua, & minore particulari affirmatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

Fe- Nullum animal est arbor.
Exemplum ri- Aliquod animal est homo.
son. Quidam igitur homo non est arbor.

Summatim igitur colligendo omnes modos vtiles hactenus positos, inuenimus esse numero decem & nouem, quatuor videlicet primæ figuræ perfectos & quinque imperfectos, quatuor secundæ figuræ, & sex tertiæ: qui vt promptius ab adolescentibus memoria teneantur, in forma metri solent disponi, hoc modo:

Bar

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

De reductione syllogismorum imperfectorum.

CAPVT XIIII.

SCIENDVM autem est, omnes modos imperfectos, o- *** mnes scilicet enumeratos, præter quatuor modos primos primæ figuræ, reduci posse ad aliquem modum perfectum, id est, ad aliquam primorum illorum quatuor. Reducere autem syllogismum in proposito, intelligimus, bonitatem syllogismi imperfecti ostendere per alium modum perfectum. Fit autem hoc dupliciter, ostensiuè videlicet, aut per impossibile. Ostensiuè reducimus syllogismum, quando per medium conuersionis, aut transpositionis præmissarum, aut simul vtriusque, id facimus. Per impossibile verò reducere syllogismum, est eius bonitatem ostendere per hoc quod negans deducitur ad aliquod impossibile: vtpote cùm eum qui negat bonitatem alicuius imperfecti syllogismi, cogimus concedere contradictorias esse simul veras, quod est impossibile, aut propositionem aliquam esse falsam, quæ est manifestè vera, aut ab eodem vt vera concessa. Et de hac quidem reductione posterius.

Nunc autem priorem ostensiuam tractemus, quæ (vt iam diximus) vtitur conuersione vel transpositione præmissarum, vel simul vtroque. Hæc enim vocantur duo instrumenta reductionis ostensiuæ. Interdum enim sola conuersione opus est ad reducendum, interdum verò non sufficit sola conuersio, nisi fiat & præmissarum transpositio. Et interdum quidem solùm vna præmissarum, aut sola conclusio debet conuerti, interdum plures. Ac rursum, interdum conuersione simplici, interdum conuersione per accidens vtendum est. Quæ omnia, quo modo in singulis modis opus sit obseruare, magno artificio illa artis vocabula iam sæpe enumerata demonstrant, vbi plenè eorum significatio cognita fuerit.

Aduertendum igitur est, præter id quod suprà diximus de significatione vocalium A, E, I, O, inuenıri etiam in eis quatuor consonantes, certam significationem habentes, nempe S, P, M, C, vbicunque enim ponitur S, scito in reductione propositionem

illam, quæ per vocalem immediatè præcedentem significatur, debere conuerti simpliciter. Vbicunque P, inueneris, scito, illam propositionem quæ per vocalem immediatè præcedentem significatur, debere conuerti per accidens. Vbicunque M, inueneris, scito præmissas transponi debere. C, verò in medio dictionis significat modum illum non conuerti ostensiuè, sed tantùm conuersiuè siue per impossibile, vt in Baroco & Bocardo. Porrò literæ initiales omnium modorum, indicant ad quem perfectorum modorum singuli imperfecti debeant reduci. Vniuersaliter enim modi imperfecti incipientes à B, debent reduci ad Barbara, à C, ad Celarent, à D, ad Darij, ab F, ad Ferio. Aliæ autem consonantes non habent aliquam propositio negotio aptam significationem.

De reductione ostensiua singulorum modorum imperfectorum.

CAPVT XV.

INCIPIENDO igitur à Baralipton, qui est primus modus imperfectus primæ figuræ, debet ille reduci ad Barbara: quoniam eandem initialem literam habent b. In reducendo autem, non opus est nisi solius conclusionis conuersione per accidens, quod indicat litera p, in tertia syllaba post i, posita, Celantes ad Celarent reducitur, per solam conuersionem conclusionis simpliciter: quod indicatur per literam s, in tertia syllaba positam. Dabitis ad Darij, per conuersionem conclusionis simpliciter. Fapesmo ad Ferio, idque per conuersionem maioris per accidens, quod indicat litera p, posita post primam vocalem, & conuersionem minoris simpliciter quod indicat litera s, post secundam vocalem i, posita, cum præmissarum transpositione, quam indicat litera m. Frisesom ad Ferio item reducitur, per vtriusque præmissæ conuersionem simpliciter, & præmissarum transpositionem.

Cesare primus modus secundæ figuræ reducitur ad Celarẽt, maiore tantùm conuersa simpliciter. Camestres item ad Celarent, sed minore & conclusione conuersis simpliciter, ac insuper præmissis transpositis. Festino ad Ferio reducitur per conuersionem maioris tantùm simpliciter. Baroco autem non potest ostensiuè reduci ad vllum modum primæ figuræ, neque per conuersionem, neque per transpositionem præmissarum.

Cuius ratio est, quoniam ad mutandum figuram oporteret ad minus alteram præmissarum conuerti in reductione. Neutrius autem conuersio est reductioni commoda, quoniam maior

cùm

cùm sit vniuersalis affirmatiua, non conuertitur nisi per accidens in particularem affirmatiuam. Cùm ergo minor similiter sit particularis, ambæ præmissæ erunt particulares, ex quibus non valet syllogismus. Item & maiore particulari in prima figura non valet syllogismus. Per conuersionem minoris item nihil potest fieri, quoniam particularis negatiua non conuertitur nisi per contrapositionem, quæ conuersio reductioni syllogismorum non seruit, eò quòd mutet terminos. In reductione autem, omnino iidem debent esse termini syllogismi qui reducitur, & eius ad quem fit reductio. Nullo igitur modo potest ostensiuè reduci modus Baroco, sed tantùm syllogisino conuersiuo siue per impossibile, quod significatur per literam c, in medio vocabuli positam. Darapti primus modus tertiæ figuræ, reducitur ad Darij, conuertendo minorem per accidens. Felapton ad Ferio, minorem conuertendo per accidens. Disamis ad Darij, per conuersionem maioris & conclusionis simpliciter, & præmissarum transpositionem. Datisi ad Darij item, sed per conuersionem tantùm minoris simpliciter. Bocardo autem non potest reduci ostensiuè, quod potest declarari eo modo quo suprà de Baroco ostensum est. Non enim per conuersionem maioris, quæ est particularis negatiua, & conuerti non potest. Neque per conuersionem minoris, quæ tantùm in particularem affirmatiuam vertitur. Nam ex puris particularibus nihil sequitur. Reducitur autem per impossibile ad Barbara. Postremo, Ferison reducitur ad Ferio, per conuersionem minoris simpliciter. Facile autem fuerit, per singulos modos exemplis declarare quod dictum est. Verùm nos prolixitatis vitandæ gratia sigillatim ea prosequi omittimus, vno aut altero exemplo contenti. Hic igitur syllogismus in Cesare, Nulla arbor est animal, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est arbor. sic reducitur ad Celarent, Nullum animal est arbor, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est arbor. Vbi nihil immutatum est, nisi quòd maior simpliciter est conuersa. Hic autem syllogismus in Camestres, Omnis homo est animal, nulla arbor est animal, igitur nulla arbor est homo. non ita facile ad Celarent reducitur. Pluribus enim opus est, nempe conuersione tam minoris quàm conclusionis simpliciter, & insuper præmissarum transpositione. Sic enim debet reduci, Nullum animal est arbor, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est arbor. Vides hic positam secundo loco

vniuersalem affirmatiuam, quæ in Camestres primum obtinebat locum, alteram autem præmissam vniuersalem negatiuam conuersam cernis, & insuper loco motam. Conclusionem quoque non eandem, sed eius conuertentem vides. Simili modo & in singulis modis reducendis, consideratione virtutis literarum, quæ in se continent ista artis vocabula, sese exerceant adolescentum ingenia.

Quomodo reductione hac ostensiua sit vtendum.

CAPVT XVI.

AD cognoscendum autem, quomodo per istam reductionem bonitas syllogismorum imperfectorum comprobetur, præsupponenda est maxima vna cui potissimum ista reductio innititur. Est autem hæc regula siue maxima: Quicquid « sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, idem sequitur ad « antecedens eiusdem. Qua maxima, vt certissima & per se nota « præsuppositа, si quis fortè neget aut dubitet syllogismum in Cesare esse bonum, aduersus illum sic procedetur. Præmissæ in Cesare dispositæ, per bonam consequentiam inferunt præmissas de Celarent. Sunt enim eædem, nisi quòd maior est conuersa simpliciter. Semper autem conuersa propositio in bona consequentia infert eam in quam conuertitur. Inferunt igitur secundùm bonam consequentiam præmissæ in Cesare, præmissas in Celarent, ac proinde (iuxta maximam) quicquid sequitur ad præmissas in Celarent, idem sequitur etiam ad præmissas in Cesare. Iam ad præmissas in Celarent sequitur conclusio in Celarent, quod negari non potest, cùm sit modus perfectus. Atque hæc est eadem conclusio cum illa in Cesare. Si igitur ex præmissis in Celarent illa conclusio sequitur, eadem quoq; ex præmissis in Cesare rectè sequetur. Iterum, si quis neget syllogismum in Camestres factum esse bonum, operosius quidem erit ostendere illius bonitatem, propterea quòd pluribus opus sit ad eius reductionem: sic tamen ostendetur. Præmissæ in Camestres inferunt præmissas in Celarent, quoniam eædem sunt, nisi quòd altera nempe minor est conuersa simpliciter, & facta est secundùm situm transpositio. Conuertens autem rectè sequitur ex conuersa, & propositionum tantùm secundùm locum transpositio nihil ad veritatem aut falsitatem facit. Manifestum est autem præmissas in Celarent inferre conclusionem in Celarent, quæ deinde infert suam conuertentem, quæ erat con

conclusio in Camestres. Procedendo igitur à primo antecedente ad vltimum consequens, fateri necesse est, ex præmissis in Camestres rectè sequi conclusionem in Camestres. Sic in tertia figura, si quis neget modum Darapti esse bonum, factúmque in eo syllogismum dicat non rectè concludere, sic agetur aduersus illum: Præmissæ in Darapti rectè inferunt præmissas in Darij, cùm prima vtrobique sit prorsus eadem, & secunda in Darij sit conuertens secundæ in Darapti. Quicquid igitur sequitur ad præmissas in Darij, sequitur & ad præmissas in Darapti, iuxta præsuppositam maximam. Iam ad præmissas in Darij citra controuersiam consequitur conclusio in Darij, quæ eadem est cum cõclusione in Darapti: igitur conclusio in Darapti rectè infertur ex præmissis in Darapti. Item proportionabiliter monstrari posset in singulis modis imperfectis omnium figurarum. Sed tria hæc exemplorum loco posita sufficiant.

De reductione per impossibile.

CAP. XVII.

ALIVS est modus reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos, qui appellatur reductio per impossibile vel ad impossibile. Hic non vtitur prædictis instrumentis, videlicet nec conuersione nec præmissarum transpositione: sed assumpto contradictorio conclusionis syllogismi imperfecti, cum altera præmissarum eiusdem syllogismi, disponit illas secundum aliquem modum primæ figurę perfectum, ex quibus deinde infert contradictorium vel contrarium præmissæ alterius relictæ & concessæ, sicque respondens ad impossibile deducitur, nimirum ad concedendum contradictoria vel contraria simul esse vera. Exemplo res obscura clarescat. Tu mihi negas syllogismum in Baroco istum: Omnis homo est animal, & aliqua arbor non est animal, igitur aliqua arbor non est homo: bonum esse, modúmque vtilem esse negas, qui per Baroco significatur. Ita aduersus te agam. Si malus est syllogismus ille, potest ergo antecedens dari verum conclusione existente falsa. Quòd si admittis, ponamus ita esse, vt sit conclusio falsa. Igitur eius contradictoria. Omnis arbor est homo, erit vera, cùm non possint duæ cõtradictoriæ simul esse falsæ. Assumo igitur maiorẽ prioris syllogismi, vnà cum hac quã modò admittis conclusionis cõtradictoria, iisque in Barbara ritè dispositis, sic colligo: Omnis homo est animal, & omnis arbor est homo, igitur omnis arbor est animal. Hanc syllogizandi formã, cùm sit euidẽs & perfe

cta, negare nemo potest, & antecedentis vtraque pars per te vera admissa est, igitur & conclusio vera erit. Atqui hæc ipsa est contradictoria alterius præmissæ prioris syllogismi reducendi, quam & ipsam confessus es veram esse. Fatearis ergo necesse est, vel duas contradictorias esse simul veras, vel syllogismum illum priorem in Baroco factum, bonum esse: nec posse conclusionem esse falsam præmissis existentibus veris. In hoc exemplo ad oculum facile quilibet videt, quemadmodum negans bonitatem syllogismi imperfecti, eò deducitur vt cogatur duas contradictorias simul veras admittere, idque per assumptionem contradictorij conclusionis, cum altera præmissarum syllogismi reducendi.

*** Sed hoc est in reductionibus istis aduertendum, quòd pro figurarum diuersitate, aliter & aliter disponi debet conclusionis contradictorium. In omnibus enim modis secundæ figuræ, contradictoria conclusionis ponenda est pro minore, & eadem est seruanda maior. In tertia, contradictoria conclusionis pro maiore est constituenda, & minor syllogismi reducendi seruatur eadem. Vnde consequenter sequitur, in secunda figura inferri oppositum minoris syllogismi reducendi: in tertia autem, oppositum maioris. Illius enim præmissæ oppositum debet concludi, quæ non assumitur in syllogismo per quem fit reductio. Et quidem in reductione syllogismorum secundæ figuræ, semper contradictorium infertur propositionis relictæ, id est minoris. In tertia autem non semper contradictorium, sed interdum contrarium: idque in duobus tantùm modis, Darapti & Felapton. Verùm illud in idem redit, cùm æquè sit impossibile contraria simul esse vera, vt contradictoria: imò ex admissione contrariorum simul verorum, inferuntur contradictoria quoque simul vera, vt patuit in legibus oppositionum

In modis autem imperfectis primæ figuræ, contradictorium conclusionis syllogismi reducendi accipiendum est pro maiore, ea autem quæ maior erat assumenda est in locum minoris, inferturque non immediatè oppositum minoris relictæ, sed tale quidpiam vnde eius oppositum sequatur. Exempli gratia, syllogismus iste in Baralipton, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur quædam substantia est homo. sic reducitur, Nulla substantia est homo, & omne animal est substantia, igitur nullum animal est homo. Hic vides oppositum contradictorium conclusionis poni pro maiore,

& prior

& prioris syllogismi maiorem pro alterius sumi minore, conclusionem autem inferri non immediatè oppositam minori relictæ syllogismi reducendi. Non enim istæ opponuntur, Omnis homo est animal. Nullum animal est homo. Veruntamen ad conclusionem illam: Nullum animal est homo, sequitur ista, Nullus homo est animal, quæ est minor illi verè contraria. Similiter in aliis modis considerandum. In reductione tamen Celantes ad Darij peculiare hoc est, vt contradictorium conclusionis pro minore constituatur, pro maiore autem illa sumatur quæ erat minor in syllogismo reducendo. Vt syllogismus iste in Celantes, Nullum animal est lapis, & omnis homo est animal, igitur nullus lapis est homo. sic reducitur ad Darij, Omnis homo est animal, & quidam lapis est homo, igitur quidam lapis est animal. Vides hic pro maiore positam eam quæ erat minor prioris syllogismi, contradictoriā autem conclusionis minorem, concludi verò non oppositum contradictorium relictæ maioris. sed tale aliquid vnde sequitur contradictorium eius. Per simplicem enim conuersionem sequitur. Quidam lapis est animal, igitur quoddam animal est lapis. quæ verè est maiori illi: Nullum animal est lapis, contradictoriè opposita.

Ad quos modos perfectos singuli imperfecti sint reducendi per impossibile.

CAP. XVII.

AD COGNOSCENDVM autem, qui imperfectorū modorum ad quos perfectos debeant reduci, nō eadem est habenda consideratio, quia superius vsi sumus in reductione ostensiua. Illic enim, secūdum initiales literas docuimus inuenire modum ad quem deberet reductio fieri. Verùm in hac reductione, id locum non habet. Baralipton enim non reducitur ad Barbara, sed ad Celarent. Celantes non ad Celarent, sed ad Darij. Cesare quoque non ad Celarent, sed ad Ferio, & ita in cæteris ferè. Superest igitur ad plenam huius rei notitiam quod nondum apertum est, & inuestigationis videtur esse profundioris, elucidare. Duobus autem modis id docebimus. Primo quidem, vsu quarundam vocum, deinde artis consideratione. Primo (inquam) vocum quarundam vsu hæc res indicatur. Pro quinque modis primæ figuræ, seruit verbum, Nesciebatis. Pro quatuor modis secundæ figuræ, verbum, Odiebam. Pro sex autem modis tertiæ, seruiunt hæ duæ voces, Letare Romanis. Aduerte autem, primum verbum quod pro modis primæ figuræ

ponitur, quinque habere syllabas, sicut quinque sunt eius figuræ modi imperfecti: secundum verbum quatuor habet syllabas, vt sunt quatuor modi secundæ figuræ. Duo alia vocabula simul sumpta, sex habent syllabas, iuxta numerum modorum tertiæ figuræ. In singulis autem syllabis, considera vocalem qualis sit. A, enim significat vniuersalem affirmatiuam. E, vniuersalem negatiuam. I, particularem affirmatiuam. O, particularem negatiuam. Deinde ordinem considera quem syllaba quælibet tenet, vt scias cuius modi debeas ex ea quærere reductionem. Quæ duo vbi attenderis tum demum considera, quis ex quatuor modis primæ figuræ talem conclusionem inferat, qualem & quantam tibi designat vocalis. Et pro certo habe, modum illum imperfectum qui per syllabam talem significatur, ad illum modum perfectum primæ figuræ reduci, qui talem habet conclusionem qualem significat vocalis eiusdem syllabæ.

Fiat exemplo clarum quod dicitur. In dictione Nesciebatis, prima syllaba Nes, locum tenet primi modi imperfecti Baralipton. Habet vocalem E, quæ significat vniuersalem negatiuã. In prima autem figura vnicus modus talem propositionem concludens est, Celarent. Hinc deprehendis, Baralipton reduci ad Celarent. Deinde secunda syllaba Ci, locum tenet secundi modi Celantes. Vocalis I, significat particularem affirmatiuã, quæ concluditur in Darij. Hinc certo colligis Celantes ad Darij reduci. Tertia syllaba E, locum tenet tertij modi Dabitis. Propositionem significat vniuersalem negatiuam, quæ concluditur in Celarent. Hinc colligis ad Celarent Dabitis reducendum. Ita quarta syllaba Ba, signat quartum modum Fapesmo reducendum ad Barbara, vbi vniuersalis affirmatiua concluditur. Vltima autem syllaba Tis, significat modum vltimum Frisesom reduci ad Darij. Similiter de modis secundæ figuræ dicendum. Huius vocabuli, Odiebam, quatuor sunt syllabæ. O significat Cesare reduci ad Ferio. Di, signat Cameſtres reduci ad Darii. E, signat Festino reduci ad Celarent. Bam signat Baroco reduci ad Barbara. Sic in tertia figura per vocabula illa, Lætare Romanis, idem significatur. Darapti enim inuenitur reduci ad Celarent, Felapton ad Barbara, Disamis ad Celarent, Datisi ad Ferio, Bocardo ad Barbara, Ferisom ad Darij. Secundo profundiori consideratione docebimus cognoscere huiusmodi modorum reducendorum ad eos per quos debeat

redu

reductio fieri, per portionem. Tenendum imprimis firma memoria, quod suprà dictum est, in secunda figura eandem seruari maiorem, & pro minore sumendam esse contradictoriam cõclusionis: in tertia autem econtrariò, pro maiore accipi contradictoriam, minorem autem seruari: quæ differentia versiculis his duobus non admodum eruditis, sed ad hanc rem apprimè commodis, facilè memoriæ commendatur.

Versiculi.

Seruat maiorem, variatque secunda minorem,
Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

Statim igitur vbi scire volueris, ad quem modum propositum syllogismum imperfectum debeas reducere, considera eius conclusionem, & ipsius contradictoriam, qualis sit & quanta. Deinde hanc compone cum maiore aut minore, quæ pro ratione figuræ erit assumenda pro altera præmissa, & attende diligenter in quo modo primæ figuræ perfecto præmissæ illæ simul iunctæ sint dispositæ. Hinc certissimè colliges modum, ad quem debet syllogismus reduci. Exempli gratia, hic syllogismus in Cesare mihi proponitur: Nullus lapis est anima, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est lapis. Volo iuxta hanc artem dispicere, ad quem modum debeam illum reducere. Videbo mox cõclusionem, quæ est vniuersalis negatiua, cuius proinde contradictorium est particularis affirmatiua. Hæc mihi in syllogismo perfecto pro minore esse debet. Maior autem, quæ est seruanda ex syllogismo reducendo vniuersalis est negatiua. Vniuersalem autem negatiuam maiorem & particularem affirmitiuam minorem scio in prima figura præmissas esse in Ferio. Certissimum igitur mihi erit Cesare reduci ad Ferio. Ita in Camestres considero conclusionem vniuersalem negatiuã eius proinde contradictoria esse debet particularis affirmatiua, quæ mihi est constituenda minor in reductione cum maiore seruata vniuersali affirmatiua. Vniuersalis autem affirmatiua pro maiore, & particularis affirmatiua pro minore, in Darij sunt premissæ. Nihil igitur dubium, quin debeat ad Darij reduci Camestres. Similiter ostendi posset in singulis modis imperfectis. Verum nos vno & altero exemplis propositis reliqua adolescentum ingenijs, pro exercitio similiter deducenda relinquimus.

De quibusdam apud Aristotelem tractatis, quæ vocantur præsupposita.

CAP. XVIII.

PONIT Aristoteles quædam, quæ vocant præsupposita, quæ

in tractatu syllogismorum quasi cognita præsupponuntur, & ex dictis syllogismis statim innotescunt. Quæ nos paucis enumerabimus simul & declarabimus quâtùm ad ea in quibus nõdum plena facta est declaratio. Sunt igitur huiusmodi præsupposita quatuor.

Quatuor præsupposita.

Primum præsuppositum. Omnis syllogismus est in aliqua trium figurarum, & omnes syllogismi aliarum figurarum per primam perficiuntur.

Secundum. In omni syllogismo, aliquam præmissarum esse affirmatiuam, & aliquam vniuersalem est necesse.

Tertium. Omnis syllogismus ex tribus terminis & non pluribus constat.

Quartum. Quædam propositiones difficulter syllogizantur, quædam facilius.

Primum præsuppositum ampliori declaratione non indiget, cùm abundè iam sit ostensum in præcedentibus. Similiter & secundum ex dictis est notum. Circa tertium autem nota, debere ipsum intelligi de syllogismo simpliciter vno & non aucto. Interdum enim syllogizando adiicitur maiori aut minori alia propositio, velut ipsius probatio & confirmatio, antequam ad conclusionem veniatur: & hic vocatur syllogismus auctus, eò quòd augeatur termino aliquo vel propositione vltra consuetam syllogismi formam. Et interdum quidem ex maiore venit augmentum istud, interdum ex minore, interdum ex vtraque. Ex maiore cum sic colligo, Omnis homo est capax disciplinæ, quia omne animal rationale est capax disciplinæ, & Ioannes est homo, igitur Ioannes est capax disciplinæ. Ex parte minoris tantùm, Omnis homo est capax disciplinę, Ioannes est homo, quia ipse est animal rationale, igitur Ioannes est capax disciplinæ. Ex parte vtriusque, Omnis homo est capax disciplinæ, quia omne animal rationale est capax disciplinæ: & Ioannes est homo, quia est animal rationale, igitur Ioannes est capax disciplinæ. Huiusmodi syllogismi dicuntur syllogismi non simpliciter vni, sed aucti: quoniam plures in se virtute continent

syllo

syllogismos. In adiectione namque probationis ad maiorem, syllogismus vnus implicatur: similiter & in adiectione probationis ad minorem. Si igitur plures hic sint secundum virtutem syllogismi & non vnus, nihil mirum, si plures tribus numerentur termini. In syllogismo autem simpliciter vno nunquam nisi tres inuenientur.

Circa autem quartum præsuppositum nota quòd illam propositionem intelligimus difficulter syllogizabilem, quæ in pauciboribus figuris & modis potest pro conclusione inferri: illam autem facilius, quæ in pluribus figuris aut modis inferri potest. Atque hinc patet, quod inter omnes propositiones, vniuersalis affirmatiua omnium difficillimè syllogizatur. Solum enim in prima figura, & in vnico modo potest concludi. In secunda enim figura oportet conclusionem esse negatiuam, & in tertia particularem. Vniuersalis autem negatiua syllogizatur in duabus figuris, prima & secunda: in prima quidem vno modo perfecto Celarent: in secunda autem, per duos modos, Cesare & Camestres. Est igitur facilius syllogizabilis vniuersali affirmatiua. Particularis affirmatiua concluditur in prima & tertia: in prima quidem, vno modo, in tertia autem tribus, nempe Darapti, Disamis, Datisi. Non autem in secunda, vbi conclusio semper debet esse negatiua. At verò particularis negatiua, in omnibus figuris syllogizatur, in prima quidem vno modo: in secunda duobus, Festino & Baroco: in tertia autem tribus, Felapton, Bocardo, Ferison. Omnium igitur facillimè syllogizatur particularis negatiua, sicut omnium difficillimè vniuersalis affirmatiua. Medio autem modo se habent vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua. Sicut autem vniuersalem affirmatiuam cõstruere est difficillimum & particularẽ negatiuam construere facillimum: ita econtrariò vniuersalem affirmatiuam destruere est facillimum, difficillimum autem, destruere particularem negatiuam. Construere autem aliquam propositionẽ in proposito, est eam probare veram. Destruere autem, falsam ostendere, aut oppositum eius inferre. Illa enim destruitur facilius, cuius falsitas potest pluribus modis siue per plura ostendi: & illa difficilius, cuius falsitas per pauciora potest monstrari. Vniuersalis autem affirmatiua destruitur, & per vniuersalem negatiuam sibi contrariam, quæ in duabus figuris syllogizatur: & per particularem negatiuam contradictoriam, quæ in omnibus. Particularis autem negatiua, non de-

stru

ſtruitur niſi per vniuerſalem affirmatiuam, quæ vnica figura & vnico modo poteſt concludi. Illa igitur facillimè deſtruitur, hæc difficillimè. Vniuerſalis autem negatiua & particularis affirmatiua medio modo ſe habent. Vniuerſalis enim negatiua deſtruitur per vniuerſalem affirmatiuam contrariam, quæ tantùm vnico modo cõcluditur: & per particularem affirmatiuam, quæ in duabus figuris & in tribus modis concluditur. Particularis autem affirmatiua deſtruitur tantùm per vniuerſalem negatiuam, quæ concluditur in vno modo primæ figuræ, & in duobus ſecundæ.

Notabile dictum Ariſtote.

Huius autem propoſiti declarationem Ariſtoteles verbo notatu digno concluſit dicens: Omnino non latére oportet, vniuerſalia per particularia deſtrui, & particularia per vniuerſalia, & non conſtrui vniuerſalia per particularia, quamuis econuerſo. Inſuper manifeſtum eſt, quoniam deſtruere facilius eſt quàm conſtruere. Priorem huius notabilis dicti partẽ, pulchrè & particulatim leges explicant propoſitionum contradictoriarum, & ſubalternarum. Contradictoriæ enim ſunt, vniuerſalis & particularis oppoſitæ qualitatis. Deſtruuntur igitur vniuerſalia per particularia, & econtrariò. Vniuerſalis autem & particularis eiuſdem qualitatis, ſubalternæ ſunt: quarum illa hanc infert & probat, non autem econtrariò. Secunda autem pars ex hoc manifeſta eſt, quoniam ad declarandam veritatem pluribus opus eſt. Si enim vel vnum aliquid defuerit, ſtatim falſitas argui poteſt. Vnde quemadmodum de bono & malo dici ſolet, bonum eſſe ex integra cauſa, malum autem ex particularibus defectibus: (Vnius enim ſolius circunſtantiæ defectu fit malum) ita de veritate & falſitate dici ſimiliter poteſt, veritatem ex integra cauſa conſtare, falſitatem ex particularibus defectibus. Vnde hæc propoſitio: Omnis homo eſt riſibilis, falſa probaretur, ſi vel vnus ex omnibus poſſet inueniri hominibus, cui non prædicatum conueniret.

De arte inueniendi medium.

CAPVT XIX.

**** Quæ ſequuntur vſque ad c. 27. feſtinus le-*

DOCET quoque certis regulis Ariſtoteles quomodo ad vnamquanque concluſionem probãdam commodum medium inuenire valeamus. Aliter enim & aliter ſumendum eſt medium, pro qualitate concluſionis quam probare intendimus. Non enim eodem modo quærendum eſt medium ad concludendum vniuerſalem affirmatiuam, quo ad vniuerſalem negatiuam:

tiuam: nec similiter ad vniuersalem & ad particularem. Ponit autem pro huius rei notitia ille quatuor regulas, in hunc modum:

ctor sine graui dã-no poterit trãsilire.

Quatuor regulæ pro inuentione medij.

Prima regula. Concludere volentibus vniuersalem affirmatiuam, sumendum est consequens subiecti, & antecedens prædicati.

Secunda. Ad concludendum particularem affirmatiuam, antecedens ad vtrunque extremorum sumendum est.

Tertia. Ad concludendum vniuersalem negatiuam, sumetur consequens subiecti & extraneum ad prædicatum, vel consequens prædicati & extraneum subiecti.

Quarta. Ad concludendum particularem negatiuam, sumendum est antecedens subiecti & extraneum prædicati.

Pro quarum regularum intellectu, prius quid sit subiectum, quid consequens, quid extraneum dicendum. Per consequens subiecti aut prædicati, intelligit terminum qui infertur ex alio, sicut genus ex specie, species ex individuo, & omne magis commune ex minus communi. Antecedens autem dicitur, terminus ex quo infertur alius, vt species est antecedens generis, & omne minus commune est antecedens magis communis. In terminis autem conuertibilibus, vterque ad alterum dici videtur, & antecedens & consequens: quoniam vicissim se inferunt, & inferuntur ex seinuicem. Extraneum autem subiecti aut prædicati, intelligit terminum disparatum, qui scilicet vniuersaliter posit de illo negari, vt homo est extraneum bruto, & lapis homini.

Quo præmisso, sic intellige primam regulam. Si conclusio quam probare intendis sit vniuersalis affirmatiua, pro medio ad illam conclusionem probandam, sumendus erit tibi aliquis talis terminus, qui sit consequens subiecti conclusionis, & prædicati eius antecedens. Sit, exempli gratia: ista tibi probãda, Omnis homo est sensibilis, pro medio accipies terminum animal, qui est genus,

est genus,& consequens subiecti homo,& antecedens prædicati sensibile,eo quòd sequatur sensibile ad animal. Sic igitur argumentare,Omne animal est sensibile,& omnis homo est animal,igitur omnis homo est sensibilis. Et seruit hæc regula tantùm pro prima figura. Secundæ autem regulæ sensus est,Si velis probare conclusionem aliquam particularem affirmatiuam,pro medio ad hoc commodo cõsidera terminum aliquem, qui inferat ex se tam subiectum quàm prædicatum conclusionis. Per huiusmodi enim terminum propriissimè efficies propositum. Sit,exempli gratia,ista probanda, Aliqua substantia est incorruptibilis. Accipe terminum spiritus,qui est antecedens ad vtrunque extremum conclusionis, sicque argumentare, Spiritus est incorruptibilis,& omnis spiritus est substantia, quædam igitur substantia est incorruptibilis. Seruit autem hæc regula maximè pro tertia figura,ex qua propriissimè probatur particularis affirmatiua. In prima enim figura cùm infertur particularis affirmatiua,medium quod accipitur non debet esse antecedens ad vtrunque extremum. Sufficit enim quòd sit antecedens ad prædicatum,ad subiectum autem non debet esse antecedens. Tertiæ regulæ hic est sensus,Si probare volueris propositionem aliquam vniuersalem negatiuam, vide quæras pro medio terminum,qui inferat subiectum conclusionis,& negetur omnino de prædicato, aut econtrariò qui inferat prædicatum,& omnino de subiecto negetur. Sit exempli gratia hæc probanda,Nullus homo est asinus. Pro medio cape terminum animal rationale,qui infertur ex subiecto homo tanquàm conuertibile ex conuertibili: est autem extraneus ad prædicatum asinus,quoniam nulli asino conuenit, atque hoc medio sic procede,Nullum animal rationale est asinus, & omnis homo est animal rationale,igitur nullus homo est asinus. Vel ad eandem conclusionem probandam accipe pro medio brutum,qui terminus est consequens prædicati asinus,nimirum ipsius genus: est autem extraneus ad subiectum homo: sicque syllogismum confice in secunda figura in Camestres,Omnis asinus est brutum, & nullus homo est brutum,igitur nullus homo est asinus. Vnde patet hanc regulam seruire primæ figuræ & secundæ, illi quidem ex parte priori,huic autem ex parte posteriori.

Quartæ regulæ hic est sensus,Cùm volueris syllogisticè probare propositionem aliquam particularem & negatiuam, tale aliquod medium dispice,quod sit ad subiectum conclusionis antece

tecedens,& ad prædicatum extraneum: ex hoc enim rectè conficies propositum. Exempli gratia, probanda mihi sit ista, Aliquod animal non est homo. pro medio accipiã terminum brutum, qui est antecedens ad animal,& extraneum ad hominem. Hócque medio ita syllogizabo in tertia figurã, Nullum brutum est homo,& omne brutum est animal, igitur aliquod animal non est homo, idque in Felapton. Vel in Bocardo. per maiorem particularem sic, Aliquod brutum nõ est homo,& omne brutum est animal. igitur aliquod animal non est homo. Vel in secunda figura in Festino, per idem medium sic, Nullus homo est brutum, & quoddam animal est brutum, ergo quoddam animal non est homo. In prima quoq; figura per idem medium sic, Nullum brutum est homo,& aliquod animal est brutũ, igitur aliquod animal non est homo. Hinc patet, quòd regula ista pro omnibus figuris seruiat, eo quòd particularis negatiua sola vbique concludatur.

De syllogismorum potestatibus.

CAPVT XX.

PONIT quoque Aristoteles aliquot syllogismorum potestates, id est, peculiaria quædam, quæ per syllogismos possunt fieri. Sunt autem numero sex, quæ sic enumerantur, Potestas plura concludendi, potestas verum ex falsis syllogizandi, potestas circulariter syllogizandi, potestas conuersiuè syllogizandi, potestas ad impossibile syllogizandi,& potestas syllogizandi ex oppositis. *Sex potestates syllogismorum.*

Quantum ad primam potestatem plura concludendi, nota, quod pluribus modis intelligi potest, syllogismum aliquem plura concludere. Primo, ex parte conclusionis, ex qua consequenter inferri potest ipsius conuertens. Vnde præmissæ in Barbara inferunt conclusionem suam,& per illam ipsius conuertentem. Nam(vt suprà dictum est) quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, idem sequitur & ad antecedens eiusdem. Item omnes syllogismi vniuersales, id est, qui vniuersaliter concludunt, plura syllogizant, Omnis enim conclusio vniuersalis conuertitur affirmatiua per accidens, negatiua autem simpliciter, Item omnes syllogismi concludentes particularem affirmatiuam similiter plura possunt concludere: quoniam & ipsa simpliciter conuertitur. Qui autem particularem negatiuam concludunt, hac ex parte non habent potestatem concludendi plura: quoniam illa non conuertitur conuersione *Prima potestas.*

sione syllogismis accommoda. Insuper, ex parte conclusionis & aliter contingit plura concludere, quoniam si vniuersalis fuerit conclusio, infert ex se particularem sibi subalternam, iuxta legem subalternarum. Si autem particularis fuerit conclusio hac ex parte non potest concludere plura: quoniam ex particulari non sequitur vniuersalis.

Secundo accipimus hanc potestatem plura concludendi per nouam subsumptionem, idque rursum dupliciter. Vel per subsumptionem plurium minorum extremitatum sub medio: vel per subsumptionem sub subiecto conclusionis. Exemplum primi modi: Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. item, Omnis equus est animal, igitur omnis equus est substantia. item omnis leo, item omnis asinus, & ita in omnibus speciebus. Verùm hoc modo satis impropriè dicitur syllogismus aliquis plura concludere, quoniam altera semper præmissarum, nempe minor, variatur. Dicitur tamen syllogismus aliquo modo vnus ratione præcipuæ partis, nempe maioris, vnde est præcipua vis illationis, quæ eadem manet & inuariata. Ex parte autem conclusionis, per subsumptionem sic concluduntur plura, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia: &, Petrus est homo, igitur Petrus est substantia. Ita in cæteris indiuiduis. Hoc autem modo non possunt concludere Plura syllogismi concludentes particulariter, quoniam fieret subsumptio sub medio non accepto vniuersaliter, procederetúrque maiore particulari in prima figura.

De potestate verum ex falsis concludendi.

CAPVT XXI.

Secunda potestas.

QVANTVM ad secundam potestatem, quæ est, verũ syllogizandi ex falsis, sciendum est, non hoc esse peculiare syllogismo, sicut nec præcedens potestas syllogismo est propria, sed etiam aliis conuenit argumentationum formis. Est enim regula & maximè infallibilis, ex veris nunquam posse nisi verum inferri, in quacunque argumentatione bona. Ex falsis autem inferri verum, nihil prohibet. Exempli gratia: hic est syllogismus bonus in Barbara, Omne animal est arbor, & omnis pyrus est animal, igitur omnis pyrus est arbor. Formam argumentandi certissimam atque perfectam vides, qua non possit esse euidentior. Ambæ autem præmissæ manifestam habent falsitatem imò impossibilitatem: conclusione tamen nihil

nihil est verius, cùm prædicetur genus de specie. Hoc tamẽ sciẽdum, quòd conclusio nunquam potest esse vera propter præmissarum falsitatem, neque potest inferri conclusio vera ex præmissis falsis, tanquam ex causa suæ veritatis. Impossibile enim est, vt falsitas sit causa veritatis, nec potest veritas inniti falsitati.

De syllogismo circulari. CAP. XXII.

Tertia potestas.

» CIRCVLARITER syllogizare Aristoteles ità definit: Per
» conclusionem & conuertentem alterius præmissarum in-
» ferre reliquam præmissarum syllogismi prioris. Idem appellat ex seinuicem ostendere, id est, ostendere vicissim per conclusionem præmissam, sicut ipsa ostendit conclusionem. Exempli gratia, hoc syllogismo proposito, Omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, maior sic syllogizabitur circulariter: Omnis homo est risibilis, & omne animal rationale est homo, ergo omne animal rationale est risibile. Minor autem sic, Omne risibile est animal rationale, & omnis homo est risibilis, igitur omnis homo est animal rationale. Vides in syllogismo posteriori ex conclusione prioris syllogismi accepta pro maiore vel pro minore, & conuertente alterius præmissarum, inferri reliquam præmissarum prioris syllogismi. Oportet autem huiusmodi circulares syllogismos fieri in terminis conuertibilibus, cuiusmodi sunt termini propositi, animal rationale, risibile, homo. Alioqui enim non valeret conuersio vniuersalis affirmatiuæ in vniuersalem affirmatiuam, cuius est vsus in hac syllogizatione. Nusquam enim talis conuersio valet, nisi gratia materiæ in terminis conuertibilibus.

De syllogismo conuersiuo. CAP. XXIII.

Quarta potestas.

» CONVERSIVE syllogizare (iuxta Aristotelis definitionẽ)
» est, ex opposito aut cõtrario cõclusionis cum altera præ-
» missarũ interimere reliquã. Docet quoq; id fieri diuersimodè. Maiorẽ enim primæ figuræ dicit interimi per tertiã, ex eadem minore & opposito, vel contrario conclusionis pro maiore, minorem autem per secundam ex eadem maiore. Exempli gratia, huius syllogismi in barbara, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. maior sic interimitur, per syllogismum conuersiuum, Nullus homo est substantia, & omnis homo est animal, igitur aliquod animal non est substantia. Hic sumitur contrarium conclusionis.

Sufficeret tamen sumere contradictorium, ad eandem conclusionem inferendam in Bocardo. Minor autem sic interimitur, per syllogismum conuersiuum, Omne animal est substantia, & aliquis homo non est substantia, igitur aliquis homo non est animal. Secundæ autem figuræ maior interimitur per tertiam, minore prioris syllogismi posita pro maiori alterius, & conclusionis oppositio pro minore posito. Minor autem per primam, manente eadem maiori. Exempli gratia, huius syllogismi in Cesare. Nullus lapis est animal, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est lapis. maior sic interimitur, Omnis homo est animal, & aliquis homo est lapis, igitur aliquis lapis est animal. Minor autem sic, Nullus lapis est animal, & aliquis homo est lapis, igitur aliquis homo non est animal.

Tertiæ autem figuræ maior, per primam interimitur, manente eadem minore: & minor per secundam, sumpta maiore pro minore. Vt huius syllogismi, Omnis homo est animal, & omnis homo est substantia, igitur quædam substantia est animal. Maior sic interimitur: Nulla substantia est animal, & omnis homo est substantia, igitur nullus homo est animal, vel quidam homo non est animal. Minor autem sic, Nulla substantia est animal, & omnis homo est animal, igitur quidam homo non est substantia, vel nullus homo est substantia.

De syllogismo per impossibile.

CAP. XXIIII.

Quinta potestas.

PER impossibile syllogizatur, quando propositione aliqua « vera negata, proceditur ex eius contradictorio, cum alia « propositione manifestè vera ad inferendum manifestè fal- « sum: ex cuius interemptione consequenter fit regressus, ad « interimendum contradictorium propositionis veræ negatæ: « ac deinde ex consequenti, ad destruendam veritatem illius, « quæ à principio fuit negata. Vt si quis neget hanc propositionem, Omnis homo est risibilis. ita contra ipsum procedetur, Omne animal rationale est risibile, & aliquis homo non est risibilis, igitur aliquis homo non est animal rationale. Conclusio est manifestè falsa, & non maior, quæ est manifestè vera, ergo minor, quæ est contradictoria propositionis negatæ. Quòd si hæc est falsa, erat igitur illa ab initio negata vera, cùm non possint contradictoriæ ambæ simul esse falsæ. Differt autem hic syllogismus per impossibile à syllogismo conuersiuo, quoniam conuersiuus semper præsupponit alium syllogism

logismum, syllogismus autẽ per impossibile non. Sufficit enim, propositionem aliquam esse negatam, siue in syllogismo, siue extra syllogismum id fuerit.

De syllogismo ex oppositis.

CAPVT XXV.

» SYLLOGISMVS dicitur ex oppositis, in quo ex præmissis cõ *Sexta po-*
» Strariis vel contradictoriis infertur conclusio, in qua negatur *testas.*
» idem de seipso. Vt in hoc syllogismo, Omnis homo est substantia, & nullus homo est substantia, igitur nullus homo est homo. Ex contradictoriis sic, Omnis homo est substantia, & aliquis homo non est substantia, igitur aliquis homo non est homo. Interdum verò proceditur ex præmissis formaliter contrariis vel contradictoriis, ad illationem conclusionis, in qua formaliter & expresè idem negatur de seipso, vt in exemplis iam propositis. Interdum verò ex præmissis tantùm æquiualenter contrariis, vel contradictoriis ad conclusionem in qua æquiualenter idem de seipso negatur. Aequiualenter autem oppositas dicimus præmissas, quando ex se possunt per bonam consequentiam inferre formaliter oppositas. Vt cùm sic argumentor, Omne animal est substantia, & aliquis homo non est substantia, igitur aliquis homo non est animal. Præmissæ non sunt contradictoriæ, quoniam non participant vtroque termino. Inferunt tamen verè contradictorias, quoniam secunda illa: Aliquis homo non est substantia, rectè infert hanc: Aliquod animal non est substantia. quæ est formaliter priori contraria. Item in conclusione, cùm dicitur: Aliquis homo non est animal. negatur æquiualenter idem de seipso, quoniam ex illa rectè infertur ista: Aliquis homo non est homo. in qua formaliter idem negatur de seipso. Valet autem hic syllogismus ex oppositis, contra eos qui fortè vel per inaduertentiam, vel per proteruiam admitterent, duas propositiones sic oppositas formaliter, vel æquiualenter. Per illationem namque talem, in qua idem negatur de seipso, manifestissimè conuincuntur: quoniam sicut non est propositio apparentioris & certioris veritatis, quàm affirmatiua illa in qua idem affirmatur de seipso: ita non est vlla propositio magis falsa aut magis apparenter falsa, illa in qua idem negatur de seipso. Deniq;, & hoc est aduertendum, non posse hunc syllogismum fieri ex quibuslibet oppositis. Nam ex subcontrariis non valeret. Ambæ enim sunt particulares. Ex puris autem particularibus, nihil syllogisticè sequitur. Ex con-

trariis autem & contradictoriis valet.

De tribus defectibus syllogismorum.

CAPVT XXVI.

SVBIVNGIT quoque prædictis Aristoteles tres syllogismorum defectus, quos, quia non ita multum videntur ad propositum facere, breuissimis tantùm perstringemus. Primus defectus est, petere principium: quod tunc ait fieri, quando in syllogismo aliquo non ostenditur propositum, vtpote cùm per ignotiora proceditur, vel æquè ignota. Vt quando idem per idem probatur, & vniuersaliter quandocunque præmissæ non possunt probare cõclusionem, vt in hoc syllogismo est petitio principij: Omnis homo est homo, & omnis homo est homo, ergo omnis homo est homo. Item in isto, Omnis homo est capax disciplinæ, & omne animal rationale est homo, igitur omne animal rationale est capax disciplinæ. Conclusio enim est notior, præmissa maiore. Secundus syllogismorum defectus appellatur non propter hoc accidere falsum, quod tunc contingere dicit Aristoteles, quando syllogizando falsitas conclusionis illatæ imputatur alicui propositioni in antecedente, quæ verè non est causa falsitatis conclusionis. Fitque hoc in syllogismis illis, in quibus est aliqua præmissa superflua. Vt sic procedendo, Sol lucet, & omne animal est homo, & omne brutum est animal, igitur omne brutum est homo. conclusio est falsa, igitur aliqua propositio antecedens: non autem minor illa, Omne brutum est animal, igitur prima illa, Sol lucet. Hìc manifestum est falsitatem conclusionis imputari illi quæ non est causa: quoniam superflua est, & ea ablata æquè sequeretur conclusio. Perinde autem est, siue propositio superflua conueniat cum altera præmissarum in aliquo termino, siue non. Tertium defectum nominat Aristoteles falsam contrariæ opinionis, quæ tunc contingit, quando aliquis fallitur, concedendo ambas præmissas duorum syllogismorum, ex quibus sequuntur duæ propositiones contrariæ vel contradictoriæ. Fit autem hoc, quando admittit quis duo prædicata verè & vniuersaliter prædicari de vno aliquo subiecto, ac deinde aliud prædicatum de altero duorum priorum verè & vniuersaliter prædicari, de altero autem negari. Vt si (exempli gratia) admittat quis de homine prædicari vniuersaliter duo hæc prædicata, animal & risibile: concedat que has duas veras esse, Omnis homo est animal, Omnis homo est risibi

Primus defectus.

Secundus defectus.

Tertius defectus.

risibilis, admittat quoque simul: terminum sensibile prædicari de animali vniuersaliter: negari autem de risibili, vt concedat etiam has duas! Omne animal est sensibile. Nullum risibile est sensibile. ex hac admissione cogetur per vim syllogismorum, ad concedendum contraria hoc modo, acceptis namque duabus illis propositionibus cõcessis, Omne animal est sensibile. Omnis homo est animal, per syllogismum in Barbara, infero hanc conclusionem: Omnis homo est sensibilis. Acceptis alijs duabus: Nullum risibile est sensibile. Omnis homo est risibilis. In Celarent hanc infero, Nullus homo est sensibilis: quæ sunt duæ conclusiones manifestè contrariæ.

De syllogismis ex obliquis. CAP. XXVII.

HACTENVS autem syllogismos tantùm eiusmodi tractauimus, in quibus omnes termini casu recto ponebantur. Nunc autem & de iis dicẽdum, qui terminum aliquem vel terminos plures habent in obliquo casu positos, quomodo possint debeántque concludere. Sciendum ergo est, quòd aliquando medium in obliquo ponitur, aliquando altera extremitatum. Quando altera extremitatum in obliquo ponitur in præmissis, similiter poni eadem debet & in conclusione. Vt, Omne iumentum est hominis, & omnis asinus est iumentũ, igitur omnis asinus est hominis. Hìc maior extremitas vtrobique in obliquo ponitur. Cum autem ita syllogizo, Omnis asinus est animal, & Petri est asinus, igitur Petri est animal. minor extremitas vtrobique similiter ponitur. Cùm verò medium in obliquo ponitur, tunc maior est adhibenda cautio, vt rectè concludatur. Interdum enim medium in maiore tantùm ponitur obliquè, interdum in minore tantùm, interdum vtrobique. Exemplum primi modi: Omnis hominis est asinus, & Petrus est homo, igitur Petri est asinus. Exemplum secundi, Omnis homo est animal, & asinus est hominis, igitur asinus est animalis. Exemplum tertij, Nullus leo est hominis, & omnis asinus est hominis, igitur nullus asinus est leo.

Fiunt quoque syllogismi in omnibus obliquis. In genitiuo sic, Omnis entis est scientia, & homo est ens, igitur hominis est scientia. In datiuo, Omni homini conuenit sensum ratione moderari, adolescens est homo, igitur adolescentis est sensum ratione moderari. In accusatiuo, Omnes homines iudicabit altissimus, & reges homines sunt, igitur & reges iudicabit altis-

simus. In ablatiuo, In omni loco est Deus, locus desertus est locus, igitur & in loco deserto est Deus. Ab omni peccato diligentissimè est cauendum, & superbia est peccatum, igitur à superbia est diligentissimè cauendum. De omni verbo otioso reddenda est ratio, & hoc est verbum otiosum, igitur de hoc est reddenda ratio. *** Ad rectè autem concludendum, potius consulenda est vis intellectus, & acumen rationis magis attendendum, quàm regularum multarum traditio. Non fuerit tamen inutile, vnam aut alteram regulam ad certè concludendum hic constituere. Sit igitur prima regula ista. In omnibus modis affirmatiuis cuiuscunque figuræ, si altera præmissarum sit de obliquo, conclusio quoque esse debet de obliquo. Et de extremitatibus quidem iam suprà diximus, si earum altera in præmissis posita fuerit in obliquo, debere eam poni similiter in conclusione. Cùm verò medium in altera ponitur in obliquo, hoc est obseruandum, vt extremitas illa quæ in præmissis cum medio ponitur in recto, in conclusione non ponatur in recto, sed in obliquo: contra verò, ea quæ in præmissis cum medio in obliquo ponebatur, in conclusione ponatur in recto, & non in obliquo. Exempli gratia, ex his præmissis: Quilibet homo est animal, & omnis asinus est hominis. sequitur hæc conclusio, Omnis asinus est animalis. vbi maior extremitas ponitur in genitiuo in conclusione, quæ in præmissa maiore fuit posita cum medio recto: contrà autem, minor extremitas ponitur in recto, quæ in minore cum medio obliquo posita fuerat. Non autem posset ex dictis præmissis talis inferri conclusio, Omnis asini est animal. Ex istis autem præmissis, cuiuslibet hominis est asinus, & Petrus est homo. inferri debet hæc conclusio, Petri est asinus. non ista, Petrus est asini. Quòd autem non possit inferri ex prædictis præmissis conclusio penitus de recto, manifestum est. Secunda regula. In modis negatiuis, quando syllogizatur ex altera de recto & altera de obliquo, si negatiua fuerit de obliquo, sequitur conclusio de obliquo. Si verò affirmatiua fuerit de obliquo, & negatiua de recto, non similiter fiet syllogismus. Prima pars declaratur hoc exemplo, Nullius animalis est æternitas, & omnis homo est animal, igitur nullius hominis est æternitas. Syllogismus iste nihil habet vitij. In secunda item figura rectè sequitur, Intellectus non est bruto, & simia est brutum, igitur simiæ non est intellectus. In tertia quoque figura valet: Nullius bruti

Prima regula.

Secunda regula.

est in

est intellectus, & omne brutum est animal, igitur alicuius animalis non est intellectus. Secunda autem pars huius regulæ declaratur: quoniam syllogismus iste non concludit, Nullus homo est Deus, & omne iumentum est hominis, igitur nullum iumentum est Dei. Posset tamen ex illis præmissis rectè inferri hæc conclusio. Omne iumentum est alicuius quod non est Deus. Nec iste valet in secunda figura, Omne iumentum est hominis, & Deus non est homo, igitur Dei non est iumentum. Sequitur tamen, Igitur alicuius quod non est Deus, est iumentum. Nec iste in tertia: Homo non est Deus, & cuiuslibet hominis est asinus, igitur asinus non est Dei. Sequitur tamen, Igitur asinus est alicuius quod non est Deus. Fiunt quoque & aliter syllogismi ex obliquis, in propositionibus æquialenter hypotheticis siue conditionalibus: cùm videlicet pro maiore assumitur aliqua propositio æquialens vni hypotheticæ suæ conditionali, cuiusmodi est ista, Cuiuscunque est anima, huius est vita. Aequialet enim huic conditionali: Si alicuius est anima, illius est vita. Ex hac itaque pro maiore posita, sic syllogizatur: Cuiuscunque est animal, illius est vita: omnis plantæ est anima, igitur omnis plãtę est vita. Negatiuè sic, Cuiuscũque non est anima, illius non est vita: auri non est anima, igitur auri non est vita. Debet enim conclusio disponi secundum exigentiam maioris. Interdum enim infertur conclusio de obliquo, vt in exemplo iam dato. Interdum in recto, vt sic procedendo: Cuiuscunque est anima, illud viuit: plantæ est anima, igitur planta viuit. Verum hi syllogismi potius videntur formam sequi hypotheticorum, quàm simplicium syllogismorum. Vnde congruum videtur, vt ex hoc loco à syllogismis categoricis, de quibus hactenus sufficienter pro nostro instituto (vt arbitror) tractatum est, ad syllogismos hypotheticos siue conditionales transeamus.

De syllogismis hypotheticis.

CAP. XXVIII.

De syllogismis hypotheticis.

Syllogismi hypothetici sunt, argumentationes quæ ex vna principali hypothetica propositione procedunt. Secundum autem quod supra diximus esse diuersas species propositionum coniunctarum, quas hypotheticas communi nomine vocant, sic & species diuersas esse syllogismorum hypotheticorũ est consequens. Inter omnes tamen præcipui sunt illi, qui fiunt ex propositione conditionali: sunt tamen & alii, qui fiunt ex propositionibus copulatiuis & disiunctiuis. Ponemus autem

hypotheticorum huiusmodi syllogismorum aliquot modos, eos
Primus modus. præcipuè qui maximè videbuntur vtiles. Primus modus est, « quando proceditur à tota conditionali, cum positione antece- « dentis, ad positionem consequentis. Sic enim valet semper illa- « tio, vt cùm ita procedo: Si homo est, animal est: sed homo est, igitur animal est. Contra verò, à positione consequentis non valet processus. Vt non sequitur, Si homo est, animal est: at animal est, igitur homo est. Huius ratio est, quoniam conditionalis significat consequens sequi necessariò ex antecedente, non autem antecedens ex consequenti. Vnde oportet antecedente posito consequens poni, non autem econtrario. Idem autem est, si ambæ partes conditionalis fuerint negatiuæ. Vt sic procedendo: Si animal non est, homo non est: & animal non est, igitur homo non est. Aut si altera partiũ fuerit affirmatiua, altera negatiua, hoc pacto: Si est homo, non est leo: est autem homo, igitur non est leo. Dicimur autem antecedens ponere, quando ipsum extra conditionalem locando tanquam verum astruimus. Nam (vt suprà diximus) propositio conditionalis ipsa per se nihil ponit, neque antecedens neque cõsequens, sed tantùm significat illationem necessariam consequentis ex antecedẽte. In cõditionali ergo, antecedens non ponitur neque consequens, sed quando extra conditionalem sine conditionali nota alterum eorum sim-
Secundus modus. pliciter proponitur, ita poni dicitur. Secundus modus est, « quando proceditur à tota conditionali, cum destructione con- « sequentis, ad destructionem antecedentis. Sic enim semper va- « let illatio. Non tamen valet à destructione antecedentis ad destructionem consequentis. Dicimus autem consequens destrui, quando oppositum contrarium vel contradictorium eius assumitur, & tanquam verũ asseritur extra conditionalem propositionem. Vt in hac argumentatione: Si est homo, est animal, & non est animal, igitur non est homo. Hic proceditur à tota conditionali, cum destructione consequentis, ad destructionem antecedentis. Econtrario autem non valet processus: Si homo est, animal est, & non est homo, igitur non est animal.

Ratio huius dependet ex priori: quoniam si ad positionem antecedentis necessariò sequatur positio consequentis, igitur vicissim ad consequentis destructionem debet sequi antecedentis destructio. Non enim potest oppositum consequentis stare cum antecedente. Et si non necessariò sequitur positio antecedentis ad positionem consequentis, neque igitur destru-

ctio

ctio consequentis ad destructionem antecedentis. Potest enim
» consequens stare cum opposito antecedentis. Tertius modus *Tertius*
» est, ex copulatiuis: quando à tota copulatiua ad alteram eius *modus.*
» partem proceditur. Vt, Deus est immortalis,& homo est mortalis,igitur Deus est immortalis. Copulatiua enim vtranque partem astruit, neque constat totius ipsius veritas, nisi veræ
» sint omnes partes ex quibus componitur. Quartus modus est *Quartus*
» ex copulatiuis negatiuis, quando à copulatiua negatiua, cum *modus.*
» positione alterius partis, proceditur ad destructionem alterius. Vt, Non dies est,& nox est: sed dies est, igitur nox non est: nox est,igitur dies non est. Significatur enim in tali negatiua, non esse ambas categoricas simul veras. Vnde si altera ponatur vera,oportet alteram esse falsam. Non valebit tamen processus à negatione vnius ad positionem alterius. Non enim sequitur: Non homo est leo, & asinus est leo, & homo non est leo, igitur asinus est leo. Ratio est quoniam in copulatiua negatiua tantum significatur quòd non sint ambæ veræ, sicut per contrarium affirmatiua significat ambas partes esse veras. Vnde ad veritatem negatiuæ sufficit quòd non sint ambæ veræ. Manifestum est autem vbi neutra est vera, non esse ambas veras. Non potest igitur conuenienter ex vnius destructione inferri alterius positio, sed econtrario ex positione vnius, de
» structio inferri potest alterius. Quintus modus est procedens- *Quintus*
» do à propositione disiunctiua affirmatiua, cum positione par- *modus.*
» tis vnius, ad destructionem alterius. Vt, Vel dies est,vel nox
» est:& dies est,igitur nox non est: nox est,igitur dies non est. Sex- *Sextus*
» tus modus est quando à propositione disiunctiua affirmatiua *modus.*
» proceditur cum destructione vnius partis ad positionem alterius. Vt, Aut dies est,aut nox est, & dies non est, igitur nox est. Aut homo iste est sanus aut ægrotat,& non est sanus,igitur ægrotat:non ægrotat, igitur est sanus. Aut mundus fallitur, aut falsa docuit Christus. Fieri autem non potest vt falsa docuerit Christus, veritas prima. Errat igitur & fallitur mundus, aliter viuens quàm ille docuerit. Ratio horum duorum modorum est quoniam (vt suprà diximus libro tertio, in tractatu de propositionibus hypotheticis) secundum vsum antiquorum & magis probatorum authorum, propositio quæ proprié disiunctiua fuerit, sic ponit alteram partem,vt alteram neget: & sic alteram negat vt alteram ponat,nec admittit simul vtriusque veritatem aut simul vtriusque falsitatem. Vnde ab vnius

partis positione, rectè infertur alterius destructio, & econtrario. Accipiendo autem propositionem disiunctiuam (vt recentiores eam solent accipere, dicentes ad eius veritatem sufficere alterius partis veritatem, nec opus esse pugnantia partium) non valeret modus argumentandi in disiunctiuis, nisi à destructione vnius partis, ad positionem alterius: non autem econtrario, à positione ad destructionem. Ponunt verò & alios quosdam modos hypotheticorum huiusmodi syllogismorum, sed qui iam enumerati sunt, magis certi magísque in vsu prompti sunt.

De diuisione syllogismi in demonstratiuum, dialecticum & litigiosum.

CAP. XXIX.

PRIVS verò quàm ad alias tres argumentationis species transeamus, tractanda nobis est paucis illa syllogismi diuisio quam in initio primi Topicorum libri Aristoteles constituit: syllogismum diuidens in demonstratiuum, dialecticum, & sophisticum, ac horum singulis singulas definitiones assignans. Et primum quidem syllogismum demonstratiuum siue demonstrationem definit hoc modo.

Definitio demõstratiui syllogismi.

Demonstratio est, quando ex primis & veris syllogismus erit, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera eius quæ circa ipsa est cognitionis principium sumpserunt.

Quam definitionem ita intellige. Syllogismus ille dicitur demonstratiuus, qui conclusionem suam probat ex præmissis talibus quæ sunt propositiones primæ & veræ, vel primò veræ ita videlicet vt non sint illis aliæ priores vel notiores, per quas ipsæ possent probari siue demonstrari. Vel qui suam conclusionem probat ex talibus præmissis quæ per propositiones alias primò veras sunt demonstratæ.

Primę partis sit hoc exemplum, Omne animal rationale est capax disciplinæ, & omnis homo est animal rationale, igitur omnis homo est capax disciplinæ. Hic enim syllogismus conclusionem suam infert ex propositionibus primis & veris siue primò veris, vtpote quibus aliæ non sunt priores in veritate aut notiores per quas probari possent. Qui enim hanc propositionem

tionem, Omne animal rationale est capax disciplinæ, tentauerit demonstrare per aliam aliquam notiorem, frustra prorsus laborabit: cùm inuenire aliam priorem aut notiorem possit nullam, per quam id fiat. Idem est de illa propositione, Omnis homo est animal rationale. Ad intelligendam nāque veritatem harum duarum præmissarum suprapositi syllogismi, non alia re est opus, nisi cognitione terminorum & aliquali experientia de re quæ est homo. Mox enim ipsæ suæ veritatis certitudinem absque priori demonstratione homini manifestāt ratione vtenti, vt vocabulorum vim intelligat: & rerum habeat experiētiam.

Secundæ partis exemplum est hic syllogismus, Omne animal est nutribile, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est nutribilis. Procedit namque hic syllogismus, & conclusionem probat, non quidem ex propositionibus primis & veris, cùm sint aliæ priores & notiores per quas possint demonstrari, vt statim patebit. Procedit tamen ex iis quæ per aliqua prima, & vera probari & demonstrari possunt. Maior enim prædicti syllogismi (nempe, Omne animal est nutribile) sic potest probari, Omne corpus animatum est nutribile, & omne animal est corpus animatum, ergo omne animal est nutribile. Imò & huius syllogismi maior adhuc per alias priores potest demonstrari, hoc pacto, Omne corpus quod habet animam vegetatiuam est nutribile, & omne corpus animatum est corpus quod habet animam vegetatiuam; ergo omne corpus animatum est nutribile. Inter hāc duplicem demonstrationem talis assignatur differentia, vt prior vocetur demonstratio propter quid, altera demonstratio quia est. Nam licet in vtraque præmissæ probent sufficienter conclusionem eiúsque fidem certam & indubitatam efficiant, illæ tamē quæ sub priore definitionis huius parte comprehenduntur: cum hoc etiam totam causam reddunt ipsius conclusionis, & quare ita sē res habeat, vt per conclusionem significatur, manifestē explanant. Propter quod appellantur demonstrationes propter quid, quasi præter conclusionis probationem simul etiam veram & propriam causam assignantes, quare prædicatum subiecto conueniat: ipsámque conclusionem sic prorsus absoluunt; vt nihil supersit quod de ea interroges. Causa enim rei cognita & perspecta, nihil est quod vltrà possit quæri. Demonstrationes autem alteræ quæ sub posteriori definitionis particula clauduntur, appellantur demonstrationes quia est, eo quòd rem quidem probēt ita esse & veram esse conclusio

cluſionem demonſtrent, ſed non propter quid ita ſit manifeſtant: nec proinde rem penitus abſoluunt, cauſam nondum aſſignantes veritatis ipſius concluſionis. Vnde poſtquam per eiuſmodi concluſionem probatum fuerit rem ita habere & veram eſſe concluſionem, quæſtio adhuc ſupereſt, propter quid
*** res ita habeat. Quo verò facilius adoleſcentes intelligant demonſtrationum differentiam, pluribus exemplis id nobis viſum eſt demonſtrare. Hæc demonſtratio eſt propter quid: Omnis ſubſtantia corporea eſt mobilis ſecundum locum, & omne corpus eſt ſubſtantia corporea, igitur omne corpus eſt mobile ſecundum locum. Hæc autem eſt demonſtratio quia eſt, Omne corpus eſt mobile, & omne corpuſanimatum eſt corpus, igitur omne corpuſanimatum eſt mobile. Hæc item eſt demonſtratio propter quid: Omne corpus quod eſt ſuſceptiuum quatuor primarum qualitatum agentium adinuicem & abinuicem patientium eſt corruptibile, & omne corpus elementare eſt huiuſmodi, igitur omne corpus elementare eſt corruptibile. Similiter & iſta, Omne corpus quod non poteſt ſuſcipere in ſe qualitates primas actiuas & paſsiuas eſt incorruptibile, corpus cœleſte eſt huiuſmodi, igitur eſt incorruptibile. Hæ autem ſunt demonſtrationes quia eſt, Omne corpus elementare eſt corruptibile, & omne corpus mixtum eſt elementare, igitur omne corpus mixtum eſt corruptibile. Omne corpus cœleſte eſt incorruptibile, & cœlum Lunæ eſt corpus cœleſte, igitur eſt incorruptibile. Item hæ ſunt demonſtrationes propter quid in qualitatibus, Omnis habitus per ſe bonus eſt laudabilis, & omnis virtus eſt habitus per ſe bonus, ergo omnis virtus eſt laudabilis. Omnis habitus per ſe malus eſt vituperabilis, & omne vitium eſt habitus per ſe malus, igitur omne vitium eſt vituperabile. Iſtæ autem ſunt demonſtrationes quia eſt: Omnis virtus eſt laudabilis ſiue proſequenda, humilitas eſt virtus, igitur humilitas eſt laudabilis & proſequenda. Omne vitium eſt vituperabile, ſuperbia eſt vitium, igitur ſuperbia eſt vituperabilis & fugienda. In quantitate hæ ſunt demonſtrationes propter quid, Omnis quantitas cuius partes copulantur per aliquem terminum communem eſt diuiſibilis in partes poſitionem vel ſucceſsionem adinuicem habentes: omnis quantitas continua eſt quantitas cuius partes copulantur, &c. igitur omnis quantitas continua eſt diuiſibilis in partes poſitionem vel ſucceſsionem habentes

adinui

adinuicem. Item, Omnis quantitas continua quæ habet partes per tempus præsens siue instans præsens coniunctas, est ex sua natura labilis & semper fugiens: tempus autem est huiusmodi quantitas continua, igitur tempus est ex sua natura labile, inconstans semper & præteriens. Istæ sunt demonstrationes quia est: Omnis quantitas continua ex partibus constat successionem vel positionem adinuicem habentibus, & omnis linea est quantitas continua, igitur omnis linea est eiusmodi. Item, Omne tempus ex sua natura est labile, & omnis hora est tempus, igitur &c. Ad hunc modum in aliis quoque rebus possunt fieri demonstrationes propter quid, & quia est.

Quæ dicantur prima & vera.

CAPVT XXX.

AD INTELLECTVM definitionis suprapositæ syllogismi demonstratiui definit Aristoteles quæ sint prima & vera, in hunc modum:

Prima & vera sunt, quæ non per alia, sed per seipsa fidem habent. *Definitio primorũ & verorum.*

Quam definitionem sic intellige, Propositiones illæ dicuntur primæ & veræ, siue (quod idem est) primò veræ, quarum veritas certa cognoscitur non per alias aliquas propositiones priores & notiores, per quas in demonstratione propter quid possent demonstrari, sed ex seipsis manifestæ sunt tantum habita notitia significationis terminorum, & in quibusdam simul experientia qualicunque rerum significatarum. Et quidem inter hæc prima & vera quædam inueniuntur ita per se manifesta, vt non opus sit nisi sola terminorum notitia, cuiusmodi sunt ista, Quodlibet totum est qualibet sua parte maius. Si ab æqualibus æqualia demas, remanentia erunt æqualia. Quodlibet est vel non est. De quolibet est affirmatio vel negatio, de nullo autem simul. Contradictoriæ non possunt simul esse veræ, & alia huiusmodi. In his enim non opus est aliqua experientia, ad percipiendam eorum veritatem. Statim vbi vim verborum intellexeris videbis manifestam veritatem. Quædam verò sunt prima & vera, quæ non sic ex sola terminorum cognitione claram habent veritatem, sed experientia insuper est opus. Huiusmodi sunt ista. Omne animal rationale est risibile & flebile aut sermocinabile, vt ita loquamur, Omne quod habet grauitatem est mobile deorsum. Omne quod habet leuitatem est mobile

sur

sursum. Vnde patet, quòd prima & vera nihil prohibet aliquo modo, quasi per inductionem (quæ ex experientia sumitur) vel etiam per aliqua communia dialecticæ probari. Non tamen possunt per aliqua priora simpliciter, & notiora in demonstratione propter quid demonstrari, atque ideò prima & vera dicuntur, quia indemonstrabilia: quæ etiam immediata ab Aristotele in posterioribus appellantur.

De alijs definitionibus demonstrationis. CAP. XXXI.

EX iis autem quæ in principio primi libri posteriorum habet Aristoteles, accipiuntur aliæ duæ definitiones demonstrationis, quas breuiter hîc assignare & explicare libet. Prior hæc est.

Altera definitio demõstrationis.

Demonstratio est syllogismus scientificus.

Hoc est, syllogismus qui facit scire, siue (vt ipsis vtar verbis Aristotelis) secundum quem aut per quem ipsum habendo scimus. Ad huius definitionis intellectum opus est cognoscere quid sit scire. Non enim indifferenter quodlibet cognoscere dicitur scire, secundum proprietatem loquutionis. Definitur autem scire ab Aristotele, hoc pacto:

Quid sit scire.

Scire est causam rei cognoscere, propter quam res est, quoniam illius est causa, & quoniam nõ est contingere hoc aliter se habere.

Cuius definitionis hic est intellectus. Scire est alicui conclusioni firmiter sine formidine assentiri, ex vi & probatione præmissarum, importantium causam veritatis ipsius conclusionis, cognoscendo quòd veritas præmissarum est indubitata causa probationis conclusionis, & quòd necessaria sit conclusionis veritas per necessariam veritatem præmissarum: ita vt sicut præmissæ falsificari non possint, sic neque conclusio possit vnquam aliter se habere. Manifestum est autem hanc definitionem non conuenire nisi demonstrationi propter quid. Nam demonstratio quia est, non est syllogismus scientificus: quoniam non facit cognoscere causam propter quam res est, sed tantùm quid res sit cognoscere facit. Secunda definitio quam innuit Aristoteles, hæc est:

Demon

Demonstratio est syllogismus ex veris & primis & immediatis & notioribus & prioribus causisque conclusionis.

Altera definitio demonstrationis.

Quæ definitio, sicut & præcedens, solum demonstrationi propter quid conuenit. In qua primum inuenitur demonstrationem debere ex veris procedere, non ex falsis: neque ex quibuslibet veris, sed ex primis & immediatis (quæ idē sunt & explicant se inuicē) id est, ex talibus propositionibus, quæ per alias priores non possunt demonstrari. Item ex notioribus debet procedere demonstratio: quoniam nisi notiores essent præmissæ probanda conclusione, non solùm non esset demonstratio, sed neque probatiuus syllogismus. Itidem & ex prioribus: quoniam causa prior est effectu. Quod nouissimè additur, causísque conclusionis demonstrationem quia est excludit, quæ non est ex causis conclusionis.

Sciendum autem est, ea quæ hîc dicuntur prima & vera & immediata, aliter etiam principia nominari: quoniam videlicet ab illis initium sumunt suæ cognitionis conclusiones, quæ eliciuntur ex eis. Quorum principiorum quædam sunt communia, quædam propria. Communia principia illa dicuntur, quæ non peculiariter ad vnam aliquam scientiam faciũt, sed ad plures adduci possunt. Vt hæc principia: Omne totum est maius sua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, remanentia erunt æqualia. communia siue generalia principia sunt, quia applicari possunt diuersis scientiis, vtpote numeris in Arithmetica, & lineis aliísque magnitudinibus in Geometria, hoc modo: Si ab æqualibus numeris æqualia demas, remanentes numeri erunt æquales. Si ab æqualibus lineis æqualia demas, remanentes æquales erunt. Item omnis numerus totalis maior est sua parte. Omnis magnitudo totalis est sua parte maior. ***

Alia verò sunt principia propria, quæ non pluribus, sed vni tantùm scientiæ possunt applicari. Vt hoc principiũ, Omne animal rationale est capax disciplinæ, est principiũ propriũ in scientia de homine. Hoc principium, Omne corpus quod non est susceptiuum qualitatum actiuarũ est incorruptibile. est principiũ propriũ scientiæ de corpore cœlesti, atque ita in cæteris vniuscuiusq; disciplinæ propriis principiis. Habet enim vnaquæq; disciplina siue scientia, sua propria principia, q̃ nõ possunt per alia eiusdem

dem scientiæ demonstrari, sed in ea præsupponuntur tanquam certæ & notæ veritatis, ex sola terminorum notitia vel cum adiuncta experientia rerum. Alioqui processus esset in infinitum, nec posset vlla haberi determinata scientia, cùm ab infinitis penderet, quæ simul capere non potest ratio hominis.

De hac autem demonstratione & ijs quæ ad ipsam pertinent, Aristoteles prolixè tractat in libris, quibus titulum posuit Posteriorum resolutionum. Verùm quia pleraque eorum quæ illic dicuntur, mathematicarum disciplinarum cognitionem præsupponunt, quibus imbuti solent esse Philosophorum veterum discipuli, priusquam ad Dialecticam admitterentur (cui rei indicio est quod de Platone legimus, scripsisse illum in introitu scholæ suæ, Nemo huc ingrediatur expers Geometriæ) nostra autem tempestate vix vsquam eam obseruari videmus consuetudinem. Hac potissimum de causa nobis visum est, Aristotelis illum de demonstratione tractatum non per singula prosequi, sed his paucis contenti pro qualicunque introductione adolescentum, de reliquis tractare impræsentiarum supersedemus.

De syllogismo Dialectico.

CAPVT XXXII.

Definitio syllogismi Dialectici.

DIALECTICVM syllogismum definit Aristoteles, his verbis.

Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est syllogizatus.

In qua definitione, syllogizatus idem valet quod collectus, & dispositus secundum formam syllogisticam. Vult itaque definitio illum dici syllogismum Dialecticum qui procedit ex præmissis, non quidem necessariis aut primis & veris, sed probabilibus siue verisimilibus, quarum veritas licet non sit certa, necessaria & infallibilis, est tamen admodum verisimilis & apparens.

Quæ autem intelligi debeant probabilia, propria descriptione Aristoteles declarat, dum ait.

Quæ probabilia.

Probabilia sunt, quæ videntur omnibus aut pluribus, aut sapientibus, & his aut omnibus, aut pluribus vel maximè probatis.

In qua definitione innuuntur multiplicia probabilia. Quædam enim maximè sunt probabilia, ita vt videantur omnibus ratio

ratione vtentibus & iudicio sanis, non sapientibus modo, sed etiam rudioribus infimæ plebis. Vt, Omnis mater diligit filium. Benefacientibus est benefaciendum. Homines diligunt diligentes se, & benefacientes sibi. Quædam non omnino omnibus videntur, pluribus tamen etiam ex vulgo: vt, Quòd melius sit communitatem regi ab vno quàm à multis. Quòd pluralitas principum sit mala. Alia à sapientibus tantùm, & altius studio disciplinæ prouectis verisimilia apparent. Atque inter hæc quædam omnibus sapientibus videntur: vt, Sol maior est tota terra. Quædam pluribus sapientum: vt, Anima rationalis est immortalis. Quædam maximè probatis: vt, Mundus initium habet suæ creationis. Generaliter autem sub probabilibus continentur omnes propositiones veræ, quarum est contingens & non necessaria veritas.

Signanter dictum est omnes propositiones veræ: quoniam falsæ propositiones non propriè dicuntur probabiles, nisi sophisticè secundùm apparentiam. Vnde omnes illi syllogismi qui sunt ex propositionibus contingentibus, veris, & aliquo modo conclusionem probantibus, dicuntur Dialectici. Vt isti, Omnis mater diligit filium, & hæc est mater, ergo diligit filium. Omne animal mouetur, & omnis homo est animal, igitur omnis homo mouetur.

In hoc autem differunt syllogismus demonstratiuus & syllogismus Dialecticus, quòd ille generat scientiam, hic opinionem. *** Est autem opinio assensus alicuius propositionis, sed absque certitudine & omnimoda firmitate, cum qualicunque formidine de opposito. Cuiusmodi assensum indicat verbum, videntur, cùm in definitione suprapositâ dictum fuit, illa esse probabilia, quæ videntur. Prima enim & vera non videntur, sed sciuntur: probabilia autem videntur, non sciuntur. Vnde sicut suprà definitus est syllogismus demonstratiuus ab Aristotele, qui est scientificus aut scientiam generans, ita posset definiri syllogismus Dialecticus, qui est generatiuus opinionis. Talis namque assensus cum formidine de opposito (teste Aristotele in posterioribus resolutionibus) vocatur opinio.

De *definitione syllogismi litigiosi.*

CAPVT XXXIII.

SYLLOGISMVS autem litigiosus ab Aristotele definitur, hoc modo.

Definitio syllogismi litigiosi.

Litigiosus est syllogismus, ex his quæ videntur probabilia, non sunt autem, & qui ex probabilibus, aut ex his quæ videntur probabilia est apparens.

Hæc definitio sicut tria habet membra, ita triplicem indicat litigiosum syllogismum. Est enim quidam litigiosus syllogismus qui plerunque vocatur peccans in materia, qui sub prima parte continetur, qua dicitur: Litigiosus syllogismus est, qui ex his est quæ videntur probabilia, non sunt autem. Hoc est, secundùm formam quidem syllogisticam rectè factus est, & bene procedit sine vitio formæ, sed in materia est defectus: quoniam assumit propositiones quæ falsæ siue sophisticæ videtur esse probabiles, cùm in veritate non sint probabiles. Huiusmodi enim multa sunt, quæ prima facie videntur esse probabilia & verisimilia, cùm in veritate non sint eiusmodi. Quòd si ex apertè falsis procedatur, litigiosus aut sophisticus non dicitur syllogismus, cùm nemo per illum falli posse videatur.

Est quoque syllogismus litigiosus peccans in forma tantùm, qui per secundam partem definitionis innuitur, his verbis, Litigiosus syllogismus est, qui ex probabilibus est apparens. Hoc est, qui procedit quidem ex præmissis verè probabilibus, & ita in materia non habet defectum, sed ex illis præmissis non verè colligit, neque rectè infert conclusionem, sed tantùm apparenter. Interdum enim assumuntur propositiones veræ & probabiles in antecedente, ad probandam aliquam conclusionem, sed non disponuntur secundùm debitam formam syllogisticam: quod quoties fit, dicitur syllogismus litigiosus peccans in forma.

Sub tertia autem parte definitionis continetur syllogismus litigiosus peccans in materia simul & forma, cùm dicitur, Qui ex his quæ videntur probabilia est apparens. Hoc est, qui apparenter & non bene concludit, idque ex præmissis non verè, sed apparenter tantùm probabilibus. Exempla dantur quantum ad membra singula definitionis. Hic est syllogismus litigiosus peccans in materia: Nulla opposita sunt simul vera, subcontraria sunt opposita, igitur non sunt simul vera. Maior enim videtur esse probabilis, eo quòd multa opposita, vtpote contraria & contradictoria, non possunt esse simul vera. Verè autem non est probabilis, sed falsa. Iste autem est syllogismus peccans in forma:

Aliq

Aliqua opposita sunt simul vera, contradictoria sunt opposita, igitur contradictoria sunt simul vera. Præmissæ enim veræ sunt & probabiles, sed est defectus in forma syllogistica: quoniam ex puris particularibus proceditur. Hic in materia simul & forma peccat: Nulla opposita sunt simul vera, quædam subcontraria sunt opposita, igitur nulla subcontraria sunt simul vera. Hic & in materia peccatum est: quoniam maior licet appareat, non tamen verè est probabilis. In forma autem, quoniam altera præmissarum existente particulari, infertur conclusio vniuersalis, quod est contra regulam syllogismorum.

Inter hos autē syllogismos litigiosos, ex Aristotelis etiā sentētia talis ponitur differentia vt syllogismi peccantes in materia tantùm dicantur, & sint verè syllogismi, secundùm definitionem positam in principio libri. Non autem syllogismi qui in forma peccant. Non enim ad veritatem aut bonitatem syllogismi quæritur ex qua materia sit contextus vera aut falsa, sed hoc quæritur, an rectè colligat, an forma illationis sit bona, an debita sit & syllogistica conclusionis ex præmissis illatio. Vnde patet non valere hanc consequentiam: Hic est litigiosus aut sophisticus syllogismus, igitur est syllogismus. quemadmodum non valet consequentia: Est homo pictus, igitur homo. Litigiosus enim cùm ad formam respicit, determinatio diminuens est, & facit dictum secundùm quid.

Addit Aristoteles prædictis syllogismum falsigraphum, qui sub litigioso videtur comprehendi. Et colligitur ex illius verbis hæc eius definitio.

Syllogismus falsigraphus est, qui procedit ex propriis principijs disciplinarum malè intellectis. *Definitio syllogismi falsigraphi.*

Hoc est, qui litigiosus est & deficit, propterea quòd assumpserit principium proprium alicuius disciplinæ, secundùm intellectum non verum. Vt si quis ita argumentetur: Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales, linea recta & linea curua tendunt ab eodem puncto in idem, igitur sunt æquales. Hic syllogismus falsigraphus appellatur, quoniam vtitur principio disciplinæ Geometricæ secundùm malum intellectum. Verum enim est illud principium, intelligendo de lineis ab eodem puncto in idem ductis per idem spatium. Applicatur autem in illo syllogismo litigioso etiam lineis ductis non per idem spatium.

De Enthymemate. CAP. XXXIIII.

PRIVS autem quàm huic libro finẽ imponamus, iuxta promissum in exordio, nonnulla dicenda sunt, & de aliis tribus speciebus argumentationis, de enthymemate videlicet, inductione, & exemplo. Appellatur autem enthymema, argumentatio in qua vnica tantùm præmissa expressa & altera suppressa, infertur conclusio. Vt hæc argumentatio, Petrus est homo, igitur Petrus est animal. vnam tantùm præmissam exprimit ex qua infertur conclusio: in mente tamen alia tenetur atque suppri mitur, Omnis homo est animal. Propter quod solet enthymema syllogismus imperfectus nominari, cui videlicet altera desit præmissarum, quæ si fuerit adiecta, integer erit syllogismus.

Ob hoc etiam Græca appellatione enthymema dicitur talis argumentatio, quòd in mente siue cogitatione alteram præmissarum occultet, vna tantùm expressa: idque plerunque ob festinationem, & quia supponitur verum esse ac notum quod tacetur, vt ipsum proferri non sit opus. Vnde à Boëtio ita definitur enthymema.

Duæ definitiões enthymematis.

Enthymema est oratio, in qua non omnibus præmissis antepositis, festinata infertur conclusio.

Aristoteles verò ita ipsum definit.

Enthymema est syllogismus ex icotibus & signis.

Pro cuius definitionis intellectu sciendum est quid sit icos, & quid signum in proposito. Icos Græco vocabulo appellat propositionem in se probabilem & consentaneam veritati, siue verisimilem: quæ nimirum vtplurimum solet habere veritatem, solétque ferè ita euenire vt ipsa significat, tametsi non prorsus ita sit necessaria, vt nunquam aliter possit contingere. Vt hæ propositiones: Homines diligunt benefacientes sibi. Homines odiunt malefacientes sibi. Omnis mater diligit filium. Filij diligunt parentes, & huiusmodi. Plerunque enim hæc ita euenium, tametsi non omnino perpetuam habeant & vniuersalem veritatem, cùm aliter interdum euenire videamus. Signũ verò appellat propositionem demonstratiuam aut necessariò illatiuam alterius, siue ipsa in se sit probabilis siue necessaria. Vnde icos siue probabile in se consideratur, signum verò per comparationem ad illud quod infertur ex ipso secundum necessariam

conseq

consequentiam. Vt lac habere in mamillis, signum est commixtionis cum viro. Ex ista enim, Mulier habet lac in mamillis, necessariò sequitur, mulierem viro fuisse coniunctam.

Cùm igitur Aristoteles definiendo enthymema, ipsum dicit esse quod ex icotibus constet & signis, materiam indicat vnde fiant enthymemata, nempe ex propositionibus in se probabilibus & ex propositionibus conclusionem necessariò inferentibus atque probantibus. Eadémque propositio rectè dicitur icos & signum: icos quidem, quatenus est in se probabilis: signum verò, quatenus necessariò infert conclusionem. Atque vt prorsus generalis & omnimodis sufficiens inueniatur definitio, videtur icos dicenda etiam propositio probabiliter inferens conclusionem qualiscunque in se fuerit.

Sciendum autem est, omne enthymema posse reduci ad perfectum integrumque syllogismum, per additionem propositionis quæ subintelligitur, cum ea quæ exprimitur. In enthymemate enim sunt tres termini, sicut in syllogismo, quorum primus solùm est in antecedente, & conclusionem non ingreditur: & hic medij locum habet, atque in reductione enthymematis ad syllogismum accipiẽdus ille est pro medio. Reliqui autem duo termini sunt maior extremitas, & minor extremitas: quorum alter tantùm semel ponitur, nempe in conclusione tantùm, alter verò bis. Propositio autem supplenda debet componi ex medio & termino illo, qui semel tantùm in enthymemate ponitur: ac iuxta exigentiam huius propositionis supplendæ cum altera expressa, fiat syllogismus in modo & figura ad quem fiat reductio.

Vt (exempli gratia) ad complendum hoc enthymema: Petrus est homo, igitur Petrus est animal. hanc accipio propositionem: Omnis homo est animal. quæ componitur ex medio homo & termino animal, qui semel tantùm in enthymematis conclusione ponebatur, præmissisque dispositis in Darij fit integer syllogismus, hoc modo: Omnis homo est animal, & Petrus est homo, igitur Petrus est animal. Fit autem reductio enthymematis interdum ad primam figuram, interdũ ad secundam, interdum ad tertiam, secundum variam habitudinem propositionis supplendæ & propositionis expressæ adinuicem. De prima figura, iam exemplo ostensum est. Per secundam figuram, hoc enthymema, Ista mulier non est pallida, ergo non peperit. sic reducitur: Omnis mulier quæ peperit est pallida, ista mulier non est pallida, igitur nõ peperit. Istud verò enthymema, Homo ***

est rationalis, igitur animal est rationale. reducitur per tertiã figurã, hoc modo, Homo est rationalis, & omnis homo est animal igitur animal est rationale. Vniuersaliter autẽ, quãdo subiectum cõclusionis est subiectum antecedẽtis enthymematis, tunc in reductione supplenda est maior: quando autem prædicatum conclusionis est etiam prædicatum antecedentis, tunc deest minor. Patet hoc manifestè in exemplis propositis. Interdum verò inueniuntur enthymemata, quæ ex quatuor terminis componuntur diuersis. Verùm hæc non sunt simplicia enthymemata, sed virtute sunt plura, quoniam in plura resoluuntur, ac deinde per plures syllogismos reducuntur. Vt cùm ita argumentamur, Homo currit, igitur animal mouetur. enthymema istud in duo resoluitur, quoniam primum est, Homo currit, igitur animal currit. Secundum verò, Animal currit, igitur animal mouetur. Primum sic reducitur, Homo currit, & omnis homo est animal, igitur animal currit. Secundum sic: Omne quod currit mouetur, animal currit, igitur animal mouetur. Vniuersaliter autem cognoscitur enthymematis bonitas vel defectus, ex hac reductione. Si enim ad syllogismum bonum reduci potest enthymema bonum erit: si autem malus fuerit syllogismus ad quem reducitur, malum quoque fuisse enthymema deprehenditur.

De inductione.

CAP. XXXV.

TERTIA species argumentationis est inductio, quæ ita solet definiri:

Inductio est à singularibus ad vniuersale progressio.

Hoc est, talis aliqua argumentatio, in qua à singularibus siue minus communibus sufficienter enumeratis proceditur ad vniuersale siue magis commune, ipsum sumendo vniuersaliter. Vt hæc est inductio: Iste ignis est calidus, & ille ignis est calidus, atque ita in cæteris omnibus singularibus ignibus, igitur omnis ignis est calidus. Negatiuè sic: Iste ignis non est frigidus, & ille ignis non est frigidus, atque ita in cæteris omnibus, igitur nullus ignis est frigidus. Non est autem opus semper accipere singularia indiuidua. Potest enim fieri inductio à minus communibus ad magis commune, vt pote à speciebus ad genus, hoc modo, Omnis homo sentit, & omnis leo sentit, atque

que ita in cæteris omnibus speciebus animalis, igitur omne animal sentit.

Hoc autem diligentissimè semper obseruandum est in inductione, vt singularia siue minus communia sufficienter enumerentur, hoc est, vt omnia enumerentur, vel explicitè, vel vt minimum implicitè, quod fit per hanc particulam, & ita de omnibus aliis, vel aliam æquiualentem, in qua omnia enumerentur implicitè, quæ propter suam infinitatem vel multitudinem nimiam non possunt enumerari sigillatim. Species enim licet vt cunque possint enumerari; quanquam & hoc interdum cum magno labore, indiuidua tamen nunquam possunt, vt pote infinita, quę certo numero nequeunt comprehendi. A singularibus autem non sufficienter enumeratis, nequaquam valeret inductio. Non enim sequitur, Iste homo est stultus, & ille est stultus, atque ita in aliis plurimis, igitur omnis homo est stultus. Non enim ad illationem eius quæ simpliciter est vniuersalis, sufficit plurima inducere singularia, sed omnia oportet adducere. Quando autem à speciebus ad genus, siue à minus communibus ad magis commune proceditur, non sufficiet omnes species enumerare particulariter, sed vniuersaliter enumerari eas oportebit. Non enim valet hæc inductio: Aliquis homo quiescit, aliquis equus quiescit, atque ita in omnibus speciebus animalis, semper aliquod eius indiuiduum quiescit, igitur omne animal quiescit. sed ita procedendum est, Omnis homo quiescit, & omnis equus quiescit, atque in cæteris speciebus singularum omnia indiuidua quiescunt, igitur omne animal quiescit. Veruntamen vbi terminus ad quem fit inductio poneretur vniuersaliter non completè, sufficeret omnes species particulariter enumerare. Pro cuius intellectus sciendum est, signum vniuersale additum termino generico, interdum ipsum distribuere pro vniuersis indiuiduis sub se & omnibus suis speciebus contentis. Atque ita communiter solent intelligi propositiones vniuersales. Interdum autem, sed rarius, signum vniuersale additum termino generico facit ipsum accipi vniuersaliter tantum pro singulis speciebus: ita quòd non opus est ad talis propositionis veritatem singula omnium specierum indiuidua prædicato verè subiici, sed tantùm ipsas species particulatiter sumptas. Vt in hac propositione: Omne animal fuit in arca Noe. cuius sensus est, Quælibet species animalis fuit in arca Noe. Ita huius negatiuæ. Nullum animal defuit in arca Noe. sensus est,

Nulla ſpecies animalis defuit in ea. Ita cùm dicimus, In hac menſa eſt omne vinum. In hac ſylua inuenies omnes feras. Hæc regio omnia producit animalia. Omnia quæ apponuntur fidelibus, manducantur ab eis. In his atque huiuſmodi propoſitionibus incompletè vniuerſalibus, non fit pro ſingulis indiuiduis diſtributio, ſed pro ſpeciebus ſeu minus communibus tantùm. Vnde ad eas referendas per inductionem, non eſt opus ſingula indiuidua adducere, nec explicitè nec implicitè, ſed omnes ſpecies ſufficit particulariter enumerare.

*** De hac quoque ſpecie argumentationis peculiariter notat Ariſtoteles, quòd per eam conuenienter poſſunt probari principia demonſtrationum, quæ aliter demonſtrari ſiue probari non poſſunt. Vt iſtud principium, Omne totum eſt maius ſua parte. ita per inductionem fit notum, Iſtud totum eſt maius ſua parte, & illud totum eſt ſua parte maius, atque ita in aliis, nuſquam videtur totum aliquod quod non ſit ſua parte maius, igitur omne totum eſt maius ſua parte. Item iſta, Omne animal rationale eſt diſciplinæ capax. per inductionem optimè probatur hoc modo, Iſtud animal rationale diſciplinam capit & item illud, atque ita in cæteris, igitur omne animal rationale eſt capax diſciplinæ. Rurſum hoc principium commune, Nullæ contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe veræ aut ſimul falſæ. non aliter niſi per inductionem poteſt oſtendi. Quòd autem per inductionem oſtendi poſsint principia demonſtrabilia, inde eſt, quia inductio à ſingularibus procedit, quæ ſunt nota ſenſui. Intellectus autem iudicium, præſupponit iudicium ſenſus & eo adiuuatur. Vnde quamuis per ſyllogiſmum qui eſt intellectus, non poſsint probari: per inductionem tamen, quam ſubminiſtrat ſenſus, vtique poſſunt.

Docet quoque Ariſtoteles, inductionem poſſe reduci ad ſyllogiſmum. Quod hoc modo fiet, Accipiendum eſt diſiunctum ex omnibus ſingularibus pro medio, & terminus ille ad quem fit inductio pro minore extremitate, prædicatum autem erit, maior extremitas. Vt hæc inductio: Iſte ignis eſt calidus, & ille ignis eſt calidus, atque ita in aliis, igitur omnis ignis eſt calidus. ſic reducitur, Omne quod eſt ignis vel ille ignis, &c. eſt calidum, & omnis ignis eſt iſte ignis vel ille ignis vel alius aliquis, igitur omnis ignis eſt calidus. Negatiua inductio ſic reducitur: Nihil quod eſt iſte ignis vel ille ignis vel alius quiſpiam eſt frigidum, & omnis ignis eſt iſte ignis vel ille ignis vel alius quiſpiam,

am, igitur nullus ignis est frigidus.

De *exemplo*.

CAP. XXXVI.

QVARTA argumentationis species est exemplum, quæ sic ferè se habet ad inductionem, sicut enthymema ad syllogismum. Quemadmodum enim enthymema dicitur syllogismus quidem imperfectus, & ad syllogismum reducitur: sic exemplum dicitur quedam imperfecta inductio, & ad inductionem quodam modo reducitur. Definitur autem sic.

Definitio exempli.

Exemplum est, quando vnum particulare probatur per aliud, propter aliquid simile in ambobus inuentum.

Hoc est, exemplum est argumentatio talis in qua proceditur ab vno singulari vel particulari, ad probandum aliud particulare item vel singulare, ex ratione alicuius similitudinis inter ambo illa inuentæ. Vt cùm sic colligimus, Niniuitis licet peccatoribus pepercit Deus, quoniam egerunt pœnitentiam: igitur & nobis parcet Deus, si egerimus pœnitentiam. Sodomitæ malè perierunt, quia peccatores erant, & non egerunt pœnitentiam: igitur & nos malè peribimus, si non agamus pœnitentiam peccatorum. Corinthij facile à pseudapostolis corrumpebantur, propter rerum omnium ob portum maris commodum abundantiam: igitur & Antuerpienses facilè corrumpi potuerunt ab hereticis, quòd & ipsi similiter omnium rerum ex commodo portu affluentia lasciuiant. Hoc modo argumentamur à similibus, à maiori & minori, de quibus posterius suo loco dicetur. Estque hic modus argumantandi in moralibus vtilissimus, & ad mouendum atque persuadedum efficacissimus. Nusquam enim melius homo excitatur aut prouocatur, quàm aliorum egregiis exemplis propositis, neque melius à noxiis deterretur, quàm aliorum periculis ante oculos expositis: quæ per exemplarem argumentationē pulchrè fieri, ex paucis his exemplis est manifestum. Obseruandum est autem potissimum in hac argumentatione, vt similitudo illa quæ adducitur, ad rem pertineat, id est, causa sit quare prædicatum antecedentis subiecto conueniat. Non enim ad exemplarem argumentationem sufficit quælibet similitudo, quoniam non sequitur, Iudas malè periit, igitur & Petrus malè periit: quoniam

niam ambo fuerunt homines aut ambo Apostoli, aut ambo peccatores. Si quidem hæc similitudo nihil ad rem facit, id est, causa non est conuenientiæ inter subiectum & prædicatum antecedentis. Non enim ideò periit Iudas, quia homo, neque quia Apostolus, imò neque quia peccator fuerat, sed quia post proditionem magistri desperans de misericordia, factus est sui perditor. Hæc autem similitudo in Petro non inuenitur, qui bonam egit pœnitentiam, sperauitque in Dei misericordia. Si autem sic colligas, Iudas malè periit, igitur & Pilatus, & cæteri Iudæi malè perierunt: quoniam sicut ille ita & isti Dominum perdiderunt, & non egerunt dignam pœnitentiam. ita bonam habebis argumentationem exemplarem. Hic enim similitudo inuenitur in vtroque particulari, quæ ad rem faciat maximè. Docet autem Aristoteles exemplum reducere, partim ad inductionem, partim ad syllogismum. Accipiendo enim primum particulare, infertur ex illo per inductionem imperfectam propositio vniuersalis, ac deinde ex vniuersali proceditur ad aliud particulare, quod infertur in conclusione exempli. Vt hoc exemplum: Iudas malè periit, igitur & Pilatus. sic reducitur, Iudas malè periit, quia mortis Domini author fuit, nec egit dignam pœnitentiam, igitur omnis qui mortis Domini author fuerit, nec pœnitentiam egit, malè periit. Deinde sub hac vniuersali ita subsumitur, Pilatus author fuit mortis Domini, nec egit pœnitentiam. ac postremò infertur alterum particulare, Igitur Pilatus malè periit. His autem quatuor argumentationum speciebus ita vtcunque declaratis, quarti libri Dialecticæ considerationis finem hîc faciamus, atque ad Locos Dialecticos transeamus.

*

DEO SEMPER ET VBIQVE GLORIA.

DIA

DIALECTICAE CONSIDERATIONIS LIB. V.

QVI DE LOCIS DIALECTICIS INSCRIBITVR.

***

PRAEFATIO.

DIALECTICA omnis, Marco Tullio & Seuerino Boëtio testibus, iudicio & inuentione constat. Cùm itaque ars iudicandi, Grǽcis κριτικὴ dicta, Latinis iudicialis, quantùm ad formas attinet argumentationum, præcedenti libro vtcunque sit absoluta, supereſt altera quæ Grǽcis τοπικὴ Latinis dicitur localis præsenti hoc libro tractanda. In quo hoc potissimum elaborandum est, vt ordine congruo locos quosdam designemus, è quibus ad vnamquanque propositam quæstionem facilè depromi possit conueniens argumentum. Enimuerò (iuxta Marci Tullij testimonium) sicut earum rerum quæ absconditæ sunt, demõstrato & notato loco facilis est inuentio: sic cùm perueſtigare argumẽtum aliquod volumus, locos noſſe debemus. Id quod & Quintilianus libro quinto Oratoriarum Institutionum pulchrè testatur: Non omne inquiens, argumentum vndique venit, ideóque non passim quærendum est. Multus enim alioqui error est, exhaustóque labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire nisi casu. At si scierimus vbi quicquam nascatur, cùm ad locum ventum erit, facilè quid in eo erit peruidebimus. Hæc ille. Non immeritò proinde reprehendendam existimauit Tullius Stoicorum negligentiam, qui iudicandi vias diligenter persequuti, inueniendi artem, & vsu potiorem, & natura priorem, totam reliquerunt. Aristotelis verò diligẽtiam ex aduerso censuit commendandam, vtpote qui vtranque copioſe tractauerit. Quem vt artis huius principem, nos quoque pro virili insequentes, dialecticos locos fideliter aperiemus: ordinẽ tamen qui apud illum confusior & minus digestus apparet ab eius Commentatoribus Themistio atque Boëtio (qui in eadem hac arte diligentissimè laborauerunt,) accipiemus. Ab his enim in certiorem quendam ordinem redacti sunt loci illi, qui ab Aristotele confusius

sparsi

sparsi fuerant: vt ferè solent primi rerum inuentores minus ordinatè res singulas locis suis constituere, quod à posteriorum est diligentia præstolandum. Vt enim res ipsas primum inuenire est difficillimum, ita post inuentionem non ita magni est negotij in ordinem inuenta redigere. Prius autem quàm ad notandos locos transeamus, quid locus sit, & quomodo diuidatur, explicemus.

Quid sit locus, quid item locus maxima & differentia maximæ.

CAPVT I.

Definitio loci.

Locvs à Boëtio ita definitur: Locus est sedes argumenti, « vel id à quo ad propositam quæstionem conueniens trahi- « tur argumentum. Pro cuius definitionis intellectu primũ sciendum est quid sit argumẽtum. Appellamus autem argumentum

Argumentũ

rationem quæ rei dubiæ facit fidem, id est propositionem aliquam quæ adhiberi potest ad propositionem aliam probãdam, cuius est dubia veritas, & de qua habetur quæstio. In quo manifesta est differentia argumentationis ab argumento. Argumentatio enim complectitur argumentum probans, cum conclusione quam probat, estque argumentum tantùm pars altera argumentationis. Vnde argumentatio à Boëtio sic definitur, Argu- « mentatio est argumenti per orationem explicatio. Tota enim « argumentatio, vim explicat ipsius argumenti, dum ipsum assumit tanquàm probans, atque ex ipso conclusionem colligit dubiam ad eius veritatem demonstrandam. Dicitur autem argumentum, ab arguẽdo. Arguere enim, in vna significatione idem valet quod probare siue ostendere. Vnde argumentum dicitur, id per quod aliquid arguitur, probatur, siue ostenditur quale sit, verum ne an falsum.

Quid sit locus maxima.

Duplex quoque impræsentiarum ab authoribus locus distin- « guitur, nempe locus maxima, & locus qui est differentia ma- « ximæ. Locus maxima in proposito appellatur generalis aliqua « propositio per se nota, ex qua desumitur argumentum, & argumentatio ipsa vim suam habet, qua & cõfirmatur. Vt argumentatio ista, Animal rationale est capax disciplinæ, igitur homo est capax disciplinæ. innititur huic maximæ: Cuicunque conuenit definitio, eidem & definitum conuenire necesse est. Hæc quoque argumentatio, Petrus est iustus, igitur non est iniustus. in hac maxima propositione solidatur: Cuicunque conuenit vnum contrariorum, ab eodem negabitur alterum. Hæ duæ

propo

propositiones aliæque harum similes, loci appellantur, eo quòd ab eis sumantur argumenta : quemadmodum locus materialis alicuius rei dicitur, vnde ipsa accipitur atq; depromitur. Quod pulchrè explicat Boëtius, ita inquiens: Ideò autem vniuersales & maximæ propositiones loci sunt dictæ, quoniam ipsæ sunt quæ continent cæteras propositiones, & per eas fit consequens & rata conclusio. Ac sicut locus in se corporis continet quantitatem, ita hæ propositiones quæ sunt maximæ intra se omnem vim posteriorem atque ipsius conclusionis consequentiam tenent. Hæc ille.

Appellantur autem propositiones istæ maximæ, ad eum ferè modum quo in syllogismis dicimus propositionem maiorem atque minorem. Quemadmodum enim maior propositio illic dicitur, in qua est robur præcipuum totius argumentationis, & in qua vt generaliori minor velut includitur atque conclusio: ita hîc dicitur propositio maxima, ex qua plurima depromi possunt ad diuersas conclusiones argumenta: quæ omnia quodammodo intra suum ambitum continet, atque intra latitudinem suam complectitur. Præterea, non habent maximæ istæ alias vllas propositiones se priores aut notiores, per quas commodè possent probari: sed ex ipso terminorum intellectu, manifesta apparet ipsarum veritas. Propter hoc, & maximæ propositiones dicuntur secundum expositionem negatiuam, quibus aliæ non sunt maiores, priores scilicet, aut notiores, per quas possent probari. Hi ergo loci maximæ appellantur.

Quid locus differẽtia maxima.

Alio verò modo (vt idem Boëtius attestatur) loci vocantur, maximarum differentiæ propositionũ, illi videlicet, quibus maximæ diuersæ abinuicem differunt. Vt exempli gratia, maximæ illæ duæ suprapositæ, abinuicem differunt, per terminos diuersos. In altera enim ponitur definitio & definitum, in altera verò contrarium & suum oppositum. Definitio igitur & definitum contrarium & suum oppositum, sunt differentiæ maximarum illarum: qui etiam loci appellantur, eo quòd ab horum consideratione sumantur argumenta, ex ipsis maximis.

Huiusmodi autem loci, pauciores sunt numero prioribus. Interdum enim plures maximæ propositiones sub vno loco differentia maximæ comprehenduntur. Exempli gratia, duæ hæ maximæ: Cuicunque conuenit definitio, eidem & definitum. A' quocunque remouetur definitio, ab eodem remouetur & definitum, sub vno continentur loco differentia maximæ, nempe sub

pe sub loco qui appellatur à definitione ad definitum, vel simpliciter à definitione. Sic enim in assignando locum qui est differentia maximæ, accipimus vocabulum significans, id à quo sumitur argumentum atque probatio, cum præpositione à, vt locus à definitione, à descriptione, à genere, à specie, à causis, à contrariò, atque ita in cæteris. Et quidem interdum sic solum terminum inferentem exprimimus, interdum verò cum præpositione ad, terminum quoque illatum adiicimus. Vt locus à definitione ad definitum, à specie ad genus, à contrario ad contrarium, à causa ad effectum. Rursum locum differentiam maximæ interdum appellamus, ipsam habitudinẽ, quæ est inter terminum inferentem & terminum illatum, vt inter definitionem & definitum, causam & effectum. Interdum verò ipsam orationem per quam talis habitudo exprimitur.

Ex quibus satis patet definitio loci. Manifestum enim euadit ex his, quomodo tam locus maxima, quàm locus differentia maximæ dicatur sedes argumenti, & quomodo ab vtroque trahantur commoda argumenta ad propositas quæstiones. Manifestum item relinquitur, quid interfit inter locum maximam & locum differentiam maximæ. Et licet nonnulli prædictam definitionem ita distinguant, vt partem priorem peculiariter accommodent maximis, posteriorem solis maximarum differentiis, nobis tamen commodius videtur, vtranque partem ad vtrunque locum referre, ac partem posteriorem quodammodo declarationem prioris esse, atque ob id à Boëtio posterius adiectam, ad elucidandam Ciceronis definitionem: qui locum generaliter definiens, hoc tantùm dixit, locum esse sedem argumenti.

De *loco intrinseco, extrinseco, & medio.*

CAPVT II.

ASSIGNANTVR autem loci diuersi, secundũ diuersam habitudinem termini inferentis & termini illati, siue argumenti & conclusionis quæ probanda proponitur. Vnde locus diuiditur in locum intrinsecum, extrinsecum, & medium. Quarum specierum differentiæ ex ipsis earum definitionibus cognoscentur, quæ sunt hæ: Locus intrinsecus est, quando sumitur argumentum ab his quæ sunt de substantia rei de qua quæritur. Locus extrinsecus est, quando sumitur argumentum ab his quæ sunt omnino separata à substantia rei de qua quæritur. Locus medius est, quando sumitur argumẽtum ab his quæ partim conue

Quid locus intrinsecus, extrinsecus & medius.

» conuenit,& partim differunt. Pro quarum definitionum intellectu aduerte propoſita quæſtione aliqua dubitabili, ad eam probandam adferri interdum argumẽtum ab aliquo quod ad ſubſtantiam pertineat rei de qua ſit quæſtio. Vt ſi proponatur quæſtio: num omnis homo ſit capax diſciplinæ? ad hanc quæſtionem determinandam adfero argumentum ab ipſa hominis definitione, quæ proculdubio ad ipſius ſubſtantiam ſiue eſſentiam ſpectat,& talem conficio argumentationem: Omne animal rationale eſt capax diſciplinæ, igitur omnis homo eſt capax diſciplinæ. Locus proinde tam maxima quàm differentia maximæ, vnde hoc argumentum depromptum eſt, locus vocatur intrinſecus. Interdum verò argumentum ſumitur ab eo quod prorſus eſt extra ſubſtantiã eius de quo quæritur, eſtque omnino illi extraneum. Vt ſi proponatur quæſtio: Num humilitas vitium ſit? adhibebitur argumentũ à contrariò, hoc pacto argumentando. Humilitas eſt virtus, non eſt igitur vitium. Hìc manifeſtè cernis, argumentum duci à virtute ad vitium, quæ penitus ſunt adinuicem aliena.

Interdum verò argumentum ducitur ab eo quod partim conuenit cum eo de quo ſit quæſtio & partim differt. Vt ſi quæratur, Num iuſtitia ſit bona? ad quæſtionis diſſolutionem adfero argumentum: Qui iuſtus eſt, bonus eſt: igitur iuſtitia eſt bona. Hìc à iuſto ad iuſtitiam argumentum ducitur. Inter autem iuſtitiam & iuſtum, eſt aliquid differentiæ & aliquid conuenientiæ. Differunt enim in finali terminatione, atque in minus principali ſignificato. Conueniunt autem in ſignificatione præcipua. Vnam enim eandémque rem cõcretum & abſtractum ex ſignificato principali important, quemadmodum in principio libri ſecundi, capite de denominatiuis, meminimus
» declaratum. Solet quoque locus intrinſecus ſubdiuidi, in *Locus à*
» locum à ſubſtantia & à concomitantibus ſubſtantiam. Locus *ſubſtãtia.*
» à ſubſtantia dicitur, quando ſumitur argumentum ab his quæ ſunt de ſubſtantia rei de qua quæritur. Cuiuſmodi propriè ſolum eſt locus à definitione, qui pro argumento ſumit totam ipſam eſſentiam ſiue ſubſtantiam rei de qua quæritur. Adiunguntur tamen illi duo alij, à deſcriptione, & nominis interpretatione, ille quidem, eo quòd definitionis loco plerunque vti ſoleamus deſcriptione, propter imbecillem noſtri ingenij captum. Vnde fit, vt veras & intimas rerum differentias pernoſcere non valentes, proprijs & accidentibus eas cogamur diſtingue

stinguere. Hic verò propter cognationem & similitudinem: & quia quodammmodo ipsa nominis interpretatio videtur includi in nomine ad eum modum quo substantia rei intra ipsam includitur. Locus autem à concomitantibus substantiam dicitur, quando non sumitur quidem argumentum ab ipsa rei de qua quæritur substantia, sed ab aliquo quod substantiam comitatur. Vtpote à partibus eius, siue essentialibus siue integralibus, quæ non sunt tota ipsa rei substantia: vel ab accidentibus aliquibus rem concomitantibus, cuiusmodi sunt generatio, corruptio, vsus, & communiter accidentia: vel quæ aliquo modo intrinseca sunt & vicina, siue spectantia ad esse rei, vt sunt causæ, materialis, formalis, efficiens, finalis, locus item & tempus. Ac proinde ab his omnibus cùm argumenta sumuntur, ex locis dicuntur erui, qui à concomitantibus substantiam nominantur. Quot autem sint, & qui, loci intrinseci, extrinseci, & medij, in consequentibus suo ordine aperiemus.

Locus à concomitantibus substantiam.

De *loco à definitione.*

CAP. III.

FACTA generali locorum diuisione: restat de vnoquoque sigillatim pertractare, atque ex singulis quo modo argumenta ducantur, commodis exemplis ostendere. Quam considerationem ingredientibus, primus se offert locus à definitione, qui vnus propriè locus à substantia meretur appellari. Definitur autem sic, Locus à definitione est, habitudo definitionis ad definitum.

Locus à definitione.

In qua definitione, manifestum est, per locum intelligi ipsam habitudinem quæ est inter definitionem & terminum qui definitur, tanquàm inter terminum inferentem & terminum illatum: ex cuius habitudinis vi, argumenta secundum hunc locum sumuntur: quæ quidem habitudo signatur hac oratione, locus à definitione ad definitum. Atque ad hunc modum in sequentibus licebit singulas loci species definire. Vt (exempli gratia) locus à toto est habitudo totius ad partes, locus à causa est habitudo causæ ad effectum: atque ita in cæteris.

Definitio autem sic solet describi, Definitio est oratio indicans quid est esse rei, per essentialia. Hoc est, quæ monstrat siue declarat quidnam sit res illa quæ proponitur, idque per substantialia siue essentialia, vt sunt genus & differentia: quæ sola dicuntur rei essentialia, suntque tota ipsius essentia. Genus enim & differentia (vt ex prædicabilibus patet) tota sunt speciei essen

Definitio quid sit.

essentia. Vt animal rationale, est definitio Hominis: corpus animatum sensibile, est definitio animalis: substantia corporea, est definitio corporis: substantia incorporea, spiritus: habitus bonus, virtutis: habitus malus, vitij.

Ab hoc autem loco fiunt argumenta quatuor modis, nimirum affirmatiuè duobus, & negatiuè item duobus. Primò affirmatiuè, ex parte subiecti. Sit quæstio, Num omnis homo sit æternæ beatitudinis capax? ita terminabitur quæstio: Omne rationale animal, est æternæ beatitudinis capax, igitur omnis homo est eiusmodi. Sit quæstio, Num virtus sit expetenda, & vitium fugiendum? sic terminabitur: Habitus bonus semper est expetendus, igitur & virtus. Habitus autem malus semper fugiendus, igitur & vitium. Maxima harum argumentationum confirmatiua hæc est, Quicquid prædicatur de definitione, prædicatur item de definito.

Secundò affirmatiuè fit argumentatio ex parte prædicati. Sit quæstio, Num concha sit animal? (quod dubium videri potest ex eo quòd non ita multis sensibus vigere conspiciatur vt cætera animalia, nec similem habere motum) Ad hanc quæstionem terminandam sic argumentabimur: Concha est corpus animatum sensibile (habet enim sensum tactus, quod monstrat experientia) igitur est animal. Sit quæstio: Num humilitas sit virtus? ita terminabitur: Humilitas est habitus bonus, igitur est virtus. superbia verò est habitus malus, igitur vitium. Maxima huiusmodi argumentationum roboratiua, hæc est, De quocunque prædicatur definitio, de eodem & definitum.

Negatiuè item diximus duobus modis fieri argumentationem. Primò, ex parte subiecti. Sit quæstio, Num vllum brutorum sit capax disciplinæ? ita terminabitur, Nullum animal irrationale est capax disciplinæ, igitur nullum brutum. Sit rursum quæstio, Num vlla virtus vilescere faciat habentem, aut vllum vitium exornet habentem? ita terminabitur, Nullus habitus bonus potest vilem reddere possessorem, nullus item habitus malus exornare, igitur nulla virtus potest vilificare habentem, & nullum vitium exornare. Maxima vnde sumuntur hæc argumenta, est, Quicquid negatur de definitione, & de definito negatur. Ex parte autem prædicati sic argumentamur. Sit quæstio, Num simia sit homo? ita terminatur: Simia non est animal rationale, igitur non est homo. Sit quæstio, Num scientia sit virtus? ita terminatur, Scientia non est habitus bonus, igitur non est

virtus. Quæratur de paupertate, num ipsa sit vitium? dicimus non esse, quia ipsa non est habitus malus. Maxima vnde huiusmodi argumentationes robur accipiunt, hæc est, De quocunque negatur definitio, & definitum.

Possent tamen quatuor hæ maximæ in duas istas concludi, ¶ Cum quo conuenit definitio, cum illo & definitum conuenit. ¶ Cum quo non conuenit definitio, cum illo nec definitum conuenit. Duæ siquidem priores in prima includuntur, posteriores duæ in secunda.

De loco à definito ad definitionem.

CAPVT IIII.

QVEMADMODVM autem nunc à definitione ad definitum processum est, ita conuerso ordine procedere licebit à definito ad definitionem: appellaturque locus à definito. Tot autem modis argumentari hinc licebit, quot modis suprà in loco à definitione assignauimus. Et quidem interdum probatiuæ satis erunt hæ argumentationes, cùm videlicet aliquid notius conuenit definito quàm definitioni, aut cùm notius alicui conuenit definitum quàm definitio. Vt si quis dubitet, num morio (cui nihil inest actualis vsus rationis) animal sit rationale, sic terminabitur quæstio: Morio est homo, est igitur animal rationale. Antecedens enim est notissimæ veritatis, ac proinde consequēs rectè probat, quod alicui posset dubium videri, ex eo quòd ratione non videantur vti moriones. Rursum, si quis forsitan de elephāto aut simia dubitauerit, num sint animalia, rationalia eo quòd videantur aliquo modo ratione vti in quibusdam, quibus admodū appropinquat modo agendi hominū, ita terminabitur quæstio: Elephantus & simia non est homo, neque igitur animal rationale. Prædictarum autem argumentationum hæ sunt maximæ. De quocunque prædicatur definitum, de eodem & definitio. De quocunque negatur definitum, de eodem & definitio.

Rursum sit quæstio, num aliquod inueniri possit rationale animal, quod nunquam vtatur ratione? ita terminabitur: Plerique homines nunquam ratione vtuntur, igitur quædam animalia rationalia nunquam vtuntur ratione. Sit quæstio, Num aliqua animalia irrationalia possint doceri? sic terminabitur, Quædam bruta possunt doceri, vt canes & elephanti, & alia pleraque, igitur quædam irrationalia animalia doceri possunt. Maximæ, Quicquid prædicatur de definito, prædicatur & de definitione. Quicquid negatur de definito, negatur & de definitione.

nitione. Est autem generaliter hoc sciendum, quòd propriæ passiones notius & clarius conueniunt ipsi definitioni quàm definito, eo quòd definitio explicet substantiam siue essentiam, ex qua proprietas naturaliter effluit. Ob hoc, dum proprium ostenditur inesse definito per definitionem, probatiua est argumentatio. Cùm verò proprium ostenditur inesse definitioni per definitum, non probatiua erit. At verò accidentia, potissimum singularia siue peculiaria notius conueniunt definito, quàm definitioni: eo quòd ab essentia quam explicat definitio non effluant, sed rei conueniunt potius ratione singularitatis vel materiæ. Ob hoc, dum accidens aliquod monstramus conuenire definitioni ex definito, probatiuè satis proceditur: dum autem econtrario, non probatiuè.

De locis à descriptione, & nominis interpretatione.

CAPVT V.

Quid sit descriptio.

DESCRIPTIO est oratio indicans esse rei per accidentalia, id est, per propria, vel per accidentia, quibus à cæteris discerni possit, vt animal risibile, est descriptio hominis: animal rudibile, asini. Habitus laudabilis, descriptio est virtutis: habitus vituperabilis, vitij. Ex accidentibus, Vt animal habens liberum actuum suorum arbitrium, est descriptio hominis. Illud verò neutiquam prætereundum est, quod admonet Rodolphus Agricola, & ante eum Boëtius, propter verarum definitionum maximam penuriam, plerunque loco definitionum dari descriptiones. Cùm enim tam imbecille sit humanum ingenium, vt vix vllarum differentiarum præter vnam rationale aut alias paucas, possit habere notitiam, fit vt neque veras definitiones, quæ ex vero genere & vera differentia debent componi, præter vnam aut alteram habeat. Exemplo sunt philosophorum definitiones, quæ ferè omnes nil aliud quàm descriptiones sunt, ex accidentibus rerum conflatæ. Parum autem refert quærenti verum fructum horum locorum, si non semper verissimum genus & verum proprium habeat. Sufficit enim, horum loco aliquid eis quàm fieri potest, vicinum inuenire. Quòd si verum proprium inueniri facile non potest, ex multis accidentibus in vnum conflatis, longiori verborum ambitu, descriptionem licebit conflare. Vt verbi gratia, asinus vero genere & vero proprio sic potest breuissimè describi. Asinus est animal rudere natum siue rudibile. Per accidentia verò, si eum velis describere, inue-

nies in asino solidos pedes, numero quatuor, aures longas, & fœcunditatem partus. Quibus in vnum collectis accidentibus, ita licebit asinum describere, Asinus est animal quadrupes, solidis pedibus, auritum, & fœcundum. Ad eundem modum licebit singulis naturis rerum diligenter inuestigatis, siue per proprias passiones, siue per accidentia propria, quamlibet rem depingendo describere. Quam differentiam ipsa quoque nomina definitio & descriptio per se indicant. Est enim definire, rem tota sua essentia finire, & velut terminare. describere verò solam deformationem crassam & figuralem delineationem importat. Quia tamen (vt dictum est) raræ admodum sunt veræ definitiones, cogimur plerunque descriptionibus huiusmodi accidentalibus illarum loco vti. Propter quod, Cicero & Themistius hos duos locos in vnum concluserunt. Distinxerunt verò Boëtius, & post eum Agricola, cæteríque Boëtio posteriores.

Asini descriptio

De nominis interpretatione.

Nominis verò interpretationem nemo authorum neglexit, quippe cuius est ad plurima vsus accõmodatissimus, iis præsertim qui vtramque linguam, aut etiam plures probè callent, id quod apertè M. Tullius testatur, dicens, notationem (sic enim ille appellat interpretationem) multa in disputando elici ex verbo. Sit exempli gratia, quæstio, Num Dialecticæ sit impendenda opera? à nominis interpretatione ita licet argumentari: Dialectica ars est disserendi, huic studendum nemo dubitat, est igitur studendum Dialecticæ. & ita de alis scientiarum nominibus, Grammaticæ, Rhetoricæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ: quarum sunt hæ interpretationes. Grammatica est ars literaria. Rhetorica, ars rectè eloquendi. Arithmetica, ars rectè supputandi. Geometria, ars terras mensurandi. Astronomia, ars astrorum normam tradens.

Est autem interpretatio, non rei definitio: sed nominis Etymologica explanatio siue explicatio, quam logici definitionem nominis vocant, atque ita definiunt. Interpretatio est nominis « minus noti per aliud magis notum explicatio. In hoc enim dif- « fert à definitione & descriptione, quòd hæ rem ipsam, siue per essentialia, siue per accidentalia determinant: illa verò tantùm nominis rationem & significationem declarat. Græci quod nos interpretationem dicimus Boëtium insequentes, Etymologiam appellant, quod Cicero verbum ex verbo interpretatur veriloquium. Siquidem ἔτυμον Græcè significat verum, λόγον oratio-

Interpretatio

nem. Cicero autem in libris Topicis fugere se dicens vocabuli huius

huius nouitatem, quod ipse non satis aptum iudicabat, notationem maluit dicere, quòd verba sint rerum notæ. Aristotelem verò rei notam dicit symbolum appellasse.

Fiunt autem ab his duobus locis argumentationes ita per omnem modum vt suprà ostendimus. In loco à definitione, affirmatiuè scilicet atque negatiuè, subiiciendo & prædicando. A' descriptione quidem sic argumentabitur: Nullus habitus laudabilis vilescere facit habentem, nulla igitur virtus. Contrà verò, quilibet habitus laudabilis exornat possessorem, igitur quælibet virtus id facit. Mansuetudo est habitus laudabilis, est igitur virtus. Scientia non est habitus laudabilis (scientia enim neminem per se laudabilem efficit) non est igitur virtus. Maximæ harum argumentationum roboratiuæ hæ sunt, Quicquid prædicatur de descriptione, prædicatur item de descripto. De quocunque prædicatur descriptio, de eodem & descriptum. Quicquid negatur de descriptione, & de descripto negatur. De quocunque negatur descriptio, descriptum de eodem negabitur. A descriptione argumentatio.

» Ab interpretatione quoq; tot modis argumentari possumus. » Sit quæstio, Num Iesus peccatores debuit suscipere, atque cum » eis conuersari? ita terminabitur, Saluatorem atque sanatorem » animarum decebat peccatores suscipere, ergo Iesum id decebat. » Quæratur, Num aduersus Christum, Iudæi iustè blasphemias coniiciebant? respondebimus, non iustè id factum ab illis, quoniam in vnctum domini nequaquam phas erat conuicia iacere. Ita ostendimus Euangelio credendum esse, atque Euangelizantibus esse administranda necessaria, quoniam bono nuntio cœlestis regni toto corde erat acquiescendum, & eiusmodi nuntij gratissimis annuntiatoribus omni iure erant subministranda corporis necessaria. Ita ostendimus monacho non conuenire discursum superuacaneum per vicos ac ciuitates, quoniam solitario id minimè conuenit. Sic verùm philosophum docemus non debere auarum esse aut ambitiosum, quoniam verus amator sapientiæ huiusmodi esse non debet. Ita clericum ostendimus non debere se ingerere secularibus negotiis: quoniam in sortem Dei segregatum id minimè decet. Maximæ verò harum argumentationum loci, ex prædictis relinquuntur notæ. Cum quocunque enim conuenit interpretatio, cum eodem & interpretatum: & cum quocunque illa non conuenit, nec istud conueniet.

Quomodo autem diximus locum assignari posse à defini-

to, distinctum à loco qui dicitur à definitione, sic & alij duo loci signari possunt, à descripto & interpretato. Ex quibus, tametsi non multum accipi posse videantur argumenta in se probatiua, si cui tamen contingat descriptum notius esse descriptione, aut interpretatum interpretatione, huic probatiuum erit huiusmodi argumentum, quod ita à descripto vel interpretato sumetur.

Sub his autem tribus locis tres alij comprehenduntur. Sub loco enim à definitione comprehenditur locus à differentia, propterea quòd differentia sit bona pars definitionis. Vt, Concha est sensibilis, igitur est animal. Asinus non est rationalis, igitur nec homo. Maximæ. Cum quocunque conuenit differentia, cum eodem conuenit & id cuius est differentia. Et à quocunque remouetur differentia, ab eodem remouetur & id cuius est differentia. Sub loco à descriptione, continetur locus à proprio, vel ab aliquo obtinente locum veri proprij, eò quòd ex huiusmodi conficiatur descriptio. Vt, Egestas non est per se laudabilis, non est igitur virtus. Modestia est per se laudabilis, igitur est virtus. Maximæ. De quocunque negatur proprium, de eodem negatur & id cuius est proprium. Et de quocunque prædicatur proprium, etiam id cuius est proprium. Sub loco ab interpretatione, continetur locus à synonymis, Vt, Hoc est ensis, igitur est gladius. Maxima, De quocũque prędicatur vnum synonymorum, de eodem & reliquum.

A differentia

A proprio

A Synonymis

De loco à toto vniuersali.

CAPVT VI.

INTER locos à concomitantibus substantiam, primus est locus à toto, qui diuiditur in quatuor locos: in locum videlicet à toto vniuersali, à toto integrali, à toto in quantitate, & à toto in modo. Quibus adduntur, loci à toto in loco, & à toto in tempore. Totum vniuersale idem est quod superius vel vniuersale, vt quodlibet genus respectu suarum specierum, & quælibet species respectu suorum indiuiduorum. Vt animal respectu hominis, homo respectu Ioannis. Dicitur autem totum vniuersale, quod propter suam communitatem suas species in se includat, quemadmodum totum suas partes: ex quo, dum fit diuisio, velut ex toto partes eruuntur. Partes autem subiectiuæ nominantur, quia subiiciuntur toti secundùm ordinatam prædicationem, & prædicamentalem dispositionem vel coordinationem. Fit autem argumentatio ex hoc loco, tam affirmatiuè quam negatiuè, ex parte subiecti atque ex parte prædicati.

Totũ vniuersale.

Modi argumentandi.

Neque

Neque magnifaciendum est quod quidam dicunt à totovniuersali affirmatiuè non valere argumentationem, nisi ponatur constantia partis ad quam est procedendum. Item à parte ad totum non valere negatiuè, nisi constantia partis posita. Si quidem constantia (quam vocant) in huiusmodi argumentationibus subintelligitur, taciteque semper includitur, etiam si non exprimatur in propositione illa quæ tenetur in mente dum enthymema conficitur. Constantiam autem poni dicunt alicuius, quando ipsum esse astruunt. Vt si talem conficiam argumentationem, Omne animal sentit, homo est, igitur homo sentit. Hic in secunda propositione dicunt constantiam poni hominis. Verùm illam satis putamus intelligi in ea quæ in mente tenetur, homo est animal, aut conclusionem sub conditione intelligimus. Igitur homo si est, sentit.

Faciamus igitur à toto vniuersali argumentationes affirmatiuè, ex parte subiecti, hoc modo. Sit quæstio, Num iustitia sit res vtilis & expetenda dicemus ita habere, quoniam omnis virtus est res vtilis & expetenda. Valet & negatiuè. Vt si quæratur, Num furtum sit vtile? ita licebit ex hoc loco argumentari, Nullum vicium est vtile, furtum est vicium, igitur furtum non est vtile. Maximæ horum argumentorum, sunt istæ: Cum
» quo conuenit genus, cum eodem conuenit & species. Cum quo
» non conuenit genus, nec etiam species. Similiter ex parte prædicati licebit argumentari ad hunc modum, Hoc animal habet omnem sensum, igitur habet olfactum. Hic homo omnem habet virtutem, gitur & pietatem. Negatiuè, Hoc corpus non habet sensum, igitur nō habet olfactum.

Fit quoque totidem modis argumentatio ex specie ad genus, siue à parte subiectiua ad totum vniuersale. Affirmatiuè quidem subiiciendo. Concha habet vel vnicum vel duos tantùm sensus, igitur aliquod animal vnicum sensum vel duos tantùm habet. Veritas apud improbos odium parit, igitur quædam virtus apud improbos odium parit. Negatiuè subiiciendo, ita argumentamur: Concha non habet omnes sensus, igitur aliquod animal non habet omnes sensus. Affirmatiuè prędicando: Habet tactum, igitur habet sensum. Negatiuè prædicando, Non habet visum, igitur non omnem sensum habet, vel aliquem sensum non habet. Non habet charitatem, non igitur
« omnem habet virtutem. Maximæ: Cum quo conuenit pars sub-
« iectiua, cum eodem & totum. Cum quo non couuenit pars, nec

totum. Hoc autem est in huiusmodi argumentationibus obseruandum, vt cùm à toto vniuersali proceditur, semper ipsum accipiatur vniuersaliter. Nam ab ipso tantùm particulariter sumpto, non valet ad partem argumentatio. Vt non sequitur, Aliquod animal habet omnem sensum, igitur concha habet omnem sensum. Nisi fortè in consequente omnes partes accipias disiunctiuè, hoc modo: Aliquod animal habet omnem sensum, igitur homo vel brutum habet omnem sensum. Contra verò cum à parte ad totum proceditur, ad totum particulariter sumptum procedi debet. Non enim sequitur, Concha tantum vnum sensum habet, vel duos, igitur omne animal tãtùm vnum vel duos sensus habet. Neque si auis alas habet, consequens est omne animal habere alas. Ab omnibus tamen partibus copulatiuè sumptis, per modum inductionis valebit argumentatio.

Et quoniam circa singulos pene locos solent plures adduci malæ argumẽtationes, potissimum enthymematicæ, aliquo defectu laborantes, aduersus omnes huiusmodi generalis potest vna responsio adhiberi, dicendo eatenùs valere argumentationem enthymematicam ex his locis desumptã, quatenus ex propositione explicita cum ea quæ tenetur in mente, bonus potest confici syllogismus, vel categoricus, vel vt minimum hypotheticus, secundum modum aliquem rite dispositus. Vbi verò id fieri non poterit: non valebit enthymema. Exempli gratia, hęc argumentatio sumpta à specie non valet. Auis volat, igitur omne animal volat. quoniam suppleta propositione quæ subintelligitur hic habetur syllogismus, Auis volat & auis vel omnis auis est animal, igitur omne animal volat. Qui syllogismus quoniam non valet (in tertia enim figura vniuersaliter concluditur, & proceditur à termino in antecedente non posito vniuersaliter, ad eundem in conclusione vniuersaliter positum) idcirco nec enthymema prius factum valebat. Similiter istud enthymema, Animal currit, igitur homo currit, non valet, quia syllogismus ad quem reducitur non valet, iste videlicet, Animal currit, & homo vel omnis homo est animal, igitur homo currit. Maiore enim particulari in prima figura, nihil sequitur. Item non sequitur. Tantum animal est homo, igitur tantum animal est substantia eò quòd iste syllogismus est malus: Omnis homo est substantia, tantum animal est homo, igitur tantum animal est substantia. Est enim in prima figura minor virtualiter negatiua, & proceditur à termino substantia in antece-

dente

dente non posito vniuersaliter ad eundem terminum in conclusione vniuersaliter positum. Nam signum tantum, hanc habet virtutem, vt terminum mediatè sequentem vniuersaliter accipi cogat termino immediatè sequenti, non ita posito, ad hanc formam examinabitur quælibet argumentatio sophistica, quæ in debita forma peccabit.

De *loco à toto integrali.*

CAP. VII.

» SECVNDVS locus à toto: est locus à toto integrali. Totum
» integrale est, quod resultat ex partibus quantitatem haben-
» tibus. Pars integralis est, quæ cum aliis partibus reddit quanti-
» tatem totius. Partes integrales illæ sunt, quæ certo ordine ad-
inuicem coniunctæ constituunt magnitudinem seu quantitatem totius. Vt ex capite coniuncto collo, & illo cum humeris, & iis rursum cum brachiis & ventre, atque ita deinceps, integratur hominis quantitas. Quemadmodum ex coniunctione fundamenti cum parietibus, & parietū cū tecto integratur aut magna, aut parua, aut ampla, aut stricta domus & item in aliis.

Inter has autem partes integrales, quædam principales & præcipuę nominantur, sine quibus totum nequaquam potest subsistere. Vt hominis præcipuæ partes sunt, caput, cor, intestina, & aliæ eiusmodi partes. Cæterum manus & pedes sunt partes minus principales, quia sine ipsis nihil prohibet rem subsistere. Integrales tamen partes sunt, quia ex ipsis est toti sua integritas. Non enim dicitur homo integer, perfectus, & omnibus suis partibus absolutus, si aliquo decentium membrorum sit mutilatus: quemadmodum domus imperfecta dicetur, si nullam feneſtrā habeat, aut focum non habeat: aut aliquid eorum quæ solent domus habere. Si verò tectum non habeat, ne domus quidem nomine appellabitur: adeò est tectum præcipua pars domus. Cùm ergo dicimus in proposito, argumentationem fieri à toto integrali ad partem, vel à parte ad totum, non loquimur nisi de parte principali.

Fiunt autem argumentationes à toto ad singulas partes, tantùm affirmatiuè. Vt si hoc est domus, igitur & tectum habet & parietes & fundamentum. Si est homo, igitur caput habet & collum & ventrem, cor & intestina, cæteraque membra vitæ necessaria. Maxima. Posito toto integrali, poni necesse est & quamlibet partem eius. Ad partes autem minus principales non valet argumentatio, Domus est, igitur focum ha-

bet, aut fenestras, aut alia huiusmodi non simpliciter necessaria ad simplicem existentiam domus. Nec sequitur: Homo est, igitur duas aures habet, aut quinque digitos, aut duas manus. Veruntamen à perfectione totius, posset procedi etiam ad minus principales partes hoc modo, Si hæc omnino perfecta est domus, igitur & fenestras & focum habet, & penu atque cubiculum. Si homo omnino integer & perfectus est, igitur duas aures habet, & quinque digitos in singulis manibus. Nam si aliquo horum careat, mutilatus aut truncatus homo dicetur: & domus aliquo eorum quæ in perfectis domibus inueniri solent carens, rectè imperfecta dicetur.

Negatiuè autem non valet argumentatio à toto ad singulas partes: Domus non est, igitur non habet fundamentum. Sæpe enim domo diruta manent fundamenta & parietes aliqui. Et tugurium parietes quidem habet & tectum, cùm non sit domus, ob fundamenti defectum. Si tamen ad omnes partes simul sumptas, sub disiunctione procedatur, ita valebit: Si enim domus non est, igitur vel fundamentum vel tectum vel parietes nõ habet. Si homo non est, igitur vel caput vel collum vel cor non habet. Maxima. Si totum non est, aliquam eius partem non esse necesse est.

De loco verò qui est à parte integrante ad totum integrum, contrario modo est determinandum. Valet enim argumentatio à negatione singularum partium, ad negationem totius. Vt, si idolum cor non habeat, non erit homo, si tugurium fundamentum non habet, domus non est: si dirutum ædificium tectum non habet, non est domus. Maxima. Ablata parte aliqua principali, totum esse non potest. In partibus autem minus principalibus non valet argumentatio, nisi arguatur ad perfectionem totius. Si enim hoc ædificium focum non habet, aut fenestram, aut cubiculum, domus perfecta non est.

Affirmatiuè à singulis partibus nequaquam valet argumentatio. Nõ enim sequitur: Habet fundamentum, igitur est domus, aut tectũ habet, igitur est domus. Ab omnibus tamen simul & cõiunctim sumptis valebit. Si enim fundamentum, parietes & tectum habet, est domus. Maxima, Positis omnibus partibus, necessario ponitur totum. Est autem huius loci à toto integro ad partem, atque alterius item qui à parte sumitur ad totum, magna vtilitas iis qui in eo benè exercitati fuerint: cùm videlicet considerantes quæ & quanta ad integritatem vniuscuiusque rei

perti

pertineant,ex eorum consideratione de re ipsa quæ ex illis integratur iudicamus: vel econtrariò de partibus ex ipso toto. Ad hunc modum Boëtius colligit res humanas prouidentia regi,ex consideratione totius. Mundus,inquit,prouidentia regitur,& res humanæ sunt pars mundi, igitur res humanæ prouidentia regantur. Rursum,ex consideratione omnium partium ostendit medicinam esse vtilem. Morbos,inquit, depelli,salutẽ seruari mederique vulneribus vtile est,igitur medicina est vtilis. Ex his enim constat & integratur medicina.

Sic arguimus aliquem esse legis impletorem: quoniã Deum diligit & proximum. Ex his enim duobus integratur impletio legis: quoniam(iuxta verbum domini)in his duobus tota lex pendet,& Prophetæ. Contrà verò à negatione vnius partis,ostendimus aliquem non esse impletorem legis: quoniam vel Deum non diligit,vel proximum. Sic pietatem habere quempiam colligimus,si & Deum,& parentes, & præceptores, maiores item atque minores,affectu debito colat. Ex his enim integratur vera pietas. Si autem horum omnium vel vnum defuerit,colligimus nõ habere illum pietatem. Ita colligimus iustum quempiam esse,qui & Deo reddit quæ sua sunt,& hominibus item vnicuique quæ sua sunt. Alterũ autem si desit,iustitiam quoque negamus illi adesse. Sic liberalem probamus,qui & illic dat vbi dandum ratio dictat,& vbi dandum non est,à dando abstinet. Alterum si desit,liberalitatem destruimus. Ita in singulis virtutibus, quantum vnaquæque ad sui integritatem requirat,diligenter contemplandum.

Similiter & in scientiis argumentari possumus: Grammaticum esse, quoniam rectè dicere & rectè scribere nouit: alterum si desit,Grammaticum esse negamus. Dialecticum esse, si & promptè inuenire nouit ad quæstionem propositam argumenta,inuentáque disponere. Rhetorem esse, si & rectè inuenire nouit, & disponere, & eloqui, memorari quoque & pronuntiare, atque ita in cæteris. Grammatica enim constat in rectè loquendo, & rectè scribendo. Dialectica in rectè inueniendo, & disponendo siue diiudicando inuenta. Rhetorica constat quinque partibus, inuentione, dispositione, eloquutione, memoria,& pronuntiatione. Ita in cæteris scientiis considerandum,ex quibus sit vniuscuiusque integritas. Ex hoc quoque loco colligimus artem quamlibet esse vtilem vel inutilem: si videlicet aliqua eius pars sit prohibita vel inutilis. Vt

(exem

(exempli gratia) Magicam artem ostendimus malam & illicitam esse, quoniam consultatio dæmonum, & quæ cum ipsis habetur conuentio mala est & illicita. Est enim hæc pars magicæ artis. Item gnatonicam siue assentatoriam artem damnamus, quoniam etiam falsum dicentibus assentiri (quod est bona pars eius) malum est. Sic lenonum & meretricum artem damnamus quoniam inescare adolescentes (quod est pars artis illorum) pessimum est. Ita in ceteris.

Vehementer autem poterit ex hoc loco affectus commoueri, si ex eo accipiamus Rhetoricam eloquutionem, per explicationem singularum partium eius rei de qua loquimur. Veluti si CHRISTI domini nostri miseriam quam *in* passione sensit, ita proponam, Ecce Deus & homo CHRISTVS, qui singula corporis sui membra hominum obsequiis dedicauerat, cuius caput, os, guttur, lingua, edocendis ignorantibus plurimum laborauerunt, cuius aures neminem respuerunt, cuius oculi multa semper miseratione pauperes respexerunt, cuius manus plurimos sanauerunt, cuius pedes terram docendi gratia multo labore itineris perambulauerunt, cuius genua in oratione pro nobis sæpe, multum & diu terræ affixa hæserunt, cuius cor multa pro nobis sollicitudine frequenter angustiatum fuit, cuius intestina omnia pro nobis subinde exhausta fuere laboribus, penique qui totum sese quantus erat, hominum obsequiis dedicauerat, ecce hîc modò ab ingratissimis hominibus, à capite ad pedes vsque affligitur, & leproso assimilatur: caput corona spinea pungitur, & arundine cæditur: cerebrum & oculi vigiliis deficiunt: aures cum barba vellicantur crudeliter, humeri ligno graui onerantur, manus diris stringuntur vinculis, palmę & volæ horridis perfodiuntur clauis, lingua felle vexatur & aceto: denique membra vniuersa flagellis cæduntur, & roseo perfusa sanguine madent. Quis tantam non exhoresçat miseriam? tantam non execretur ingratitudinem?

Sic hominis possumus vtilitatem ostendere, ex singularum consideratione partium. Quæso te, quid homine secundum corpus vilius? quid capitis vertex, nisi testa quædam fictilis? quid cerebrum intus reconditum, nisi lactea quædam coagulatura? quid oculi, nisi congelatus humor? quid nares, nisi meatus immundæ putredinis? quid aures, & ipse suas profundentes sordes? quid denique venter & intestina omnia, denique totus ipse homo, nisi vas quoddam fictile, & saccus ster-

cora

coraceus, sordibus & fœtore pleniſsimus? Quid igitur ſuperbis, terra & cinis, impurum ſterquilinium: imò ſtercus ipſum & filius ſtercoris? Ad hunc modum licebit & ſingularum virtutum præcellentiam ex partium ipſas integrãtium commendatione, item & ſcientiarum atque artium vtilitatem oſtentare.

De loco à toto in quantitate.

CAPVT VIII.

PRAETER hos duos, ſunt alij quatuor modi totius. Inuenitur enim in quantitate quoddam totum, & quædam pars. Item in modo, in loco, & in tempore. Totum in quantitate eſt, quodlibet vniuerſale vniuerſaliter ſumptum, id eſt, quilibet terminus communis cum ſigno vniuerſali acceptus. Nam (vt Boëtius ait) cùm omnia dicimus, in quantitate totum dicimus. Si verò aliquid quantitatis excerpimus, quantitatis ponimus partem. Quia enim multitudo quantitas eſt, quando per ſignum vniuerſale ſignificamus totam multitudinem eorum, de quibus loquimur eſſe aut talem, aut talem, non immeritò in quantitate totum nominabimus vel vniuerſum. Vt qui dicit, omnem hominem habere ſenſum, dicit vniuerſam hominum quantitatem ſiue multitudinem habere ſenſum. Cùm verò partem aliquam excerpimus, ſolum vnam aut alteram ponentes, rectè in quantitate vel multitudine partem dicimus. Vt cùm dicitur Petrum, aut Ioannem habere ſenſum, iam ſolum pars illius multitudinis prioris dicitur habere ſenſum. *Totum in quantitate.*

Eſt autem differentia inter totum vniuerſale, & totum in quantitate. Hæc ſola, quia non dicitur totum in quantitate, niſi ſumatur cum ſigno vniuerſali: totum vniuerſale autem dicitur, etiam ſine ſigno vniuerſali. Propter quod, à toto vniuerſali & à toto in quantitate omnino eædem fiunt argumentationes. Non enim valet (vt ſuprà diximus) à toto vniuerſali ad partem argumentatio, niſi ipſum ponatur vniuerſaliter: quod cùm fit, totum in quantitate habetur. Econuerſo autem non ſimiliter procedi-tur. Nam ab vna parte ſubiectiua ad totum vniuerſale non vniuerſaliter poſitum, valet argumentatio. Ad totum in quantitate debet procedi ab omnibus partibus ſimul ſumptis, ad eum modum quo ſuprà oſtendimus fieri inductiones. Vnde omnis inductio quomodocunque fiat, ſiue ex parte ſubiecti, ſiue ex parte prædicati, ad hunc locum pertinet, qui dicitur à partibus in quantitate ad totum. Quare breuitati ſtudentes, iis quæ ſufficienter antè dicta ſunt repetendis ſuperſedemus.

De lo

De loco à toto in modo.

CAP. IX.

IN MODO etiam inuenitur totum & pars. Cùm enim vocabulum nulla determinatione restrictum simpliciter & per se profertur, in modo totum dicitur, quasi non distractum aut diuisum, aut restrictum aliquo modo, sed absq; modo integrum manens. Cùm verò terminus per se prius sumptus, adiecta determinatione, per modum aliquem specialē determinatur, meritò pars in modo vocatur: quia per additum modum, quasi per particulam quandam, discerptum atque cōtractum est. Vt cum, homo, dico, quasi omni modo liberum, totū nominatur in modo: cùm verò, homo albus, vel rudis, determinatio vel modus qui adijcitur, partem efficit.

Fiunt autem hîc argumentationes, sic per omnē modum, vt suprà ostendimus in loco à toto vniuersali: videlicet affirmatiuè & negatiuè, ex parte subiecti & ex parte prædicati: & omnino similiter fiunt maximæ. Sit exempli gratia quæstio, Num rudes homines sint capaces disciplinæ? sic à toto argumentamur, Omnes homines sunt capaces disciplinæ, rudes autem homines etiam homines sunt, igitur & ipsi capaces sunt disciplinæ. Sit itē quæstio, Num malos & ingratos homines diligat Deus? dicimus, ita esse: quoniā omnes simpliciter homines, vt suas facturas diligit. Negatiuè argumētamur: Deum malos homines non odire, quoniam nullos homines Deus odit. Item colligimus Deum non irascendo mutari, quoniam omnino non mouetur aut mutatur. Maximæ sunt, Cū quocunque conuenit totum in « modo, & pars. Cum quocunque autem non conuenit totum, « nec pars. A' parte verò ad totum ex opposito fiunt argumenta, sicut à parte subiectiua ad totum vniuersale, affirmatiuè, scilicet & negatiuè ex parte subiecti & ex parte prædicati. Sit quæstio, Num anima moueatur? ita terminabitur: Anima mouetur irascendo, igitur mouetur. Angelus mutatur intelligendo atque volendo, igitur mutatur. Homines impij damnabuntur, igitur aliqui homines damnabuntur. Homines impij non saluabuntur, aliqui igitur homines non saluabuntur. Maximæ patent.

Est autem cautè hîc aduertendum, ne pro parte in modo sumatur dictum secundum quid, vt Philosophus appellat, hoc est, ne pro determinatione restringente, sumatur aliqua non restringens, vtpote diminuens, amplians, aut alia distrahens. Sola enim

enim determinatio restringens, facit partem in modo. Cæterùm determinationes aliæ omnes, faciunt dictum secundum quid & argumenta sophistica. Est autem determinatio restringens, quando terminus sine determinatione prædicatur vniuersaliter de aggregato ex determinabili, & determinatione. Vt omnis homo albus est homo: omne quod mouetur irascendo, mouetur. Omne currens velociter currit. Quando verò terminus simpliciter sumptus non verè prædicatur de toto aggregato ex determinatione & determinabili, non est pars in modo, sed dictum secundum quid, & determinatio adiecta non est restringens, sed vel distrahens, vel diminuens, vel amplians. Exempli gratia, Homo præteritus, non verè est homo. Nequiter humilis, non est humilis: fictè sanctus, non est sanctus. Item non omne album dentibus, simpliciter album dicendum est, vt Aethiops: nec omne quod mortuum animal, est simpliciter animal: nec omne quod depictus homo est, simpliciter homo dicetur. Ideò hæc non sunt partes in modo, sed dicta secundum quid: quæ faciunt locum sophisticum, quemadmodum in elenchis sophisticis latius agetur.

Quid restringens determinatio.

De loco à toto in loco & tempore.

CAPVT X.

IN LOCO totum nominatur, aduerbiũ vniuersaliter omnem locum significãs, vt vbique, nusquam, nullibi. Pars verò in loco dicitur, quæ particulariter aliquem tantùm locum significat, vt hic, illic, istic, in domo, in templo, in hoc aut illo loco. Similiter in tempore totum vocatur, aduerbium omne tempus significans vniuersaliter: vt nunquam, semper. Pars verò in tempore est dictio significans aliquod tempus particulariter, vt nunc, hodie, heri.

Totum in loco & tẽpore.

Sumuntur autem argumenta per hos locos affirmatiuè & negatiuè. Affirmatiuè à toto in loco, Deus vbique adest, igitur & in cubiculo quamlibet secreto adest. Vbique dominatur Deus, igitur & in abyssis maris & in infimo baratri. A' toto in tempore, Semper fuit beata Diuinitas, igitur & tunc beata fuit cùm nondum vlla esset facta creatura. Semper vera dixit CHRISTVS, igitur & tunc verum dixit, quando ait de omni verbo otioso esse reddendam rationem. Negatiuè à toto in loco: Nusquam desunt mali, igitur neque in desertis, neque in monachorum conuenticulis mali desunt. Nusquam abscondi potest homo à conspectu Dei, igitur neque in abditissimis

terræ

terræ latibulis. A' toto in tempore: Nunquam mentita est veritas, neque tũc igitur mentita est, cùm dixit, difficile esse diuitem intrare in regnum cœlorum.

A' parte quoque in loco ad totum valet negatiuè tantùm, hoc modo, In cœlo non sunt mala, igitur non vbique sunt mala. Romæ non est vsus potus frumẽtarij, (quem cereuisiam vocamus) igitur non vbique eius est vsus. Non fuerunt homines tunc cùm mundus nondum subsisteret, igitur non semper fuerunt homines. Dum prandetur, voce orandum non est, non semper igitur voce orandum est. Harum autem argumentationum confirmatiuæ maximæ hæ sunt.

Cum quo conuenit totum in loco aut tempore, cum eo & « pars. Cum quo cõuenit pars, cum eo & totum. Cum quo autem « totum non conuenit, nec pars. Cum quo pars non conuenit, nec « totum. Affirmatiuè autem, ab vna parte non valet. Nõ enim « sequitur: Hîc est, igitur vbique est. Modò vera loquitur, igitur semper vera loquitur. Ab omnibus autem partibus simul sumptis valebit. Vt, si Deus est in cœlo, & in inferno, & in mari, & in terra, & in aëre: Deus vbique est.

De loco à causis.

CAP. XI.

Post absolutos locos totius, restant ij loci qui à causis & ab earum effectis sumuntur. Ponunt autem Physici quatuor genera causarum, de quibus plenè à nobis tractatum est in libris, quos de consideratione rerum naturalium ædidimus, per totum librum secundum qui & à causis tituli habet inscriptionem. Pauca tamen & hic dicenda sunt, quantum necessitas postulat, & propositum deposcit. Causarum itaque alia est materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis. Definitur autem « sic causa. Causa est, ad cuius esse sequitur aliud. Hoc est, illud « est causa, cuius virtute quoquo pacto aliquid efficitur. Id enim omne, quod aliquo modo est ratio cur alterum existat, causa nominatur. Vt domus causæ sunt, faber qui constituit eam, lapides & ligna ex quibus componitur, forma quoq; & figura eius, ac postremo quieta inhabitatio. Sequitur autem effectus causam, non quidem tempore. Nam simul & sol exoritur & dies fit. Neque Logica consequentia. Sunt enim nonnullæ causæ voluntariæ, quæ pro suo arbitrio liberè possunt vel agere vel non agere, vt homines, sequitur autem natura seu ordine naturali. Ordine enim naturæ id quod efficit vel aliquo modo facit ad

elt ad esse alterius, prius seu dignius est eo quòd ab ipso esse accipit. Sic pater naturæ ordine semper filio prior manet, ad quantumuis etiam magnas dignitates euecto: quemadmodum narrat Gellius in noctibus Atticis. Honestissimam cõcertationem inter patrem & filiũ, vter vtri cederet loco, quod hic dignitate præiret patrem, pater verò naturę ordine filio esset præfectus. Prima autem causę species est, causa efficiens, quę sic definitur: Causa efficiens est, à qua primo fit motus, vt aliquid fiat. Nam quod præstat in agẽdo principiũ motus, quódq; primum operi velut manũ admolitur, hoc nimirũ efficiens est. Vt qui domum struit, & fundamẽta iacit, ac parietes superstruit, deinde tecto ædificiũ cõplet, aut qui huiusmodi administrat, effecisse domum dicitur. Sic ignis facere ignem dicitur: & in summa, quilibet artifex sui operis efficiens est, & quodlibet naturale agens suum opus vel operationem efficit. Verùm nõ in omnibus, nec semper eodẽ modo sumitur argumentum. Sunt enim causarum quædã necessariæ, id est, sine quibus effectus certus fieri nequit, Vt dies non nisi ex ortu solis causatur. Nox solum ex aduentu tenebrarũ per solis ablationẽ à nostro hemisphærio. Eclipsis solis, non nisi ex interpositione lunæ inter solẽ & aspectũ nostrum. Eclipsis lunæ, non nisi ex interpositione terræ inter solem & lunã. In his causis sunt argumenta tam affirmatiua quàm negatiua, tam à causis quàm ab effectibus. Vt sequitur, Sol exoritur, igitur dies est, vel dies fit. Sol abscedit à nobis, aduesperascit igitur. Iam sol totus occidit, tenebræ aduenerunt, nox igitur est. Sol nondũ exortus erat cùm Troia deuastaretur, nõ est igitur interdiu Troia deuastata. Nõ erit hoc anno interpositio lunæ inter solẽ & aspectum nostrũ, igitur nõ erit solis eclipsis. Erit hodie interpositio terræ inter solẽ & lunã, igitur hodie lunæ eclipsis erit. Ab effectu, Vt Dies fit, igitur sol oritur. Iam plenus dies est, igitur sol totus nobis ortus est. Luna eclipsatur, necesse est igitur terrã interpositã esse inter solem & lunam. Non eclipsabitur hoc anno luna, neq; igitur erit interpositio terræ.

» Maximæ hæ sunt, Posita causa efficiẽte, ponitur & effectus
» eius. Ablata causa efficiẽte, necessariò aufertur & effectus.
» Posito effectu, ponitur & causa ad talem effectũ necessaria.
» Ablato effectu, aufertur & causa. Quędã verò causæ sufficientes tantùm sunt, nõ etiã necessariæ, Vt iugulatio causa

sufficiens est mortis, nō necessaria tamen. Potest enim mors pluribus aliis modis accidere, quemadmodū Boëtius in suo libro de Consolatu Philosophico deflet. Quos sæpe, inquit de hominibus, muscularum morsus, aut vermiculorum in secreta quæque naturæ reptantium necat introitus. Ab his causis valet solum argumentum affirmatiuè sumptū, & ab effectu negatiuè. Vt sequitur: Si hic iugulatus est, necessariò ipsum interiisse: & si non interiit, neque iugulatum esse. At non consequitur: si interiit, iugulatum esse. Neque oportet, si non sit iugulatus, non interiisse. Sunt enim hæc duo argumenta sophistica.

De vulgatiori vsu horum locorum à causis.

CAP. XII.

SOLENT autem vulgò recentiores in omnibus his locis à causis, atq; ita ab effectibus, nō aliter argumentari, quàm vel in propositionibus quas vocant de est secūdo adiacēte, id est, à positione vnius ad positionem alterius: vel à destructione ad destructionē, aut cū prædicatis bonū & malum, à bonitate causæ ad effectū, vel ecōtrario. Neq; modos illos argumentandi nos dānamus, cùm rectè valeant. Verùm posterius ostendemus & alium longè meliorem & generaliorē horū locorū vsum, omnibus disciplinis artibúsq; nō mediocriter commodū. Prius tamen per singula causarū genera discurrentes, paucis indicabimus modos illos argumentandi vulgatiores, ne vel fastidire vetera, vel vtiliū quicquā negligere meritò arguamur. Itaq; ab efficiente causa, ita vt suprà ostensum est, argumētamur à propositione causæ ad effectū, & ecōtrario, itē & ab abnegatione. Vbi & hoc est adiiciendū, quando in terminis significantibus potentiā vel habitū assignatur causa, tunc in cōsequente inferri debere nō actualem effectus existentiā, sed possibilē. Exempli gratia: Si domificator est, domus esse potest: si adest pistor, panis haberi potest: si scriptor, scriptura haberi potest. Ad actualē autem existentiā nō valebit argumentatio, Pistor est, igitur panis est. Domificator est, igitur domus est. Nā etiā si nullus actu sit panis, pistor tamen verè dicitur is qui artē vsumque habet coquendi panem: & scriptor dicitur, nulla actuali existente scriptura. Deniq;, & si actuali vocabulo exprimatur causa, non tamen esse, sed fore aut fieri, aut incipere effectū colligemus. Nō enim sequitur, Domificās est, igitur domus est,

A causa efficiente.

est. Quãdiu enim in faciendo domũ artifex occupatur, nõdum illa subsistit in esse, sed tantùm est in fieri. Sic igitur licebit argumentari: Est qui domificat, igitur domus incipit esse aut fit, aut in fieri est, aut erit, subaudi, si pergat artifex.

Ab esse autẽ effectus ad esse causæ, siue actualis siue potẽtialis, nõ valet argumẽtatio. Nõ enim sequitur: Domus est, igitur domificãs aut domificator est. Domus enim subsistit, etiã tunc quãdo multos annos is qui eam struxit quieuit in cinere. Sed vel esse vel fuisse aliquando causam, infertur ab existentia effectus. Item à fieri effectus ad existentiã causæ proceditur. Si enim domus fit, necesse est quispiã sit qui ędificet eam. Circa locũ autem à causa materiali, distinguitur duplex materia: quædã permanens, quædã transiens. Materia permanens dicitur, quæ in re postquã effecta est permanet in sua natura. Vt lapides & ligna & calx, sunt materia permanens domus. Postquã enim domus extructa fuerit, lignum manet lignũ, & lapides permanent lapides. Transiens autẽ materia est, quę secundũ suã substantiã nõ manet in re effecta, sed mutatur & formã accipit aliã. Vt farina & aqua sunt materia panis, sed transiens: quoniã postquã panis coctus est, nec farinam vltrà videmus, nec aquam. Similiter filix est materia vitri transiens: quoniã cum vitrum factũ est, nusquã filix apparet, sed transit. Secundũ diuersitatẽ autẽ huiusmodi duplicis materiæ, aliter & aliter fiunt argumẽtationes à materia. Verũtamẽ affirmatiuè argumẽtando nihil refert. Similiter enim proceditur à positione materiæ ad possibilitatem effectus hoc modo, Ferrum est, igitur cultер ferreus, aut arma ferrea possunt esse. Aqua & farina
» sunt, igitur panis haberi potest. Ligna & lapides & calx ad-
» sunt, potest igitur haberi domus. Maxima, Posita causa materiali, possibile est effectũ poni. In argumentando autẽ negatiuè, aliter proceditur. A' materia enim permanẽte auferimus effectum, si non actu subsistat causa materialis hoc modo, Non est ferrum, non igitur sunt arma ferrea. Non sunt lapides neque ligna, non igitur domus. Maxima, Re-
» mota causa materiali permanente, remouetur effectus. In
» materia autem transeunte, ex actuali negatione materiæ nõ valet negatio effectus. Non enim sequitur, Non est farina, igitur non est panis, Non est filix, non igitur vitrum. Sed vt valeat, oportet ita procedere. Non fuit filix, igitur non est

A' *causa materiali.*

vitrum. Non fuit farina, igitur nō est panis. Valebit tamen ad fieri effectus, hoc modo: Non est ferrū, non possunt igitur fieri ferrea arma. Non est farina, nō fit igitur panis, neq; fieri potest: subaudi, quamdiu nō est materia. Ab effectu causæ materialis permanentis sic proceditur: Arma ferrea sunt, igitur ferrum est. Domus lapidea est, igitur lapides & ligna sunt. In materia autē transeunte sic: Vitrum est, igitur filix fuit. Panis est, igitur farina fuit. Maximę. Posito effectu causæ materialis permanētis, ponitur simul & causa. Posito effectu causæ materialis transeuntis, necesse est materiam ipsam præfuisse. Negatiuè autē nō valet à negatione actualis existentiæ in neutra materia. Nō enim sequitur: Domus nō est, igitur ligna & lapides non sunt. Vitrum nō est, igitur filix nō est. Valet tamen, si negetur possibilitas effectus, hoc modo. Panis non potest esse, igitur farina & aqua non sunt.

Possumus quoq; argumentari in prædicatis, bonū & malum hoc modo: Farina fuit bona ex qua panis iste pistus est, igitur panis bonus est. Farina mala fuit igitur panis non est bonus. Ferrum bonum est vnde hæc arma facta sunt, igitur ipsa arma bona sunt. Si autem ferrum nō est bonū, nec quæ ex illo facta sunt. Maximę. Si causa materialis bona est, ipse quoq; effectus bonus est. Si causa materialis mala est, effectus malus erit. Vbi tamen aduerte, cùm affirmatiuè bonitas effectus ex bonitate causæ colligitur intelligendum esse consequens, non secundum omnimodam effectus bonitatem, sed quantū ex ratione materiæ. Potest enim esse panis malus, etiā ex optima farina coctus: nimirū si pistor malè coxerit, aut nimium fermenti iniecerit, aut aquæ nimium, aut si alius aliquis defectus aliunde cōtigerit. Sic potest domus esse mala & ruinosa etiam quæ ex optimis lapidibus, & calce præstantissima fuerit ædificata à malo artifice. Ab effectu quoq; valet econuerso. Si enim effectus bonus est, & causa materialis bona sit necesse est: si autem ille malus (intellige ex vitio quod ad materiā attineat) & ipsa causa materialis mala erit. A' causa autē formali sic argumētamur affirmatiuè, Albedo est, igitur album est. Scientia est, igitur sciens est. Anima bruti est, igitur brutum. Negatiuè, Si non est albedo, non est albū. Maximæ, Posita causa formali, ponitur effectus. Remota causa formali, remouetur & effectus. Econtrariò itē ab effectu valet affirmatiuè, Si albū est,

A' causa formali.

albed

albedo est: si homo est, animal rationale est: si lapis est, forma lapidis est. Negatiuè, Si non est album, non est albedo: si non est brutum, non est anima bruti. Vbi nota, duplices esse formas, substantiales, & accidentales. ac rursum, quasdam dici naturales, quasdam artificiales. Quam distinctionem plenius in Physicis declarauimus, libro secũdo. In omnibus autem formis, siue accidentalibus, siue substantialibus, siue naturalibus, siue artificialibus similiter valet argumẽtatio. In forma tamen humana, hoc specialiter est obseruandũ, vt non solum ab esse eius procedatur, sed ab inesse. Non enim sequitur, Anima rationalis est, igitur homo est. Sequitur tamen, Anima rationalis inest corpori, igitur homo est. Quòd autem in sola anima rationali hoc sit speciale, inde est, quia ipsa sola potest esse quando non inest materiæ, quod de nulla alia forma habet veritatem, cùm ipsarum omnium esse sit inesse, nec possint vnquam extra materiam subsistere, vt in Physicis plenissimè declaratum est, libro primo & octauo. Sub hoc autem loco à causa formali, concludendus videtur locus ille qui apud Aristotelem signatur ab inexistentia formæ ad subiecti ab ea denominationẽ qui cõmuniter breuitatis gratia appellari solet locus ab inesse ad denominare. A' quo itẽ argumentamur: Parieti inest albedo, igitur ipse est albus. Animæ inest scientia, igitur anima est scies. Item in formis substãtialibus: Huic cõpõsito naturali inest rationalis anima, igitur est homo. Maxima. Vnumquodq; subiectum à forma inexistente denominari debet. A' causa deniq; finali argumẽta fiunt, in prædicatis, bonũ & malũ. Vt si beatitudo est bona, igitur virtus est bona. Virtus enim ordinatur ad beatitudinẽ consequendã, tanquã ad propriũ suũ finẽ. Sanitas bona est, igitur amaræ potionis sumptio bona est: deambulatio quoq; post cœnam, & alia huiusmodi quæ ad sanitatem tanquã ad optatũ finẽ ordinatur. Item speciei conseruatio bona est, igitur generationi intẽdere bonũ est. Ordinatur enim naturaliter generatio ad speciei cõseruationẽ sicut nutritio ad individui sustẽtationẽ. Maximę, Cuius causa finalis bona est, ipsum quoq; bonũ est. Cuius finis malus est, ipsum quoq; malum est. Fit etiã ab effectu causæ finalis argumẽtum ad causam: Virtus est bona, igitur beatitudo bona erit: Peccatum est malum, igitur dãnatio mala erit. Effectum autẽ causę finalis appellamus id quod ad aliquid ordinatur tã-

quam ad finem, estq; velut medium quo per se finis attingitur. Vt virtus ad beatitudinem ordinatur, & peccatum ad damnationem, medicinalis potio ad sanitatem.

De vsu generaliore locorum à causis.

CAP. XIII.

Totum istud caput diligẽter expẽde cum ijs omnibus quæ de causis dicuntur.

PRAETER autem formas & modos & vulgatiores istos quibus vulgo solent ab his causis duci argumenta, alij sunt longè præcellentiores, generaliores, & vtiliores, quibus omnis ars, omnis vti posset disciplina, & de re qualibet aptissimè disputari. Est enim locorum istorum à causis tanta fœcunditas, tantámq; subministrant argumentorum copiam, vt non videam certam aliquam argumentandi ex eis formã posse præscribi. Id quod & Seuerinum Boëtium in Commẽtariis super Topica Marci Tullij arbitror sensisse, qui loco à causis maximam non aliquam prioribus similem assignauit, specialem videlicet & paucis argumentis commodam, sed generalissimam & maximè vniuersalem, dicens, vnamquanq; rem ex causis spectari debere, id est, de vnaquaq; re ex causis iudicandum esse ac disserendum. In his ergo locis exercitatissimos se reddere studeant, qui artis huius verum vsum & fructum quærunt. Nec enim alius est locus, è quo fructum ampliorem referat exercitatio. Vt nõ temere præcepisse videatur Satyricus, Discitéq; (inquiens) ô miseri & causas cognoscite rerum. Nec sine causa dixisse videtur ille Poëtarum princeps Virgilius: Felix qui potuit rerũ cognoscere causas. Nos verò, vt viam quandam indicemus rudibus & inexercitatis, diuersarum rerum diuersarúmque professionum, varia exempla proponemus.

Et primum quidem à causis efficientibus ducamus argumenta. Quærat politicus: Num iustitia ciuilis, quæ nocẽtes cogit etiam extrema ferre supplicia, naturalis sit, an fortè cõtra naturam per tyrannidem potentum intrusa, ita quæstio terminabitur considerata efficiente causa. Cõgregatio hominũ est naturalis: quoniã natura homo animal ciuile est atq; domesticum, quod ad cohabitandum pariter cum aliis sui generis naturali inclinatione fertur. Hæc autem congregatio & cohabitatio hominum, à principio iustitiam istam induxit. Non enim poterat pacificus haberi conuictus, nisi penes aliquem esset potestas vitæ & mortis, qui noxios puniret, innocẽtes defenderet. Igitur iustitia illa naturalis est.

Quæ

Quærat Physicus aut medicus, num somnus sit naturalis? ita argumentabimur: Post fatigationem ex longa vigilia & continua operatione in sensibus contractam, ab operatione sensitiua aliquantulum requiescere ad restaurandum sensibus vigorem est naturale. Hoc autē somnium efficit, igitur somnus est naturalis & necessarius. Quærat deinde ethicus, Num etiam somnolentia sit naturalis vt somnus? respondebimus, non: quoniam pigritia & vitiosa assuefactio amplius quàm oportet, & quando non oportet dormiendi, somnolentiam efficit, non ipsa natura. Non est igitur somnolentia naturalis aut necessaria, sed innaturalis & fugienda. Sic Physicus probauit, homini esse naturale cibo nutriri: quoniam calor ille qui humidum radicale consumit ipsoque pascitur, naturalis est, atque ipse est nutritionis causa efficiens.

Quærat Theologus, Num mors ab initio homini conueniat secundum naturam? Dicimus: non quoniam peccatum extra naturam est, & diaboli item malitia extra hominis naturam est: hæc autē efficiēs causa sunt mortis. Inuidia enim diaboli (vt ait Sapiens) mors intrauit in orbem terrarum, & (iuxta Apostolum) per peccatum vnius primi hominis in omnes homines mors pertransiit. Non igitur secundum naturam à principio mors homini conuenit. Quærat rursum, Num post corruptā naturam hominis per peccatum mors sit naturalis? Dicimus, ita habere: quoniam calor naturalis post hanc inductam corruptionem naturaliter semper aliquid consumit humidi radicalis, nec fit per nutritionem tam boni humidi reparatio, vt antè, sed deficit semper à primaria bonitate, atq; ita post lignū vitæ præclusum, dū nō potest fieri omnimoda reparatio, tandem necessariū est penitus calorem deficere ac hominem mori. Ad hunc locum pertinet, quod in Euangelio Christus Dominus peruersis Pharisæis ait: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Ex affectu enim peruerso vt causa, prauum sermonem vt effectum causæ adsimilem colligit. Id quod & confirmat, dicens: Ex abundātia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, malus similiter mala. Hoc est, iuxta causæ efficientis qualitatem, effectus cōsequitur. Ad idem pertinet quod dicit, Omnis arbor bona fructum bonum facit, mala autē malū. Si enim arbor quæ est causa efficiens & producēs fructus, bona est, erūt &

Sapien. 2.
Rom. 5.
Matt. 12.
Matth. 7.

fructus boni: contrà autẽ, mali, si arbor mala fuerit. Cùm autem à fructibus docet arborem cognoscere, ab effectibus ad
Matt. 15. causam docet procedere. Rursum hoc loco ab efficiente causa & alibi vtitur cũ probat ea quæ intrant per os non coinquinare animam, ea autẽ quæ de corde procedunt, inquinare. Quæ enim in anima possunt efficere maculã, sola illa sunt quæ de corde nascuntur: ea autẽ quæ per os intrãt, non sunt huiusmodi. Vbi enim nõ est propria inquinationis causa, effectus inquinationis inueniri non poterit. Sublata enim causa aufertur effectus. Per hũc locũ Paulus apostolus apud
Corin. 15. Corinthios astruit resurrectionem mortuorum, ex resurrectione Christi. Si mortui, inquiens, non resurgunt, neq; Christus resurrexit. à negatione videlicet effectus ad negationẽ causæ efficientis, quoniã Christi resurrectio quodammodo causa est efficiens beatæ resurrectionis fideliũ. Iurisperitis quoq; & æquitractatoribus, iis etiam quorũ est in forensem contentionem descẽdere, vix alius locus est vtilior. Lex est, Si iumentum via publica pascens in vicinũ pratum cõscendens, domino prati damnum intulerit, damnũ resarciat qui est iumenti Dominus. Ponimus hanc rem trahi in cõtentionem. Quis dubitat, causam damni statim esse spectãdam, ad litem dirimẽdam? Si enim dominus pascuæ in causa est cur transcenderit iumẽtum, vtpote quia vel dolo viam aperuit iumento vt damno afficeret dominũ, vel per incuriã munire pascua sua iuxta morẽ regionis neglexit, absoluitur à pœna iumenti dominus. Si verò in causa ipse est, quia cũ sciret equum petulantem cõpedibus non strinxerit, neque custodes adhibuit, damnum resarciat qui damnum dedit. Similiter de boue cornupeta qui hominẽ trucidauerit. Itẽ de nauta qui naufragiũ faciendo merces perdidit, si quæstio fiat. In his atq; similibus omnibus causis semper spectãda est, & ex causa res terminãda. Si enim is cuius est bos cornupeta, causa est necis, id est, si cũ nosset talem eum fuisse ab hert & nudiustertius, & non eũ domi alligauerit, punietur vt iustũ est. Si verò non ipse in causa est, vtpote si prius nũquã tale quicquam audierit vel viderit, sed subito aliquo impetu res peracta est, merito absoluitur dominus, vt qui causam necis nullã dederit. Sic nauta, si causa est submersionis nauis, quoniam vel per negligẽtiã vel per inscitiã cũ debuisset & potuisset seruare nauẽ, non fecit, ipse vt causa submersionis resarciat

dam

damum. Si verò nullam ipse causam dedit submersioni, si omnem adhibuit diligentiam omnemque industriam, nec potuit præ tempestate & fluctibus, parcendum est misero, nec illi imputandum damnum. Ipse suæ nauis, alter merciũ suarum iacturam feret. Ad hunc locum pertinet, quod rem laudamus aut vituperamus, bonam aut malam, vtilem aut inutilem colligimus, ex ipso vel authore vel consultore. Sic omnem creaturam bonam probat Apostolus, quoniam Dei est, & à Deo facta ad vsum hominum. Peccatum autem malum esse cognoscitur, quoniam diabolus malus ipsius author est. Ipse enim mendax est & pater eius, nempe mendacij. Ita mors non simpliciter bona esse probatur, quoniã bonus Deus (vt ait Sapiens) mortem non fecit. Mala autem est quia malus diabolus & malum peccatũ ipsam effecit. Hinc colligimus, bonum esse consilium, bonum propositum, quoniam à Deo suggeritur, à sanctis angelis cõfirmantur. Hinc virginitas bona esse, & præcellenter supra matrimoniũ bona comprobatur, quoniam Christus eam consuluit, item & Apostolus. vt virtutem perfectiorem. Vniuersaliter enim cõsiliarius efficiens causa dicitur sui consilij. Sic quod viri graues, prudentes & experti consulunt, commendatur. Vnde est illud Poëtæ, Barbato crede magistro. Quod autem consulunt pueri, inexperti, imprudentes, carnales, merito vt suspectum non amplexabimur. Quomodo si rectè collegisset Roboam, non ita fœdum paternum auitumque regnum scidisset. Hinc quod diabolus suadet, quod caro suggerit, quod mundus ostentat suspectum haberi debet Non enim boni sunt isti consiliarij, neq; tales quibus tutò fidi possit. Quod autem spiritus domini suggesserit, id certissimum est consilium. Ita lex vnaquæque aut consuetudo, à primis institutoribus aut subsequentibus approbatoribus, cõmendatur vel reiicitur, præfertur alteri vel postponitur. Sic enim Apostolus apud Hebræos de vtraq; lege disserens, nouam præfert veteri, quòd ista per angelos data fuerit, ac per Moysen ministrum tantum & famulum Domini promulgata populo: illa verò per ipsum Dei filium instituta, confirmata & prædicata fuit. Hinc veneranda omnia nouæ legis sacramenta, quòd Christus ea instituerit, Apostoli spiritu sancto inspirati promulgauerint. Hinc omnis scriptura sacra summa veneratione digna colligitur, quoniam ab ipso

1. Tim. 4. Ioan. 8. Sapien. 1. Matt. 19. 1. Cor. 7. 3. Reg. 13. Hebr. 2.

spiritu Dei(iuxta Petri testimonium)profecta.Hinc omni veneratione & obseruatione dignum esse arguimus sacrum quadragesimale ieiunium, quod olim eximia illa legis columina,& Moyses & Helias obseruauerunt, ac deinde Christus ipse in se consecrauit, nobisque commendauit. Hac quoq; ratione magicas artes damnamus,quòd à diabolo sint authore profectæ.Ita agriculturæ ars,vt omnibus antiquior & præstantior probatur,quòd ab ipsa Dei institutione post peccatum sit profecta, naturali necessitate cogente,non vlla curiositate superuacanea præter necessitatem adinuenta,vt aliæ pleræque, quemadmodum variæ tincturæ,sculpturæ,atque texturæ,quibus nihil opus erat humano generi,sed luxus hominum ea effinxit. Sic ars vsuraria damnatur,quam hominum progenuit auaritia:ars cupediaria,quam adinuenit gula satiari nescia,atq; ita in cęteris. Hoc etiam loco vti commode possumus ad exhortationem filiorum dum parentes efficientes causas proponimus,vt illos vel ad imitandum eorum probitatem excitemus,vel ab
Tob.8. eorum improbitate reuocemus.Primi exemplum est apud Tobiam,vbi filius accepturus Saram in vxorem,à sponsa & à seipso specialem exigit hac oratione castitatis pudorem. Filij(inquit)sanctorum sumus,ideò non possumus ita coniungi sicut Gentes,quæ ignorant Deũ.Huc respicit & quod
Rom.11. Apostolus ait:Si radix sancta & rami:& si delibatio sancta,
Ioan.8. & massa.Huc & illud pertinet saluatoris:Si filij Abrahæ estis,opera Abrahæ facite.Vos ex patre diaboli estis,ideò eius opera vultis perficere.Secundi verò exemplum propo-
Psal. 94. nit scriptura,cùm filius loquens ita ait:Hodie si vocem eius audieritis,nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione,vbi tentauerunt me patres vestri.Sic & in Euangelio
Matt. 23. Dominus improbis Iudęis ait,Quem prophetarum non occiderunt patres vestri? statim subiungens, Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

De vsu loci à causa materiali.

CAPVT XIIII.

EX loco quoq;,à causa materiali,alia adferri possunt à superpositis argumẽta.Vbi primum nota,materiam considerari duplicem:alteram ex qua res cõponitur simul cum forma.Vt homo cõponitur ex suo corpore simul cũ anima. Hæc vocatur materia ex qua.Aliter appellamus materiam,

id cir

id circa quod versatur alicuius cõsideratio. Vt materia scientiæ cuiuslibet, dicitur id de quo talis est scientia, aut circa quod eius consideratio versatur. Vt materia dialecticæ, est argumentatio: materia grammaticæ, est eloquutio: materia Physicæ, corpus naturale: materia Theologiæ, ipse Deus. Dicitur quoq; virtus quælibet habere suam materiam circa quam versatur, vt sobrietas est circa cibum & potum, patientia circa res difficiles tolerandas, fortitudo circa res arduas aggrediendas. Idcirco cibus & potus dicuntur materia sobrietatis siue temperantiæ, vsus rei venereæ est materia continentiæ, res toleratu difficiles materia sunt patientiæ, res arduæ fortitudinis, atq; ita in cæteris: quorum plena determinatio ex morali doctrina petenda est. Dicitur quoque omne votum, omnisq; promissio aliquam habere materiam, ipsum videlicet de quo fit votum aut promissio. Ex consideratione igitur materiæ, multipliciter argumenta trahimus. Hinc enim colligimus, virtutem alterã, alteri præstare: quoniam alia materiã habẽt sublimiorem, alia humiliorem: ita sciẽtiam vel artem aliam alij præstare, ex materia circa quã versatur. Ideò enim inter omnes mechanicas agricultura videtur honestissima & vtilissima: quoniam circa ea versatur quæ sunt humano generi omnium vtilissima. Hinc illæ artes quæ circa res vtiles humano generi occupantur, verè vtiles probãtur: illæ autem quæ tantùm circa superuacanea, & curiosa, aut etiã apertè noxia & prohibita, vel minus probãtur, vel omnino reiiciuntur. Propterea Physica disciplina aliis est præstantior sermocinalibus: quoniam illæ in vocibus hærent, ista res naturales contemplatur. Inter partes quoq; Physicæ scientiæ, Aristoteles ex hoc loco argumentatur scientiam de anima esse cæteris præstantiorem, quoniam illa de anima est, quæ omnium naturarũ est nobilissima, & præstantissima. Omnium verò scientiarum simpliciter altissima esse probatur Theologia: quoniam materiam habet omnium præcellentissimam. Moralis autem scientia antecedit medicinam: quoniam illa circa morbos animæ, ista circa morbos corporis curandos. Deniq; legum cognitio medicorum scientia videtur inferior, quòd hi circa corpus hominis occupentur, illi potissimum circa possessiones atque pecunias, vt quid sit vniuscuiusq; proprium definiant. Corpus verò melius est temporalibus bonis. Hinc omnium virtutum

Argumenta à materia.

eminẽn

eminentissimę probãtur tres illæ quæ appellantur Theologicæ, nempe Fides, Spes, & Charitas, quòd immediatè circa materiam excellentissimam ipsum Deũ versentur. Cæteræ verò immediatè circa aliquid mediũ occupantur, quod ad Deũ dirigitur, vt circa passiones malas refrenandas, aut vtilia opera peragenda. Hoc quoq; modo colligimus votum esse bonum aut malum, seruandũ aut rescindendũ, si videlicet materiã habeat bonam, bonum erit, si malam, vtpote si vel in apertè malum fertur vel in minus bonũ, quo aliud maius bonum excluditur, malum erit. Similiter laudatur cõsiliũ, propositũ, cogitatio, affectio, & studium, si circa rem bonam sit: damnatur, si circa rem malam. Vnde & vita contemplatiua voce Domini ex materiæ consideratione præfertur
Luc. 10. actiuæ, quoniam ista sollicita est, & turbatur erga plurima. Illa verò vni inhæret, quod est necessarium. Huc pertinet quod de beato Augustino legitur & canitur: Testamentum nullũ fecit, quia vnde faceret, non habuit. Simili modo Augustinus ipse probat, vitã actiuam non fore in patria, ex eò quòd nõ inuenietur illic materia, circa quam hic modo versatur. Modo, inquit, quia esuritur, quia sititur, misericordia miseris necessaria est. Frangis panẽ esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle nuditatẽ, cui præstas vestem? Ac post pauca cõcludens sic ait: In futuro nõ erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. Ex materia quoq; corruptibilitas aut incorruptibilitas, longa aut breuis duratio arguitur. Hinc enim cœlum ostendimus esse incorruptibile: quoniam materiã non habet agẽtibus & patientibus adinuicem primis qualitatibus subiectam. Cætera autem corpora inferiora: quoniam materiã habent eiusmodi qualitatũ actioni subiectã, corruptibilia probãtur. Item quo vniuscuiusq; corporis naturalis materia maximè passionibus huiusmodi est obnoxia, eò res ipsa fragilior faciliusq; corruptibilis probatur. Hoc modo ex materia argu-
Psalm. 8 mentandi miratur Psalmista, hominem stellis & cœlestibus corporibus viliorẽ dicens, Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorũ, Lunã & stellas quæ tu fundasti. Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis, &c. Quasi dicat postquã illa sunt incorruptibilia, homo autẽ corruptibilis: quid igitur est quòd tãti facias hominem, cùm videatur hac ex parte illis quoq; inferior? Deniq; hoc ex loco, cõsiderã

rata conditione materiæ, argumentamur id quod ex ea factum est tale esse aut tale. Vt cùm sic colligimus, Vas istud est vitreũ, igitur mundũ est, sed fragile: cereum, igitur liquescet facilè. Poculum istud est quercinũ aut faginum durabit igitur. Domus ista ex luto tantũ & stramine constructa est, non multæ igitur erit durationis. Domus est lapidea, nõ facilè igitur inflammabilis. Monumentũ hoc æreũ est, igitur perstabit in multa secula. Statua hæc aurea est, magni igitur pretij. Cymbalum istud argenteum est, igitur bene sonorũ.

De loco à causa formali.

CAPVT XV.

» PORRO à formali causa (iuxta Boëtij traditionẽ) vniuscuiusq; rei virtutẽ metimur. Ideò enim Dedalus volare non potuit, quia naturali forma ad volandum dispositus nõ fuit. Maximã huic argumento istam assignat: Tantum vnaquæq; res potest, quantum eius forma naturalis permittit. Hinc colligitur aquam non posse naturaliter calefacere, neque ignem frigefacere: sed econtrariò aquam posse frigefacere, & ignem calefacere. Cùm enim omnis actio siue operatio à forma aliqua debeat procedere (vt in Physicis declaratũ est) si forma illa quæ requiritur ad talem, aut talẽ operationem probetur rei non adesse, monstratũ erit talem operationẽ illi rei nõ conuenire. Vt (exempli gratia) nihil potest calefacere, nisi mediante calore, quæ est forma quædam accidentalis, per quã debet fieri operatio calefactionis. Cuicunq; igitur monstratum fuerit non inesse calorem, huic neque calefactionem competere monstratum est. Videtur autẽ in his forma simul & sub ratione efficientis considerari. Arguimus enim à forma quatenus est talis operationis effectiua vel non effectiua. Idem ferè argumentandi modus est, quo iubemus vnumquẽque artificem intra suos limites consistere: vt (iuxta prouerbiũ) sutor nõ vltra crepidam, nec in alienã messem professor quilibet falcem mittat. Nequit enim artifex de ea re iudicare, cuius non habet peritiã. Si agricola quispiã est, de agricultura & rusticatione decernat: si calcearius est, de calceis: si pellio, de pellibus. Si Grammaticus est, de rebus grammaticis iudicabit. Si Mathematicus, de mathematicis. Si autẽ Theologus non est, rerũ Theologicarũ determinationẽ sibi non vsurpabit. Si Dialecticus non est, de rebus dialecticis temerè nõ definiet. Ita quoq;

Argumenta à causa formali.

gene

generaliter ab vniuscuiusq; professione argumẽtari licebit, ad ea quæ professionis illius sunt officia. Est enim professio velut forma quædam. Quemadmodũ enim formis naturalibus res distinguuntur in natura, naturalibusq; officiis, ita professione sua quisq; determinatur ad officia sibi conuenientia, videturq; res humanæ alioqui confusæ, huiusmodi statuum ac professionum diuersitate, velut ad ornatum distingui, vt in naturalibus omnia alioqui indistincta per formas distinguuntur. Ita licebit argumentari, Monachus es, diuinis igitur rebus intende, à secularibus autem negotiis & tumultibus abstine. Maritus factus es, igitur prolium generationi & educationi familiæq; gubernandæ dabis operam. Sacerdos non es, non est igitur tuum offerre in Ecclesia sacrificiũ aut sacra peragere. Poëta es, cane igitur fortiũ gesta virorũ. Theologus non es, à rebus igitur decernẽdis abstine fidei. Ita in cæteris. ¶ Considerabimus præterea in rebus humanis, quæ vel signis, vel cæremoniis quibusdam ad hoc institutis fiunt, quo modo aut qua forma vnumquodq; eorum peragatur. Nam & sic à forma licebit argumentari. Exempli gratia, Baptismi Christianorum forma est, vt is qui baptizat super tinctũ aqua sanctæ Trinitatis nomẽ inuocet dicens, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Matrimonij forma est, vt (mutuo sibi consentientes) masculus & fœmina dicant sibiinuicem: Do tibi fidẽ, aut æquialens aliud. Sic igitur licebit à forma argumentari: Hic puer aqua tinctus est, eo qui tingebat nomen beatæ Trinitatis super ipsum inuocante, igitur puer iste baptismum suscepit. Est quippe illa baptismi forma. Item, Hi duo, vir atq; mulier mutuum animorum consensum expresserunt, dicentes: Do tibi fidem, aut æquialens aliquid peregerunt, igitur verum est inter eos matrimonium. Hæc enim est forma matrimonij. Item, Hic religionis sacræ vestem suscepit, atque in manus patris obedientiam, regulæq; communis obseruantiam sanctè promisit, igitur monachus est factus. Hic homo nunquam ab episcopo est inunctus, neq; super eum verba sacra ad id instituta prolata sunt, igitur non est sacerdos. Hac enim forma consecrantur sacerdotes. Ad hũc locum possunt reduci & mores diuersi qui antiquitus ad rẽ quampiam ex institutione seruabantur. Vt si probemus Scipionem triumphasse, ex eo quòd in curru aurato vectus sit à

quat

quatuor equis albis eum ducentibus,capite coronato,deuictis hostibus currū sequentibus,quorum colla catenis erant onerata,sicq; præeunte senatu in Capitoliū ascendit ad templum Iouis, vbi tauro albo mactato eadem pompa comitatus domū rediit. Hic enim apud Romanos erat mos triumphantium formaq; triumphi. Item,si ostendamus apud Romanos quempiam manumissum, ex eo quòd Dominus caput serui manu tenens,ita dixisset: Hunc hominem liberum esse volo,statimq; illum emisisset è manu. Hic enim apud illos mos erat in manumissione. Aut si hostes ostēdamus subiugatos ex more quem in subiugando Romani seruabant: duabus quippe hastis in terra defixis tertia superponebatur, ac deinde discincti hostes,sub illa transire cogebantur inermes. Ita in cæteris. Deniq;,à formis res adinuicem comparamus secundum dignitatem maiorem aut minorem. Ideò enim omnium corporum homo est dignissimum, quoniam animam rationalem habet, formam omnium corporalium nobilissimam,nimirum Dei in se gestātem imaginem. Ideò bruta plantis, plantæ rursum inanimatis corporibus præstant:quoniam anima sensitiua vegetatiuę præstat,atq; hæc iterum formis omnibus,quæ nec vegetandi habent virtutē. Similiter ex formis artificialibus opus operi præferimus,iuxta quod forma fuerit præcellentior vel inferior.

De loco à causa finali. CAP. XVI.

FINIS omnium causarum præcipua est,atq; adeò causarum causa, ad quam cæteræ omnes debent secundū proportionem accommodari. Propter quod consideranda semper est diligenterq; spectanda finalis hæc causa, vt inter omnes præcipua. Ex hac enim omnium artium atq; disciplinarum,omnium quoq; consiliorum & operum metimur bonitatem siue vtilitatem. Quorum enim est præstantior finis,illa magis erunt commendanda. Hinc virtutes scientiis meliores colligimus,quoniam illæ ad voluntatem excolendam,& vitam instituendam faciunt, istæ ad intellectum tantùm ornādum. Minus autem est,intellectū exornare,quàm effectum excolere & vitam instituere. Hinc colligimus,meliores esse virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, virtutibus moralibus: quoniā hæ ordinantur ad refrenandum malas passiones,quæ regnant in corpore:illæ verò ad subleuandam mentem affectumq; in Deum,qui finis per se al

Argumenta à fine.

se altero est præstantior. Et vniuersaliter ex fine proposito colligimus causas alias, efficientē, formalem, & materialē. Secundum enim diuersitatem finiū, adhibēndæ erūt diuersæ causæ efficientes, formæ diuersæ, item & materiæ. Exēpli gratia, struere vis ædificiū hoc fine, vt in eo possis etiam ab hostiū vi & impetu esse securus? quære talem artificē qui nō ornatum curet, sed fortitudinē operis: talem quoq; materiā elige, quæ maximam præstet fortitudinē, vt quæ minus facilè possit tormentis bellicis confringi: deniq; formam talem cura induci ædificio, quæ huiusmodi fini magis est commoda, cuiusmodi est forma castrorū aut turriū. Sin verò ædificiū tibi quæris, ad hoc tantùm vt in eo magnificentiam tuam ostentes, inq; eo subinde oblectes animū quære artificem talem qui ornatū amplius & cōmoditatem quā fortitudinem spectet: materiam quoq; accipe commodam, videlicet lapides eminus resplendentes, qui parietibus ædificij decorem tribuant. Formā quoque elige, non castri aut turris, quæ inamænior est, sed quadrati palatij, quæ est oculis gratior. Ita ex finium destinatorū diuersitate, pueris assignātur magistri diuersi, diuersaq; studia. Si prolem tuā destinas religioni, iam inde à puero talem illi delige præceptorem, quē putes ad eum finē posse instituere puerū: talibus quoq; studiis illum fac exerceri, quibus adiuuetur & incitetur ad finem propositū: talibus quoq; moribus fac illum assuescere ab annis teneris, qui fini conueniāt. Sin autem ad aulicam vitam illum destinas, tali eū trade institutori, & talibus moribus imbuendū trade, talibusq; exercendū artibus, quæ ad finem sint destinatum accommoda. Hinc ita licebit argumentari. Vitam beatā adipisci desideras, nō igitur voluptati operam dabis, non carnem curare satages, sed carnem tuā crucifigere, Deiq; mandata seruare. Si ideò studes, vt Deum cognoscere agnitoq; illi seruire valeas: igitur non lasciuis Poëtarum versibus, aut vanis sophistarum captionibus tibi est inhærendum, nec superuacaneis Philosophorum contentionibus immorandum: sed creaturarum sobria cognitio tibi expetenda est, atq; ad libros sacros transeundum, qui te eò quò tendis peruenire doceant. Si ideò loqueris vt ædifices, igitur abstinendum ab iis quæ tantùm aures demulcēt, ea verò proponēda quæ mentem illuminent animumq; accendant. Carnem vis habere spiritui subiectam, assumenda

igitur

igitur ieiunia, orationes, gemitus, pugnæ, & lachrymę. Hæc enim sunt media ad finẽ illum per se ordinata & necessaria.

Nil autem refert, proposito aliquo fine, siue argumenteris ad electionem mediorum conuenientium, siue ad abiectionem disconuenientium, & quæ potius ad contrarium finem deseruiant. Vt cùm ita argumentamur, Vitam beatã adipisci desideras, non igitur vitiis teipsum implicabis, quæ ad mortem perducunt: sed virtutibus & actionibus bonis sedulo dabis operam. Vis in perfectionis studio Deo militare, nõ igitur secularibus negotiis te debes inuoluere (iuxta illud Apostoli, Nemo militans Deo implicat se negotiis se- 2. Timo. 2
cularibus) sed in quiete vitam agere. Hoc modo à fine ex verbis CHRISTI sic argumentamur, Si velis ad vitam ingredi, sunt tibi ergo mandata seruanda. Si velis esse perfectus, sunt igitur tibi vendenda omnia quæ habes, & danda pauperibus, ac deinde ad CHRISTI sequelam est venien- Matt. 19.
dum. Obseruatio enim mandatorũ, est mediũ assequendi finem optatum vitæ æternæ: & omnium propter Christum contemptus, est congruum medium ad assequendam perfectionem vitæ Christianæ. Huiusmodi argumento Domi- Lucæ 9.
nus Iesus Petrum & Ioannem vindictam quærentes aduersum Samaritanos magistrum nolentes recipere confutauit. Cùm enim illi dicerent, Domine vis dicimus, vt ignis descẽdat de cœlo, & consumat illos? ostendit Dominus ex fine ad quem venit in primo aduentu, id non conuenire dicens: Filius hominis nõ venit animas perdere, sed saluare. Tanquã si dicat: Ad hunc finẽ ego veni vt saluem nõ vt perdam, igitur nõ est decens quod vos proponitis, vt ego pro leui iniuria homini facta statim illos perdam: sed magis conuenit, vt mea longanimitate ferendo illos tandem ad pœnitentiam adducam. Simili argumento vtitur aduersum Pharisæos se excusans, quòd cum Publicanis & peccatoribus mãducaret, eósq; benigne susciperet. Nõ veni, inquit, vocare iustos, sed Matth. 9
peccatores ad pœnitentiã. Velut ex hoc manifestè inferens, quòd cum illis deberet magis conuersari: cùm non alio conuenientiori medio illos posset ad salutem adducere, quàm assiduè cum ipsis viuendo ipsosq; instruendo. Simili modo & post mortem in peregrini specie ambulans cum duobus discipulis, declarat ex fine, se debuisse passionem amarissimam perferre. Nónne, inquiens, oportuit Christum pati, & Lucæ 4.

ita introire in gloriam suam? Ac si diceret: Si ad finem erat perueniendum, vtiq; medium respuendum non erat quod
Galat. 6. à Deo erat ad finem talem præordinatum. Paulus quoq; Apostolus à fine argumentatur, cùm ad bonum exhortans discipulos, ait: Bonũ facientes nõ deficiamus, tempore enim suo metemus nõ deficiẽtes. Messis enim retributionis æternæ, omnium bonarum actionũ est finis. Et alibi, quoties ex propositione cœlestis præmij fideles monet, tribulationes mundi patienter ferre, nihil aliud quàm à fine argumentatur: quoniam sustinentia in aduersis mediũ est cõueniens ad promerendum futuræ beatitudinis requiem. Sic & Petrus
1. Pet. 4. Apostolus ait: Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.

Sic & Petrus ex fine nos instruit benedicere semper & nõ
1. Pet. 3. maledicere. Non reddentes, inquit, maledictũ pro maledicto, sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionẽ hæreditate possideatis. Quasi dicat, Finis ad quem prædestinati estis, benedictio est cœlestis: mediũ igitur proportionatũ fini huic eligendũ est, nempe benedictio mansuetudinis, & quod ab illo fine abducit, nempe maledictio iracundiæ, fugiendũ. Ex finium quoq; cõsideratione & collatione, sumitur argumentum pulchrũ & efficax, ad iudicandũ de mediis que ad finẽ huiusmodi ordinantur. Sic Paulus legẽ veterem multis in locis longè postponit nouæ, quòd illa ad hunc finem potissimũ sit data, vt quasi in modum pædagogi seruaret populum duræ ceruicis sub timore, donec promissus aduenire Messias. Lex autẽ noua post illã data est, vt sublato timore, in libertate spiritus per amorem Deo adhærentes, cœlestis regni hæredes constituamur.
Galat. 3.
Hebr. 2. Sic alibi finem laborantium in stadio vel agone huius seculi, cũ fine laborantium in militia Christi comparat dicẽs: Et
1. Cor. 9. illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autẽ incorruptam. Atq; hac comparatione finium, labor Christo seruientium longè præfertur labori eorum, qui pro corruptibili præmio mundo inseruiunt. Simili modo apud Romanos fines bonorum atq; malorum comparat, & quæ ad vtrunq; finem perducunt media ostendere volens, ex diuer-
Rom. 6. sitate finium illa eligenda, hæc abiicienda. Quem (inquit) fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato,

ser

serui autẽ facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Omnium autem horũ argumentorum, atq; eorum omniũ quæ in præcedentibus dicta sunt, vna est generalis maxima, quã supra ex Boëtio citauimus: Vnamquanq; rem ex causis spectari oportet.

Quomodo etiam apud Poëtas multus sit horum locorum vsus.

CAP. XVII.

Quantus apud Poëtas sit vsus locorũ à causis.

SVNT quoq; loci isti apprimè vtiles Rhetoribus atq; Poëtis, neq; est alius quo vel libentius vti soleãt, vel frequẽtius, in quocunq; tandem causarũ genere. Siquidẽ tria apud rhetores distinguuntur genera causarum, nempe deliberatiuũ, iudiciale, & demonstratiuum. Deliberatiuũ ad cõsilia pertinet. Iudiciale ad contentiones & forenses causas spectat. Demonstratiuum verò pertinet ad docendum, ad narrandum res gestas, ad laudandũ aut vituperandũ. In genere deliberatiuo, plurimũ confert causarum diligens cõsideratio. Cõmunis enim deliberandi forma est, Num quod proponitur expediat: deinde, si ad effectum perduci possit quod expedire inuentum fuerit, & quomodo, quibúsq; mediis, & per quos effici possit. Si enim vel nõ expedit quod proponitur, vel non apparet commodus modus ad ipsum efficiendum, statim à deliberatione tanquã vanum reiicitur. Fit autem hoc commodissimè à causis, efficienti potissimũ & finali. Manifestum igitur est, generi deliberatiuo accommodam esse causarum considerationem. Huc etiam pertinet quod suprà diximus, propositũ consiliũ sæpe ab ipso authore vel confutari, vel acceptari. Sic apud Cęsarem in Commentariis, libro quinto de bello Gallico, legati duo, Cotta & Sabinus contendunt. Negat Cotta, authore hoste de summis rebus capienda consilia. Ambiorigem, scilicet, hostẽ reputans. Cõtrà Sabinus, quòd Ambiorigem amicum æstimaret, consiliũ insequendũ contendit, de educẽdis ex hybernis legionibus. Siquidem in hoc versabatur contentio. Ad hũc modum & apud Virgiliũ, vbi de equo per Græcos fabricato in vrbem Troiam transferendo, à ciuibus consultaretur, Laocoon ab ipsis doni authoribus nequaquã in vrbem inferendum esse arguebat, his verbis ciues compellans:

O' miseri, quæ tanta insania ciues?
Creditis auectos hostes, aut vlla putatis

Dona carere dolis Danaûm?

Ac post pauca, quid ex authoribus malę suspitionis colligat, aperit, subiungens in hæc verba:

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Aut aliquis latet error.

Ac postremo conclusionem infert, ita sermonem finiens:

Equo ne credite Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos & dona ferenteis.

Eodem argumento & alij plerique sagacioris ingenij, in eandem ducebantur sententiam: quemadmodum de Capi eodem in loco Virgilius ita inquit:

At Capis, & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaq; dona
Præcipitare iubent, subiectisq; vrere flammis.

Ita videlicet ab ipsis equi fabricatoribus doniq; authoribus prudenter suadebant, ipsum minimè suscipiēdum in vrbem. Cui consilio si fuisset obtemperatum, nō ita copiosum Poëtis omnibus Troia infelix dedisses canendi argumentū: atq; (vt ipsius vtar verbis, qui tuam tuorúmq; cladem canēdo inter Latinos Poëtas principatum iure obtinuit.)

Troiaq; nunc stares, Priamiq; arx alta maneres.

Porrò in genere demonstratiuo, ad laudandum atq; vituperandū, Poëtis & Oratoribus vsitatissimum est causas adferre. Vt apud Virgilium, pocula sua Menalcas cōmendat, ab efficiente, Alcimedonte: à materia, quoniā fagina essent: atque etiam à forma, quoniam sculptura erant mirabili. Ita enim cum Dameta certans, cum de grege nō auderet quicquam deponere, pocula ista commendat, dicens:

Quoniam tibi pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.
Lenta quibus torno facili superaddita vitis.
Diffusos hedera vestit pallente Corymbos.
In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter?
Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Hoc modo laudamus quempiam, à genere, à patria, à pædagogis: quæ omnia quædam efficientes sunt causæ. A genere quidem Ilionæus apud Latinum, Phrygem Aeneam commendat, dicens:

Ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes

Gaudet

Gaudet auo, rex ipse Iouis de gente suprema.

A' doctore autem & pædagogo se cõmendare videtur Persius, ita Cornuto suo loquens:

Cùm primum pauido custos mihi purpura cessit,
Me tibi suppositi, teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.

Sic ij quorum est artes commendare, quidlibet potius negligunt, quàm earum exponere primos inuentores, vnde & illud in Eclogis Virgilianis,

Ab Ioue principium musæ, Iouis omnia plena.
Ipse colit musas, illi mea carmina curæ.

Sic de arte arandi terram in Georgicis ait:

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit.

Ad exhortandum quoq; & increpandum non parũ habet momenti hic locus, cum progenitorum exemplis propositis, vel facta tãtùm commemoratione honesta, ita filios vel adhortamur ad similia, vel ab iis quę genere suo sunt indigna, auocamus. Sic Virgilius Ecloga quarta, siue Saloninum siue Marcellum ad magna exhortatur his verbis:

Aggredere ô magnos (aderit iam tempus) honores
Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.

Contrà, molles Romanos increpat Persius, dicens:

Vos ô patritius sanguis, quos viuere fas est,
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ. Et rursum:
Hic neq; more probo videas, neq; voce serena
Ingentes trepidare Tiros, dum Carmina lumbum
Intrant, &c.

Ad excitandum quoque misericordiæ affectum, flectendósque animos, plurimum valet efficientium commemoratio. Vt est illud Didonis ad Aeneam:

Quis te nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Túne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoëntis ad vndam?

Idem apud Terentium pulchrè tractat Clitipho, sic matrem alloquens: Si vllum vnquã fuit tempus mater, cùm ego tibi voluptati fuerim, dictus filius tua voluntate, &c. Sic orantes ad persuadendũ & exorandum adferre solent, quicquid ad rem impetrandã possit efficere. Quomodo apud Virgilium

Dido abire parantem Aeneam detinere cupiens, interponit obsecrando quicquid illius putet animũ posse commouere.

Per ego has lachrymas(inquiens)dexteramque tuam te,
Per connubia nostra,per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui,aut tibi quicquam
Dulce meum,miserere domus labentis:& istam,
Oro(si quis adhuc precibus locus)exue mentem.

Nec est Poëtis inutile argumentum,quod à materia sumitur. Hinc enim pigrescentem puerum Persius ita alloquitur:

Vdum & molle lutum es,nũc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota.

Quasi dicat, Quia nunc dũ modica est ætas,aptissima es materia disciplinis ac moribus suscipiendis,nũc nũc formãdus es & instituẽdus ad eum modũ quo figulus materiam,cum vda & mollis est,format pro libito. Huc pertinet quod in Georgicis Virgilius docet terras diuersas consyderare,quarum aliæ melius vites,aliæ felicius segetes proferant. Arborum quoq; diuersæ species diuersis in locis ac terris felicius prouenire. Sic enim ille canit secundo Georgicorum libro:

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur,steriles saxosis montibus orni:
Littora myrtetis aptissima,denique apertos
Bacchus amat colles,Aquilonem & frigora taxi.

Simile ferè est quod ex consyderatione ingeniorum diuersis studiis pueros destinamus,vt iuxta conditionem materiæ,id est,qualitatis ingenij,huic,aut illi tradantur disciplinę. Vbi enim materia nõ est idonea,frustrà tentamus quicquam efficere, quemadmodum vetus habet prouerbium: Nihil inuita Minerua. Inde & vulgatum illud, Veterem canem difficile est loris assuescere. Et illud: A' teneris assuescere multum est. Et quod Poëta ait:

Quo semel est imbuta recens,seruabit odorem
Testa diu.

Porrò quàm non negligant formæ considerationem Poëtę, passim eorum omnia indicant. Vix enim curiosius aliud quàm rerum formas depingere satagunt. Ex forma & habitudine corporis, simul & ex voce Aeneas apparentem sibi Venerem,quanquam incognitam & venatorio habitu adornatã,Deam tamen esse colligit,his verbis eam alloquens.

O quam

O quam te memorem virgo, nanque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, ô Dea certè.

A' forma quoque Aeneam pulchrè Virgilius commendat, cum corporis decorem & habitudinem quam ex matris acceperat colloquio, ita describens:

Restitit Aeneas, claráque in luce refulsit,
Os humerósque Deo similis: nanque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, luménque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Cuiusmodi exempla passim apud Poëtas omnes occurrunt. Denique, à fine efficaces admodum sumuntur exhortationes & obiurgationes. Sic enim apud Virgilium Aeneas grauissimis iactatus casibus socios consolatur, ex fine proposito, dicens:

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostentant: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Hìc videlicet proposito fine desiderabili, ad ea quæ pro finis illius adeptione fata volebant ab illis ferri, magno & inuicto animo sustinenda, suos pius Aeneas exhortatur. Alloquens verò Didonem Ilioneus, dolens & indignans, post tot perpessas miserias, ne tunc quidem portum quietum sibi suisque permitti, proposito omnium fine, qui est Dei pro cunctis retributio, monet ab iis abstinere quæ ad finem malum suos authores adducerent. Sic enim ait,

Quod genus hoc hominũ, quæve hunc tã barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemus arenæ.
Bella cient, primáque vetant consistere terra.
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.

A' fine quoque, Persius illos qui vel in populari fauore, vel in voluptatibus corporis finem constituerent studiorum, amara irrisione increpat, dicens:

Vsque adéone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Et iterum aduersus Voluptarium:

Quæ tibi summa boni, vncta vixisse patella?

Iuuenalis quoque vanum Hãnibalis laborem ex vano fine

irridet, his versibus.

I demens, & sæuas curre per alpes,
Vt pueris placeas & declamatio fias.

Videlicet à fine tã vano & ridiculo, quẽ ait quæsisse Hannibalẽ tã nouo molimine, conatũ irridet vanũque comprobat.

Ab effectis quoque locus non infrequens est Poëtis, cuius nos vnum tãtum, aut alterum exemplum proferemus. Apud Virgilium Dido ab Aenea despecta, illum concludit neque patre Dardano neque matre Venere natum, his versibus:

Nec tibi diua parens, generis, nec Dardanus author,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

In argumentum sumit effecta, quæ subsequuntur:

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amãtem est?

Ad eandem formam Priamus colligit Pyrrhum ante oculos suos filium suum trucidantem, non fuisse verum filium Achillis, his versibus:

At non ille satum quo te mentiris Achilles,
Talis in hoste fuit Priamo.

Quasi dicat non potuisse fructum tam amarum, filium tam insigniter in humanum, à bona arbore, à pio & humano patre progigni. Contrà, à filiis per hunc modum & parentes commendamus. Cuiusmodi est illud Aeneæ ad Didonem:

Quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuêre parentes?

Sunt huiusmodi exemplis plena Poëtarum carmina, præcæteris autem quæ à principe Poëtarum Virgilio summo artificio sunt elucubrata, extremaq; diligentia limata. Nobis verò satis visum fuit pauca ista in exemplũ proponere, ad indicandum viam quandã iis quibus per ætatem vel ex professione in huiusmodi literis versari libet ac licet, vt ostenderemus dialecticos istos locos non solum ad inutiles rixas sterilesq; contentiones (id quod scioli nonnulli calumniantur) conducere, imò neq; ad philosophicas tantùm aut scholasticas disciplinas, verumetiam ad Poëticen non minimum habere momenti, adq; enarrãdos ritè Poëtas imprimis esse necessarios. Curioso autem rerum huiusmodi inquisitori data tantilla occasione, nõ erit difficile interim dũ per latos Poëtarum campos oberrat, similia multa passim annotare atq;

in

in vnum aceruum, si libebit, colligere. Sed nos iam in causarum locis nimium demorati, ad eos qui supersunt intrinsecos locos expediendos, ocyus transeamus.

De locis à generatione & corruptione.

CAPVT XVIII.

LOCIS à causis propinqui sunt loci alij, qui appellantur à generationibus & corruptionibus atque ab vsibus. Siquidem generans & corrumpens, quædam efficiētia sunt. Vsus vero est velut finis quidam rei cuius est, cùm vnaquæque res naturaliter ad vsum aliquem ordinetur. A *generatione.*

Fiunt autem ab his locis argumenta, iuxta communē modum in prædicatis bonum & malum. Fit igitur à generatione argumentum, hoc modo, vt si generatio vel acquisitio cuiuslibet rei bona sit, ipsum quoque genitum monstretur esse bonum, vt in his patet exemplis, Generatio domus bona est, igitur domus est bona, Aedificatio templorum, monasteriorum, xenodochiorum, bona est, igitur templa, monasteria, xenodochia bona sunt. Assuefactio ad virtutem bona est, igitur virtus bona est. Assuefactio ad vitium mala est, igitur vitium malum est. Constructio prostibulorum aliorumq; huiusmodi locorum in quibus regnāt vitia, mala est, igitur huiusmodi ædificia mala sunt. Scipionem Aphricanum natum fuisse, ciuitati Romanæ bonum fuit. Nam (vt apud Ciceronem de amicitia Lælius ait) illum natum fuisse ciuitas Romana, dum erit, lætabitur. Igitur Scipio ipse Romanis bonus fuit & commodus. Contrà verò, Catilinam natum esse ciuitati Romanæ, malum fuit
» igitur ipse illi malus fuit & noxius. Maximæ, Cuius gene-
» ratio siue acquisitio bona est, ipsum quoq; bonū est. Cuius
» generatio siue acquisitio mala est, ipsum, quoq; malum est.

Ab hoc loco ita licebit argumentari: CHRISTI natiuitas cœlum & terram lætificat, est igitur ipse natus cœlis & terris festiuus. Speciali cultu Deiparæ virginis Mariæ, & sancti Ioannis Baptistæ natiuitates honorantur atq; celebrantur ab Ecclesia, ideò speciali bonitate ac sanctitate illos natos oportet præcellere. Vnius Mariæ inter mortales omnes celebranda conceptio est, quia ipsa vnica in conceptione veneranda extitit, ab omni macula immunis præseruata. Item, Melior est (iuxta Sapientem) acquisitio sapientiæ ac- P
quisitione auri & argenti, igitur ipsa sapientia melior est

omni auro & argento. Econuerso quoq; valet à genito ad generationem, hoc modo. Domus bona est, ędificatio igitur domus bona. Virtus precioſior est omni auro, ſtudium igitur & acquiſitio virtutis melius est ſtudio auri & omnium quæ poſsint deſiderari. Quia tẽpla bona ſunt, vtpote in quibus laudatur Deus, docetur populus, oblationes ſacræ fiunt à fidelibus, ideò eorum conſtructio bona. Quia delubra & fana dæmonum, ſcholæ ephæborum, aliáq; huiuſmodi impura loca, peſsima ſunt, ipſorum quoq; ædificatio peſsima est. Ideò in hoc benè feciſſe probatur Salomõ, quòd tẽplum Domini ædificauit. In hoc autem malè, quòd idolis vxorum ſuarum fana conſtruxit prophana. Hinc diſſuademus, ne caſtra aliáve huiuſmodi fortalitia permittantur iuxta ciuitates conſtrui: quoniam docet experientia, ipſa conſtructa plerumq; in malum incolarum cedere, tyrannis ad ciuium oppreſsionem loca illa ferè occupãtibus. Hinc de Ioanne Baptiſta ad patrem angelus ait: In natiuitate eius multi gaudebunt, quoniam videlicet ipſe qui naſciturus erat, bonus eſſet futurus, & vtilis omni populo: inde gaudio plena debuit eſſe natiuitas. A' corruptione verò dum argumentum ſumitur, hoc est obſeruandum, vt non idem in antecedente & conſequente ſumatur prædicatum, ſed commutentur adinuicem, bonum malo & malum bono. Exempli gratia. Deſtruere idola, eorum delubra ſubuertere, lucosq; ſuccidere, bonum est: (Ex his enim plerique in ſcriptura commendantur) illa igitur omnia mala ſunt. Fures & homicidas auferri è medio, bonum est & reipublicæ expediẽs: igitur fures ipſi & homicidæ reipublicæ ſunt noxij. Seditioſos homines in exilium mittere, ac de ciuitatibus propellere, bonum est reipublicæ, ipſi igitur ſunt reipublicæ noxij. Virgilij mors prẽmatura rei literariæ mala fuit, (alioqui limatiora adhuc & terſiora haberẽtur eius opera) ipſe igitur Virgilius rei literariæ dum viueret commodus fuit. Perditio virtutis & ſapẽtiæ mala est, igitur ſapientia & virtus bona ſunt. Sanctos martyres occidi malum fuit, igitur ipſi boni erãt. Maximę, Cuius corruptio vel perditio bona est, ipſum est malum. Cuius corruptio vel perditio mala est, ipſum est bonum.

Lucæ 1.

Locus à corruptione.

Ita argumẽtamur ex verbis Domini, ſcandalizatores puſillorum peſsimos eſſe & plurimum noxios, quoniã (vt ipſe ait) expedit eis, vt ſuſpenſa ad collum mola aſinaria mergãtur

tur in profundum maris. Si igitur eos auferri tam bonum est, vehementer malos & noxios esse eos est consequens. Sic Iudæ bonum fuisse dicit Saluator, si natus non fuisset, malam indicans generationem eius, & bonam corruptionē vel non existentiam: videlicet quoniam ipse malus erat, domini sui traditor, horribilissimiq; sceleris autor futurus. Matt. 26

Econuerso quoq; valet à corrupti vel perditi bonitate, ad malitiam corruptionis, siue à malitia ad bonitatē. Si enim mali sunt & noxij fures seditiosiq; homines, bonū est auferri eos de medio. Si bona res est virtus, malum est eam perdere. Si melior est sapientia auro, peior ergo & maioris damni est perditio sapientiæ perditione auri. Idolorum statuæ, delubra & luci, quoniam mala sunt, dirui illa bonū est.

» Maximæ. Si quippiam bonum sit, ipsum corrumpi vel perdi
» malum est. Si quippiam malum sit, ipsum corrumpi vel perdi bonum est. Hoc autē in locis istis obseruandum est, si argumentum sumatur in iis quæ per se bona vel mala sunt. Nam in iis quæ non per se, sed tantùm per accidens siue alterius concomitantis gratia bona vtiliaq; dicuntur, non valet argumentum. Non enim si mors CHRISTI bona fuit, ideò ipse malus erat cùm viueret. Verè enim bona fuit mors CHRISTI, & (iuxta verbum Spiritussancti per os Caiphæ pontificis prolatū) expediens fuit, vnum illum hominē mori pro gente. Veruntamen non per se, aut sui gratia mors illa vel occisio bona fuit, sed tantùm per accidens, ratione concomitantis salutis nostræ, quam per suam mortem ille fuit operatus. Adeò enim per se bonum non fuit CHRISTVM Dei filium, hominem innocētissimum & præceptorem fidelissimum interfici, vt cœlum & terra à facie huius facinoris exhorruerint: id quod & inanimes creaturæ, illo pendente in ligno animamq; agente demonstrarunt, cùm Sol non daret splendorem suum, moueretur terra, atque etiam petræ scinderentur durissimæ. Similiter malè colligit qui lupanarium, aut prostibulorum constructionem vt bonam commendarit, ex eo quod ipsa per accidens bona sunt & commoda. Non enim per se bona sunt lupanaria, quoniam nihil in illis boni geritur, & quicquid illic tractatur, detestandum est. Sed per accidens bona dicuntur, quatenus per ea multæ euitantur honestarum virginum defloraciones & oppressiones: dum in illis ardens libidine iuuentus, Ioan. 11 Matt. 27

ferue

feruorem & furorem suum extinguit, quem alioqui periculum erat ne in virginem aliquam aut ciuem honestam subinde effunderet.

De loco ab vsibus. CAP. XIX.

Locus ab vsibus.

AB VSV autem rerum est argumentum, & frequens & vtile: dum ex vniuscuiusq; rei vsu ipsius bonitatem aut malitiam inquirimus. Quod enim bonũ habet vsum, id bonũ esse probatur. Quod verò vsum malũ habet, id similiter malum esse euincitur. Interdum autẽ fit inquisitio de tota specie vel toto genere, interdũ de singularibus indiuiduis.

Exempli gratia, si quęratur: Num bona res sit vinum, quo tam multos videmus corrumpere naturam bonam, dicemus, bonum esse vinum: quoniam bonum habet vsum, nempe cor hominis lætificare, & animos mœrentes, atq; dejectos erigere. Hunc enim verum esse & naturalem vini vsum, testantur Dauid pater & filius Salomon. Ille quidem canens vinũ exhilarare cor hominis: hic verò, cõsulens vinũ dari iis qui amaro sunt animo, vt obliuiscantur doloris sui. Iuuat quoq; lassatum stomachum, & infirmitatibus multis succurrit, quemadmodum Paulus Apostolus Timotheo scribens indicat, modico vino vtendum illi suadens, propter stomachum & frequentes ipsius infirmitates. Ita colligimus equum bonum esse, quoniam vsum multiplicem habet bonum valde & commodum, nimirum ferre sessorem, siue in bello, siue ad negotia, currum trahere, aratro terram proscindere, aliaq; huiusmodi. Similiter asinus bonus est, quoniam bonum habet vsum, nempe onera ferre ad commodũ domini. Ita omnes res simpliciter bonas esse probamus, & nihil creatorum omnino malum: quoniã quicquid à Deo creatum est, aliquem habet bonum vsum: illa quoq; quæ videtur esse vtilissima & in genere creatorum despectissima. Omnia enim huc seruiũt, hunc̃q; vsum habent, vt Deum in sua essentia laudent, hominiq; Diuinã in se & potentiam & sapientiam & bonitatem cõmõstrent. Sic Paulus Apostolus concludit nõ esse contendendũ verbis: quoniã ad nihil vtile id est, nisi ad subuersionẽ audientium. Ita prophana & vaniloquia esse deuitanda, quoniã multũ proficiunt ad impietatẽ. Item stultas quæstiones & genealogias, & cõtentiones & pugnas legis docet esse vitandas quoniam inutiles sint & vanæ. Interdum verò fit cõparatio indiuiduorum secũdum

Psal. 103. *Prou.* 13.

2. *Tim.* 2. *Titum.* 3.

spe

speciem vel genus sub quo sunt posita. Vt cùm quæritur, Num hic sit bonus equus, aut hæc bona vacca. Tũc verò vsum illius speciei peculiarẽ considerare debemus: & si bonũ habeat huiusmodi vsum id quod proponitur, bonũ esse probatur: sin malum, malum. Exempli gratia, bonus equus est iste, si bene ferat sessorem, aut bene currum siue aratrũ trahat, aut aliquid eorum officiorũ, quæ per equos fieri solita sunt rectè perficiat. Si verò nullum eorũ bene impleat, malus equus dicitur. Sic dicitur bonus asinus qui bene fert onera. Bona vacca, si bene vitulos procreet & alat, lacq; bonũ & multũ præbeat. Bonus dicitur canis, si bene latrat aduersum nocturnos fures: bonus murilegus, si bene mures capiat: bonus culter, si bene scindat: bona vestis, si bene tegat caloremq; foueat: bonus liber, si discentẽ bene erudiat, atq; ita in cæteris. Sic in Euangelio Dominus ait, Bonũ esse sal, *Lucæ 14* si non euanuerit, vt vsum suum habeat, qui est salire carnes *Matth. 5* & à corruptione seruare. Si autẽ euanuerit, vt ad nihilũ vltrà valeat, iam nõ vltrà bonũ esse, sed mittẽdum in sterquiliniũ. Ita in Euangelica parabola de arbore fici dicit paterfamil. Ecce iam tribus annis quæro fructum in ficulnea, nec inue- *Lucæ 13* nio. Succide ergo illã, vt quid etiam terram occupat? Maxi-
» mæ. Cuius vsus bonus est, ipsum quoq; bonum est. Cuius v-
» sus malus est, ipsum quoq; malum est. Duo autem hoc in loco sunt obseruanda. Primum est, vt in iis quæ per se bonũ aut malum habent vsum argumentemur. Non enim sequitur: Peccati vsus aliquo modo bonus est, igitur peccatũ bonum est. Scandalorũ vsus bonus est per accidens, igitur scandala bona sunt. Tyrannorum vsus bonus est, igitur ipsi boni sunt. Verum est enim, peccati vsum bonum esse, non quidem per se, cùm in ratione peccati nihil possit inueniri habẽs rationem vtilitatis, sed per accidens, quatenus Deus ipso nouit ad bonũ finem vti, quemadmodũ testatur beatus Augustinus, adeò bonum esse Deum, vt mala fieri non permitteret, nisi inde nosset maiora bona elicere. Sic scandalorũ per accidens est bonus vsus, quatenus per ea electi exercitantur & ad coronam præparantur. Propter quod dicebat in Euangelio Dominus. Necesse est vt veniant scandala. Sic & ty- *Matth. 18* ranni iustorumq; oppressores, per accidens bonum habent *Lucæ 17.* vsum. Non tamen ista simpliciter bona dicenda sunt, sed simpliciter mala. Veruntamen si propriè loquamur, nõ tam

ille

ille bonus vsus est rerum malarum, quàm Dei boni, qui malis sic vti nouit. Peccatum enim ipsum quidē in se nullū habet vsum ad bonum. Deus autem in se habet, quomodo illo ad bonum vti possit, videlicet ad suæ iustitiæ gloriā aduersus illud demonstrandā. Deinde est cautissimè aduertendum, ne pro vsu abusus sumatur. Locus enim ab abusibus, sophisticus est. Non enim valet argumentū à rei abusu malo, ad malitiam rei illius, sed verus vsus accipi debet. Vnde si quis ita in detestationem vini argumentetur: Inebriari, lasciuire, luxuriari, insanire, mala sunt, igitur vinum est malū: quoniam illa omnia ex vino procedunt, & ad hoc vino vtuntur pleriq; homines. Mendosè colligit, qui ita infert. Non enim ab vsu vini argumētatur, sed ab abusibus. Verus autē vsus vini nō est inebriari, lasciuire, luxuriari, & huiusmodi: sed (vt suprà diximus) cor hominis honesta & moderata lætitia reficere, corporisq; robur sustentare, & releuare si quādo deiici cœperit. Est enim verus vsus vniuscuiusq; rei officium ad quod à Deo facta est, vel id ad quod ab initio instituta est. Ita nō sequitur, si malū est sine causa interficere, ob hoc malum esse gladium: quoniam gladij est ille abusus. Verus autē gladij vsus est, aduersus hostes se tueri, aut nocētes punire, quemadmodū ait Apostolus, gladiū portare iudicem, vt vindictā inferat malè agentibus. Neq; sequitur, malam esse eloquentiā aut malū ingenij acumen, quoniam pleriq; per ingenij acumen hæreses, erroresq; confingūt, aut per eloquentiam seditiones, ac schismata generant. Quia enim in his expendunt eloquentiā, fontemq; ingenij, non ita vtuntur, sed abutuntur illis quæ alioqui verū vsum bonum habent. Huiusmodi tamen argumentis ab abusu desumptis, mirū, quanta impudentia pleriq; nostræ huius tēpestatis homines, sacra atq; prophana, humana & diuina omnia infament, tantùm non cœlū terræ commiscentes, res per se bonas & saluberrimas institutiones, ex sola abusuū consideratione damnantes, execrantes, pedibus conculcantes. Hinc enim sanctissimū CHRISTI sacerdotiū contemnunt, quòd nonnulli videantur illo ad voluptatem aut quæstum abuti. Monachatū item, quòd eo ad hypocrisim multi abutantur. Pontificū dignitatem & præcellentiam, quod multi eorū ad ambitionē illa abutantur. Sic virginū conuenticula dānant, clerū omnem execrantur. Diuinorū cultuū cæremonias, sanctorum

Ab abusu non valet argumentum.

Rom. 13

ctorum cultū, imaginū vsum in Ecclesiis, aliaq; huiusmodi. Quasi verò quicquā sit tam bonū in rebus humanis, quo nō abuti possit humana malitia. Quid enim verbo Dei magis sanctū, magis augustū, magis venerandū? Et hoc quàm multi pessimè abutūtur? Quid Dei lōganimitate melius? Et illa (vt ait Paulus) Peccatores ingrati impudēter & improbè abutuntur ad cumulū damnationis, thesaurizantes sibi iram in diē iudicij. Quid scripturis sacris magis vtile? Et illis diabolus (vt Matthæus testatur) ad tentandum CHRISTVM abusus est, atq; etiamnum multi illius imitatores (vt Petrus Apostolus de Paulinis Epistolis peculiariter ait:) eas depravant ad suum atq; aliorū perditionē. Deniq;, quid ipso vero corpore & sanguine CHRISTI filij Dei præstantius potest cogitari, quod Paulus à multis testatur sumi in damnationē? Facessant igitur sophistæ isti, cum suo illo splendido loco ab abusibus, desinantq; miseri iudicio atq; adeò sensu ipso cōmuni carētes, res per se optimas sine causa præter ius & æquum, atra notare infamia: magis autē ex vsu bono, vt debent, singula discāt cōmendare. Aut si omnino ab abusibus argumentari voluptati illis est, si ita illis libet & ita decretum est, accedant huc ad pulpitum proterui pueri, & discant, quomodo ab illo suo loco quem omnino deserere nolunt, rectè argumentari debeāt. A malo, inquam abusu damnent non rem illam cuius est abusus, sed homines ipsos, qui rebus ex se bonis, sua malitia abutuntur. Ita non modo sē sed verē colligēt, multos monachorum malos esse & detestandos, quòd monachatu, re bona & pia abutantur ad hypocrisim, ad quæstum, ad ambitionem, aliaq; huiusmodi. Ita dialecticè colligent, multos clericorum damnandos esse, qui in clericatu diuitias quæritant, mensas opiparas & vitam delitiis plenam: atq; ita in cæteris. Sic argumentantes ab abusibus malis, ad abutentium malitiam suscipiemus illos libenter, donec autem rerum quarum est abusus malitiā ex abusibus colligunt, ridebuntur suauiter, & tanquàm sophistæ pernicioſi exibilabuntur cum ignominia.

Rom. 2

Matth. 4

2. Petr. 3

1. Cor. 11

De loco à communiter accidentibus.

CAPVT XX.

Locus à communiter accidentibus.

AD CAVSAS quodāmodo pertinēt etiam illa quæ appellantur cōmuniter accidentia, nō quòd causæ sint alterū alteri°, sed quia ferè ex eadē causa, vel radice procedūt

&

& quia ad eandē cauſam reducuntur, aut verè ſic ſe vidētur habere vt cauſa & effectus, vel vt effectus vnius tertiæ cauſæ, ex eo quòd vnū ſequitur ad alterū, eo modo quo effectus ſequitur cauſam. Dicimus autē cōmuniter accidentia, illa quorū alterum vel ſemper vel vt plurimū ad alterum ſequitur. Intelligimus autē hīc ſequi ſecundum conſequentiā, ita vt vno poſito alterū poni ſit cōſequens. Vnde id quod infertur ex altero ſequi dicitur ad illud, etiā ſi ſecundum tempus præcedat. Vbi ſciendum eſt, inter communiter accidentia quædā inueniri ſecundū prius & poſterius, id eſt, quorū vnū tempore præcedit, alterum ſubſequitur. Vt in arbore prius eſt frondere quàm florere, prius item florere quàm fructū proferre. In vite prius eſt gemmas turgentes emittere quàm folia, ac prius folia dare quàm botros. Sic in muliere prius eſt concipere, poſterius parere, vel in mamillis lac habere, prius item cū viro coniungi, quàm concipere. Sic & peccare prius eſt quàm pœnitere, & ſapere prius quàm deſipere, & hoc rurſum prius eſt quàm reſipiſcere. Sic iuuenē eſſe prius eſt quàm ſeneſcere, & viuere prius quàm mori, & operari prius eſt quàm ceſſare ab opere. Stare item prius eſt quàm cadere, & cadere prius quàm reſurgere. Fuiſſe quoq; in gradu non ſtabili prius eſt quàm cadere, & ita in cæteris.

In his omnibus manifeſtū eſt vnum nō eſſe alterius cauſam, vnū tamen ad aliud conſequi vt ipſius arboris frondere, nō eſt cauſa fructuum: neq; productio gemmarū in vite, cauſa eſt productionis vuarum. Item, ipſe conceptus nō eſt cauſa (propriè loquendo) partus, nec peccatū eſt cauſa ipſius pœnitentiæ, nec vita ipſius mortis, & ita in reliquis. Eſt tamen inter ea talis cohærentia, vt poſt alterū ſecundum tempus ſequatur alterum. Verùm non idem eſt quod ſecundum tēpus ſequitur, & quod ſecundū vim illationis aut cōſequentiæ: plerunq; enim quod tempore præcedit, ſequitur ſecundū conſequentiam, nō econtrariò. Vnde in his cōmuniter accidētibus, argumentandū eſt affirmatiuè, à poſitione poſterioris, ſecundū tempus ad poſitionem prioris hoc modo: Arbor iſta floret, igitur frōduit. Fructū habet, ergo flores & frondes habuit. Vinea iſta botros profert, igitur floruit. Floret, igitur fuit gemmis turgida. Mulier iſta peperit, igitur concepit. Habet lac in vberibus, igitur virginitatē perdidit. Ita ſequitur, Hic homo cecidit, fuit igitur nō ſtabili gradu

iuxta

» iuxta illud Boëtij: Qui cecidit, stabili non fuit ille gradu.
» Maxima, Cõmuniter accidentiũ si posterius est, prius fuisse
necesse est. Econtrario valet negatiuè à priori ad poste-
rius, hoc modo: Arbor ista nõ floruit, non igitur faciet fru-
ctũ. Mulier ista nõ concepit, nõ igitur peperit. Non est vitia
ta hæc puella, neque igitur lac habet in vberibus. Maxima:
» Cõmuniter accidentiũ si prius non fuerit, nec posterius erit.
Huiusmodi argumentis vti videtur Apostolus, cũ Roma-
nis ita scribit de Euangelij fide & prædicatione: Quomo- *Rom.10.*
do, inquit, inuocabunt, in quem nõ crediderunt? Quomodo
autem credent in eum, quem nõ audierunt? Quomodo au-
tem audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi
mittantur? Prius enim est, mitti prædicatores, deinde prędi-
cari, deinde audiri à prædicatoribus, post hoc fidem haberi
prædicantibus postremò vt inuocetur is qui prædicatus est.

Affirmatiuè autẽ à priori secundũ tempus ad posterius,
nequaquã valet argumentũ: nec item negatiuè à posteriori
ad prius. Non enim valet hæc consequentia: Arbor ista flo-
ruit, ergo fructũ habebit: cũ sæpe floreant arbores, nec se-
quatur fructus. Item nõ sequitur, Hæc mulier concepit, igi-
tur pariet: cũ frequenter dissipetur post conceptũ fœtus in
vtero. Negatiuè itẽ à posteriori non valet: Hæc mulier non
peperit, igitur nõ cõcepit. Non habet in mãmillis lac, igitur
nõ est cõmixta viro. Neq; cõsequens est, si hic nõ pœniteat,
ob hoc eum non peccasse: cum multi peccent, qui de pecca-
tis nunquam agunt neq; sunt acturi pœnitentiam.

Et hæc quidẽ quæ diximus, ita semper eueniũt, id est, sem-
per alterũ sequitur alterũ, neq; secundũ naturam inuenitur
vnquã defectus. Sunt autem quædã quæ licet non semper &
omnino infallibiliter, tamẽ frequenter admodũ & vt pluri-
mũ se cõsequũtur: ex quibus proinde etiã Dialectica sumũ-
tur argumenta. Nã Dialecticus nõ solũ certa & infallibilia,
sed etiã verisimilia quærit. Exẽpla sunt huiusmodi, Baccha-
nalia hodie celebrantur aut templi encœnia, igitur multi
inebriabũtur, & vulnerabũtur nõnulli. Ad cõuiuiũ istud vo-
cati sunt plures diuersarũ nationũ ac gentiũ, erit igitur cõ-
tẽtio & tumultus. Aura est grata & amœnus dies, multi igi-
tur à prandio deambulabũt. Aura est ingrata, & plenũ plu-
uia cœlũ, igitur pauci ad encœniorũ festa cõuenient. Pax est
vbiq; terrarũ, erit igitur omniũ rerũ copia. Bellũ instat, igi-

tur erit annonæ caritas. Fames fuit valida, pestis igitur grauis sequetur. Hic homo molitur quippiã magnæ industriæ,
Eccles. 4. igitur patebit hominũ inuidiæ, iuxta illud Ecclesiastis: Omnes labores hominũ & industrias animaduerti patére inuidiæ proximi. Itẽ, hi duo vicini eiusdẽ artis & quæstus sunt, & ferè ex æquo cõcertant, igitur sibiinuicem inuident, iuxta vetus illud prouerbiũ: Figulus odit figulum. Ista quidem sic cõmuniter accidunt, & se & plurimũ cõsequuntur, nõ tamẽ omnino infallibiliter & necessariò. Potest enim casu aliquo euenire, vel ex certa causa, vt aliter aliquando cõtingat, nimirum vt priore posito, non subsequatur posterius.

Huiusmodi ferè argumenta sunt omnia illa quæ à natu-
Matt. 16. ralibus signis sumuntur. Quale est illud quod saluator in
Luc. 12. Euangelio ad Iudæorum confusionẽ protulit, dicens: Facto vespere, dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlũ. Et iterum: Cũ videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nymbus venit, & ita fit. Et cùm austrũ flantem dicitis, quia æstus erit, & fit. Hæc enim argumenta sunt à communiter accidentibus. Itẽ quod alibi ait de arbore fici: Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis, quia propè est æstas. Sic per tẽpus hyemis argumentamur, ex stellis per noctem lympidè lucẽtibus, gelu postridie futurũ & frigus vehemens. Aestatis tẽpore ex ranarũ suaui cõcentu & coaxatione vnanimi sub tempus noctis, arguimus noctis & diei subsequentis serenã suauitatẽ. Ex apparente mane caligine, & per solẽ dissipata, arguimus serenũ diem illum futurũ. Sic ex variis signis, agricolæ arguũt annorũ fertilitatẽ aut sterilitatẽ, & ex indiciis quibusdã in auibus aut animalibus cæteris cõsideratis, qualitatẽ auræ probabili æstimatione nouerũt coniicere. Similiter & nautæ aëris dispositionẽ, ex aspectu ventorũ & nubium, aut etiam ipsius maris coniectant.

Pertinere huc item videntur argumenta, quibus corporũ animorũmq; ex corpore dispositionem & inclinationem, ex lineamentis membrorũ, & forma atq; habitudine corporis inquirimus, quod ad artẽ physiognomiæ aut metoposcopię pertinet. Vt cùm argumentamur, hunc adolescentẽ esse boni sensus & bene ingeniatum, quòd frontem habeat quasi cornutam & bonũ sinciput: aut bonæ memoriæ, quòd occiput habeat amplum. Stolidum esse quempiã, eò quòd aures

hab

habeat velut asininas, nimiũ magnas ad proportionẽ capitis: aut fatuellum, eò quòd nimis modicas habeat. Timidũ & formidolosum ex oculis magnis & prominentibus, ac velut ad albedinem tendentibus: aut astutũ & callidũ ex oculis paruis & interne latitantibus. Sic ex naso aquilino magnanimitatem arguimus, ex adunco & depresso ferè auaritiam, ex oris nimia latitudine inuerecundiam & effusum animũ, ex eius nimia angustia, nimiam erubescentiã & animũ secretũ. Ita ex latis humeris fortitudinẽ, ex collo oblongo pectoris debilitatẽ colligimus. Sic ex crinibus, ex vnguibus, ex digitis, & omnino ex singulis mẽbris argumenta sumuntur satis verisimilia, maximè vbi plura horũ simul consenserint. Opus enim est in huiusmodi ad multa cõsiderare, & nõ tantùm membrũ vnicũ, vt firmior sit illatio, & tutissimũ fuerit corporis ipsius totã diligenter cõsiderare habitudinẽ, quemadmodũ de Pythagora legimus, quòd adolescẽtes ad se discẽdi causa venientes, ἰφυσιογνώμει, id est, ex vultus & oris ingenio totiúsque corporis habitudine explorabat, num ad capiendas disciplinas essent idonei. Et propriè quidẽ hi appellantur physiognomi, qui ex totius corporis figura & habitudine coniicere norunt inclinationes & mores hominũ. ij verò qui ex facie tantùm iudicant metoposcopi appellãtur ἀπὸ τῆς ὀπωπῆς τὸ μέτοπον, id est, à frõte cõsiderãda.

Huiusmodi autẽ argumenta nõ omnino necessaria & cogẽtia, probabilia tamẽ atq; suadentia peculiariter icota appellantur, id est, probabilia, cõparatione ad conclusionẽ quę infertur ex ipsis. Priora verò illa quę necessariò & perpetuò inferunt suũ cõsequens signa peculiariter appellãtur. Quæ quidẽ signa Fabius Quintilianus negat argumẽta esse appellanda, eò quòd nihil relinquant dubitationis, sed plenã adferunt cõclusioni certitudinẽ. Verùm hac in parte aduersatur illi Rodolphus Agricola, dicẽs tantò magis ea esse argumenta, quantò maiorẽ de re dubia fidem faciunt. Siquidẽ ab arguẽdo siue probando suprà diximus argumentum denominari. Sunt autẽ alia quædam impropriè cõmuniter accidentia dicta, quorũ vnum interdũ quidẽ sequitur alterum, nõ tamen vel necessariò vel vt plurimũ, sed vel rarius vel indifferẽter interdũ sequitur, interdum nõ sequitur. Ab his non rectè ducitur argumentũ Dialecticũ, sed sophisticum: & suspitio incerta melius quã probabilis opinio hinc

nascitur. Vt si quis colligat, hunc iuuenē adulterū aut fornicatorē esse, eò quòd cōptior sit & ornatior habitu ac facie. Plurimi enim se comunt & ornant, qui tamē à vitio adulterij aut fornicationis sunt alieni. Item si quis nimiū zelotypus colligat vxorem cū alio viro habere negotium, quòd semel illam viderit cū alio loquentem, aut alteri arridentem. Aut si quis pauperem videns ad ostiū per rimas prospectantem, colligat furem illū esse & furtum animo meditari. Possunt tamē huiusmodi suspitiones tam multæ simul adferri & tam multa huiusmodi in vnū argumentum coaceruari, vt vel necessariā vel probabilem efficiāt illationem. Vt si quis colligat: Hic homo cū eo qui nūc occisus iacet hoc ipso die iurgatus est, opprobria accepit, dissimulauit dolorē, domū rectà abiit, indè mox gladiū retulit sub veste absconditum, quem gestare nō solet: visus est deinde ad locū properare, vbi cædes patrata est, vulneratus quoq; rediit, vulneris certum aliquem authorem nescit designare: probabile igitur est, occiso isti hunc fuisse mortis authorē. Sic apud Terētiū Chremes, ex multis signis simul coaceruatis, acutè colligit, Bacchidē filij sui Clitiphonis amicam esse, quòd in cubiculū lectus sit allatus, quòd ingressi pessulū ostio obdunt, &c.

Possunt verò ad hūc locū à communiter accidentibus reduci argumenta illa, quæ à prodigiis, monstris, aut portentis sumuntur. Vt cùm argumentamur ex cometa aut alio aliquo portento, magni mali aliquid vel patriæ, vel principi
2. Mac. 5. imminere. Quemadmodū in libro Machabæorum visis armatis equitibus per aëra discurrētibus atq; per ordines suos cōcurrentibus, colligit populus, nouī & magni quippiā imminere. Propter quod omnes rogabant in bonum monstra
2. Mac. 15 conuerti. Rursum ex viso nouo Iudæ Machabæi, quo conspexit Oniā pro populo deprecantem, ac Hieremiā sibi gladiū aureū de cœlo porrigentē, in quo aduersarios deuinceret, certā spem colligit vniuersus exercitus futuræ victoriæ. Ita & apud Virgilium Aeneas, fugiendū è loco cōcludit, audita harpyiæ voce: & Anchises Thracia excedendū colligit, viso ab Aenea prodigio, cùm arborē è terra euellens ex radicibus atrū cerneret cruorē defluere. Plura huiusmodi colligit Valerius Maximus, capite de prodigiis. Solēt aūt prodigia ipsa, sua quadā qualitate indicare, quale illud sit quod expectatur consequens, vtpote si horrorem præferat porten

tentum, horribile colligitur futurũ quod expectatur cõsequens. Si autẽ festiuum & lætum fuerit prodigium, lætũ expectatur cõsequens. Possunt quoq; & huc reduci gentilium auguria, auspicia, aruspicia, & alia diuinationũ genera. Verùm ea Poëtis magis vsui sunt quàm Dialecticis, qui nõ nisi certa aut vt minimũ probabilia quærunt argumenta: cùm Poëtis sat sit aliquid inuenire, etiã si falsum omnino & improbabile, quod fictionibus adornent Poëticis.

De loco à relatiuè oppositis. CAP. XXI.

De locis ab oppositis.

POST locos intrinsecos omnes tam à substantia quàm à concomitantibus substantiam determinandi sunt loci qui appellantur extrinseci: inter quos primum occurrit locus ab oppositis. Qui locus in alios quatuor subdiuiditur, secundum quatuor oppositionis species. Sunt enim quatuor oppositorũ genera, secundũ quæ etiã quatuor loci differentes sumuntur, nempe locus à relatiuè oppositis, locus à cõtrariè oppositis, à priuatiuè oppositis, & à contradictoriè oppositis. Quæ autẽ dicantur opposita, & quomodo singulæ hæ oppositionũ species ab inuicem differant, copiosè dictũ est lib. 2. in tractatu de postprædicamẽtis. Nunc autem dicendũ quibus modis in singulis harũ oppositionum sit argumentandũ. Hoc autem generaliter in omnibus verũ est, ab affirmatione vnius oppositorum ad alterius negationẽ valere argumentũ. Nimirũ de ratione oppositionis hoc est, vt simul de eodem dici nõ possint, quemadmodũ ex definitione oppositionis cõstat. Est enim oppositio terminorum, aliquorum repugnantia. Non pugnant autem, quæ simul eidẽ conuenire possunt. In omnibus ergo oppositis ab vnius affirmatione valet argumentum ad negationem alterius, » iuxta hanc maximam omnibus generalem, De quocunque » affirmatur vnũ oppositorum, de eodem negatur alterum.

De loco à relatiuè oppositis.

In relatiuè oppositis hæc sint exẽpla, Anchises pater fuit Aeneæ, igitur nõ fuit eius filius. Pyrrhus fuit Achillis filius, igitur nõ fuit pater eiusdẽ. Maria est Annæ filia, nõ est ergo mater eiusdẽ. Vbi obseruandæ sunt particulæ, ad idẽ & secundũ idẽ. Nõ enim simpliciter sequitur: Hic est pater, ergo nõ est filius omnino alicuius. sed inferri debet: Igitur nõ est eiusdẽ filius, eius videlicet cuius dictus est esse pater. Neque sequitur: Dauid est pater Christi, igitur nõ est filius eius. Secundũ nanq; Diuinitatẽ, dicitur Dauid filius Christi: secũdũ

humanitatem verò eiusdē pater dicitur. Rectè tamen sequitur si pater Christi est Dauid, nō secundū idē eum esse eiusdem filiū. Similiter non sequitur: Hic homo est illi prælatus aut illo superior, igitur non est eidē subditus aut eodē inferior. Potest enim eidē hominis quis esse in aliquo prælatus, in alio subiectus, in vno superior & dignior, in altero inferior ac minus dignus. Qua de re apud Aulum Gell. in noctibus Atticis iucunda inter patrem & filium legitur cōcertatio. Seruata autem particula secundū idem valet illatio. Cęterum ab vnius negatione ad alterius affirmationē non valet. Non enim si ego tuus pater non sim, ob hoc filius tuus ero. Neq; enim pater tuus sum, neq; filius. Sub hoc autē loco alius notatur, nomine quidem similis, nō tamen re idē, nec eundem argumentandi modū habens, qui dicitur locus à relatiuis. Aliud enim sunt relatiua, aliud relatiuè opposita. Relatiua dicuntur, cùm simpliciter sumuntur sine cōparatione ad idē. Vt pater & filius, dominus & seruus, prælatus & subditus. Relatiuè autem opposita propriè dicimus quando comparatione ad idem assignantur, hoc pacto, pater & filius eius, dominus & seruus eius, prælatus & eius subditus. Quidam etiā adiectum volunt pronomen demonstrans, hoc modo assignantes relatiuè opposita: Pater & hic suus filius, dominus & hic seruus eius. Verum sic nimiū videtur restringi alterum oppositorū, & speciei vel generi assignatur pro opposito indiuiduū, quod parum conueniens videtur. Vnde præstat in generali absq; demonstratione assignare relatiuè opposita, & particulam tantum subintelligere, secundum idem. Illa enim intellecta, non erit querimonia, id quod in lib. 2. ex Boëtij sententia comprobauimus.

De loco à relatiuis.

Ex hoc autē loco à relatiuis, procedimus ab vnius positione ad positionē alterius, atq; item ab vnius negatione ad negationem alterius. Vt si pater est, filius est, & econtrario: si dominus est, seruus est, & ecōtrario. Ac rursum, si non est dominus, nō est seruus: si nō est pater, nō est filius. Maximę, Posito vno relatiuorum, ponitur & alterū. Ablato vno relatiuorū, aufertur & alterum. Non in omnibus tamen relatiuis generaliter valet hic modus argumentandi. In iis enim quorū alterum significat cum ampliatione aliqua, nō valet. Non enim sequitur, Prius est, igitur posterius est. Scibile est, igitur scientia est. Sensibile est, igitur sensus est: De his autē

plenius

plenius dictū est libro secundo, in tractatu de ad aliquid, circa proprietatē illam: Ad aliquid dicuntur simul esse natura. Sub hoc loco comprehēditur modus argumentandi à verbo actiuo ad passiuum: Ioānes percutit Petrū, igitur Petrus percutitur à Ioanne, Herodes interfecit Ioannē, ergo Ioannes interfectus est ab Herode. Et itē ecōtrario à verbo passiuo ad actiuum: Christus à Pontio Pilato damnatus est, igitur Pontius Pilatus Christum dānauit. Vel sic absq; expressione nominum, Est qui percussit, igitur est percussus. Calefaciens est, igitur & quod calefit. Ex libro enim prædicamētorum manifestum est, agere & pati ad inuicē esse relatiua.

De loco à contrarijs. CAP. XXII.

EX loco autem à cōtrariis sic argumētamur, ab vnius affirmatione ad alterius negationē. Hic paries est albus, non igitur est niger. Hæc aqua est frigida, nō igitur est calida. Hic homo est humilis, igitur nō est superbus. Hic adolescens probus est, nō igitur est improbus. Liberalis est, nō ergo auarus: sanus est, nō ergo æger. A' negatione autē ad affirmationem, non item in omnibus valet. In contrariis quidem mediatis non valet. Non enim si pannus iste albus non sit, ob hoc niger erit: quoniam potest esse neque albus neq; niger, sed aliquo colore medio coloratus, vtpote vel glaucus vel rubeus vel cinericius. Item non sequitur: Hic homo non est temerarius, est igitur pusillanimis. Non est prodigus, ergo auarus: quoniam potest quis esse neq; temerarius neq; pusillanimis, sed magnanimus mediū obtinens. Potest item quis nec prodigus esse nec auarus, sed liberalis. In contrariis autem immediatis valebit, donec accipias subiectum susceptibile. Vt si animal quodlibet non est sanum, est ægrū: & si nō est ægrum, sanum erit. Item, si corpus aliquod mixtū vel elementare nō est graue, leue sit necesse est. Non enim inter hęc est dare medium. Signanter verò dictū est do nec accipiatur subiectum susceptibile. Non enim sequitur, Lignum non est sanum, igitur est ægrū, aut econtrario: quoniam videlicet lignū nō est subiectum susceptibile sanitatis aut egritudinis. Quę autē dicantur cōtraria mediata & quę immediata, ex postpredicamentis relinquimus manifestum. *De loco à contrarijs.* *Locus à priuatiuè oppositis.*

De locis à priuatiuè & contradictoriè oppositis. CAP. XXIII.

IN priuatiuè oppositis, ab affirmatione ad negationē sic

argumentamur: Hic homo cęcus est, igitur non est videns: videt, igitur non est cæcus: mutus est, igitur non potest loqui: loquitur, ergo non est mutus: surdus est, igitur non potest audire: dormit, igitur non vigilat: aër est tenebrosus, non igitur lucidus. A' negatione verò ad affirmationem, nõ vniuersaliter valet. Non enim sequitur, Lapis non potest videre, igitur est cæcus. Neq; enim videns neq; cæcus est lapis. Veruntamen si accipiamus subiectum susceptibile, & tempus à natura determinatum signemus, valebit à negatione ad affirmationem hoc modo, Homo iste non potest videre, cùm tamen iam adsit tempus à natura determinatum, quo solent videre homines, igitur cæcus est. Puer iste non potest loqui, & tempus trãsit à natura determinatum, quo solet loquela donari, igitur mutus est. Homo iste dentes nõ habet, & tempus iã transiit à natura dentibus acquirendis determinatum, igitur est edentulus. Signanter autẽ temporis huius oportet mentionem fieri. Sine hoc enim coassumpto, non valet argumẽtũ: Catulus iste primo die quo partu est editus non videt, imò nec videre potest, igitur est cæcus. Puer iste statim postquam natus est dentes non habet, igitur est edentulus: non potest ambulare, igitur est claudus. Est autem hîc notandum, quòd termini priuatiui, siue priuationem significantes, non puram negationem significant, sed aliquid ponunt & aliquid tollunt. Ponunt enim quandam naturalem aptitudinem, & tollunt potentiam. Id quod apertè patet in terminorum eiusmodi explicatione. Cæcus enim dicitur, nõ omne id simpliciter quod non potest videre. Nemo enim lapides appellãt cęcos. Illud autẽ dicitur cęcũ, quod cũ naturaliter aptum sit habere visiuã potentiam, illã tamẽ nõ habet. Vt omnis homo ex sua specie & natura aptus est ad habendum visum, quoniam penè omnes homines illam potẽtiam ex natura accipiunt. Quisquis igitur hominum visum nõ habet, rectè illo priuatus dicetur, & cęcus. Ita dicetur mutus & loquela priuatus, cui ex natura cõpetit loqui: negatur tamen ei & loqui non potest. Ita nõ dicitur quis priuatus regno, nisi quis natus sit habere regnum, id est, cui quodãmodo à natura vel origine, vel ex iure debetur regnũ. Nam cui nõ competit, vel ex naturali successione, vel ex electione regnum habere, hic & si regnũ non habeat, regno tamen priuari nõ dicitur. Ita nõ dicitur exhæredari aut priuari hæreditate

ditate filius ex adulterio natus, quamuis cum aliis legitimis filiis non accipiat hæreditatem: quoniam ad illum non spectat hæreditas, quæ solis competit legitimis filiis. Si autem is cui competit hæreditas, illam non accipiat, exhæredari ille rectè dicetur. Ita bruta non dicuntur priuari cœlesti beatitudine, sed dæmones & homines mali illa priuantur: quoniam eam nunquam exequentur: cùm tamen ex suæ conditionis præcellentia illius sint capaces, & ab initio ad eam possidendam sint conditi.

De contradictoriè oppositis. CAP. XXIIII.

IN contradictoriè autē oppositis, argumentamur dupliciter. Primum quidem, in propositionibus contradictoriis, hoc modo: Si verum est, omnem hominē esse mortalem falsum est, aliquem hominem non esse mortalem: & si illud falsum est, hoc verum erit. Vel si illud est verum, hoc nō est verum: & si illud non est verum, hoc erit verū. Maxima, Cōtra dictoriæ propositiones nō possunt ambę simul esse veræ aut falsæ. In terminis autem contradictoriis, semper valet ab vnius affirmatione ad alterius negationem & vicissim ab vnius negatione ad affirmationem alterius. Cuiusmodi cōsequentias tractat Aristoteles libro secundo περὶ ἑρμηνείας, appellans eas à termino finito ad infinitum, & ab infinito ad finitum. Vt petrus est homo, igitur nō est nō homo: lignum est non homo, igitur non est homo. Ac rursum, si lapis non est homo, igitur est non homo: & si non est non homo, homo sit necesse est. Vbi propter cauillationem subaudiri potest in antecedente, cùm sit: vel in consequente, si sit, hoc modo, Si lapis est & non est homo, igitur est non homo. Vel sic, Lapis non est homo, igitur si sit, est non homo. Non est autē opus hic accipere subiectum aliquod peculiare, sed in omnibus valet illatio: quoniam inter contradictoriè oppositа (vt plenius declaratum est in postprædicamētis) nullum omnino est dare medium, de quo vel ambo negentur, vel ambo prædicētur. Propter hoc in omnibus valet, tam à negatione ad affirmationem, quàm econtrario. Maxima, De quolibet est affirmatio vel negatio, de nullo verò simul.

De locis qui appellantur à contrario & in ipso.

CAPVT XXV.

SIGNANTVR autē ab Aristotele & alij duo loci, qui fiūt in terminis aliqua prędictarum oppositionum oppositis, *Loci à cōtrario.*

Loci à cõtrario, & in ipso.

qui vocantur locus à cõtrario,& locus in ipso. Quãdo enim duo adinuicem coniunguntur in antecedente, & his duobus opposita coniunguntur adinuicem in consequente argumentatio fieri dicitur à contrario vel in ipso. A' cõtrario quidem,si in conclusione mutetur situs,ita vt oppositũ subiecti antecedentis ponatur pro prædicato conclusionis, & oppositum prædicati antecedentis ponatur pro subiecto conclusionis. Vt in hac argumẽtatione, Homo est animal, igitur non animal est non homo. In ipso verò, si in cõclusione idem seruetur ordo ,vt oppositum subiecti antecedentis sit,item subiectum in conclusione,& prædicati antecedentis oppositum in cõclusione,similiter prædicati locũ obtineat. Vt cum sic colligimus, Humilitas virtus est, igitur superbia vitium. Videtur autẽ hæc denominatio sumpta ex terminorum oppositorum ordine. A' contrario enim ducitur argumentum,quando ordine contrario locantur opposita in antecedente & consequente. In ipso verò, quando in eodem ipso ordine consequens habẽt opposita quo in antecedẽte. Consequentia autem quæ in ipso dicitur,maximè fit in contrariis & relatiuis. In contrariis ad hunc modum: Humilitas est virtus,igitur superbia vitium. Modestia est laudabilis, igitur immodestia est vituperabilis. Humilitas Deo & hominibus grata est,igitur superbia odibilis. Si pulchra est vrbanitas,indecora est rusticitas. Si decet iuuenem verecũdia, dedecet inuerecundia. Qui sophisticè loquitur,odibilis est, qui igitur veraciter & syncerè loquitur, amabilis. Maturitas bene cõsulit,igitur præcipitatio malè. Quæ cõpendiosa, amplectãda sunt,igitur quę prolixa, fugienda. Quod simul vtile est & dulce præ omnibus eligendũ,(iuxta illud Poẽtę, Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.)igitur quod & asperũ est & inutile, omnium maximè detestandum. Vera sciẽtia humilem facit & benignũ, sophistica igitur inflatum & iracundum reddit. Mansuetudo placat, igitur immitis contentio exacerbat. Responsio mollis frangit irã, amara igitur exagitabit. In relatiuè autẽ oppositis sic argumentamur,in ipso eodẽ terminorũ ordine: Pater est dignior, filius ergo minus dignus. Pater est prior dignitate & origine, igitur filius posterior. Pater est suprapositus filio , filius igitur patri subiectus. Pater est filij vel filiũ habet, filius ergo patris est vel patrẽ habet. Vir caput est vxoris ipsiq; à Deo prę-

lat

latus, vxor ergo per Deũ est viro subdita. Reges & Principes à Deo sunt prælati populo, populus igitur iure diuino debet illis esse subiectus. Imperatoris est imperare, militũ ergo est parêre. Præceptoris est docere, discipuli igitur discere Domini est præcipere, serui ergo obedire. Ita in cæteris.

Locus autẽ à contrario vel opposito ordine frequentius fit in priuatiuè, & cõtradictoriè oppositis. In priuatiuè oppositis hoc modo, Qui habet visum habet sensum, igitur qui caret sensu caret visu. Qui habet virtutẽ, habet laudẽ & gloriam, igitur qui sine laude est & inglorius, virtute caret. Qui habet hæreditatẽ hæres est, qui ergo exhæredatus est, hæreditate caret. Qui scientiã habet ornamentum habet animæ suæ, igitur qui ornatu caret animæ caret & scientia. In contradictoriis itẽ sic, Iustitia est virtus igitur quod nõ est virtus nõ est iustitia. Qui timet Dominum faciet bona igitur qui bona non facit, nõ timet Dominũ. Qui prudẽs est dum tempus habet operatur bonum, igitur qui non operatur bonum, dũ tẽpus habet, non est prudens. Contra verò in oppositis priuatiuè vel cõtradictoriè locus in ipso vniuersaliter non valet. Non enim sequitur, Omne quod habet visum habet sensum, igitur omne quod caret visu, caret sensu. Omnis qui habet abundantiã auri & argenti diues est, igitur qui caret auro & argẽto pauper est, aut caret diuitiis. Potest enim quis esse diues in aliis possessionibus agrorum & armentorum, cuiusmodi erãt illæ priscorũ patrũ præcipuæ diuitiæ, multò istis inanimatis metallorũ cumulis meliores ac præstãtiores. Nec in cõtradictoriis sequitur, Homo est animal, igitur quod non est homo, non est animal. In oppositis tamẽ contrariè & relatiuè valebit interdũ à cõtrario consequentia, vtpote cũ in particularibus proceditur enũtiationibus. Vt sequitur, Humilitas est virtus, igitur quoddã vitiũ est superbia. Pater est dignior, igitur aliquid minus dignum est filius. In vniuersalibus tamẽ enuntiationibus, aut indefinitis pro vniuersalibus acceptis, nõ valebit. Non enim sequitur, Omnis humilitas est virtus. igitur omne vitiũ est superbia. Omnis pater est dignior, igitur omne quod est minus dignũ est filius. Nam & seruus minus dignus est, non tamen est filius. Interdum verò in argumentationibus istis fit permixtio oppositorum diuersi generis adinuicẽ. Vt cùm ita argumentamur: Iusti imperpetuũ viuent, igitur iniusti imperpetuum

tuum morientur. Iusti hæreditate possidebunt terram viuentium, igitur iniusti auferentur & exhæredabuntur à terra illa. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ, igitur væ & miseria diuitibus & inflatis spiritu: quoniam ipsorum non est regnum cœlorum. Si non sunt expetendæ diuitiæ, paupertas non est fugienda. Quia lumen visum oblectat, tenebræ contristant. Scientia ornat animam, ignorantia igitur dedecorat. Labor bonus & sanctus est, otium igitur malum & execrandum. In his enim simul contraria cum priuatiuis vel contradictoriis commiscentur.

Huiusmodi autem exemplis plena est omnis scriptura, maximè eorum librorum, qui sapientiales nominantur, in quibus id passim occurrit, vt quod in priori sententiæ cuiuslibet mẽbro dicitur de iustis, eius oppositum in altera parte dicatur vel secundum eundem ordinem, vel secundum ordinem commutatum, de impiis. Expende videlicet caput decimum parabolarum Salomonis, plura illic manifestè videbis sic ex opposito pulchrè dicta. Cuiusmodi est illud in principio: Filius sapiens lætificat patrem, filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Ac deinde, Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat. Iterũ, Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius est confusionis. Rursum memoria iusti cum laudibus, nomen impiorum putrescet. Similiter capite vndecimo, Vbi fuerit superbia, ibi erit & cõtumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia. Item, Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat commissum. Item, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Huiusmodi exempla mille quilibet per se ex libris illis plenis eruditione bona, colligere facilè poterit. Sed & Psalmorum liber huiusmodi comparationibus scatet, quæ miram habent vim ad affectum commouendum, cùm sic oppositis iuxta seinuicem collatis ambo clarius eluceſcant & virtutis commodum, & vitiorum incommoda.

De loco à disparatis. CAP. XXVI.

Locus à disparatis

A DISPARATIS quoq; sicut ab oppositis sumuntur argumenta, ab affirmatione vnius ad negationem alterius, hoc modo: Ioannes est homo, igitur non est asinus, vel leo, vel arbor, vel aliquid huiusmodi, quod ab homine prorsus

sus separatum est. A' negatione autem ad affirmationē, minimè valet argumentatio. Non enim sequitur, Ioannes non
» est leo, igitur asinus erit aut bos, aut equus. Maxima, Cui-
» cunq; conuenit vnum disparatorū, eidem non conuenit alterum. Quæ autem dicantur disparata, & quomodo ab oppositis differāt, prolixè satis & dilucidè in postprædicamentis tractatum est, vt superuacanea repetitione hoc in loco nihil sit opus. In omnibus autē his locis oppositorū atq; disparatorū, generaliter hoc est aduertendū: quoties ab affirmatione vnius ad alterius negationē volumus argumētari, debere opposita sumi pro prædicatis, & quidem totalibus. Nam si ponantur opposita ex parte subiecti, non valebit sic in eis argumentatio. Non enim sequitur, Album est, igitur nigrum non est. Album est coloratū, igitur nigrum non est coloratum. Quod videt est animal, igitur quod cæcum est non est animal. Pater est homo, igitur filius eius non est homo. Item si opposita sumantur tantùm vt partes minus principales prædicati, non valebit similiter argumentatio. Vt non sequitur, Video album, igitur non video nigrum. Possideo iumenta videntia, non igitur cæca. Possideo asinum, non igitur possideo bouem. Verumtamen si opposita sumantur vt partes principales, valebit argumentatio, nō minus quàm si per se tota essent extrema. Rectè enim sequitur à contrariis: Hic est homo albus, igitur nō est homo niger. Hoc est animal sanum, igitur non est animal ægrum.

De loco à maiori. CAP. XXVII.

Locus à maiori.

SVMVNTVR quoq; argumenta, tam Dialecticis quàm Rhetoribus ad persuadendum benè accommoda, à rerum comparationibus. Comparatio autem fit, interdū maioris ad minus, interdum minoris ad maius, interdum similium. Atque hinc loci nascuntur à maiori, à minori, à simili. A' maiori dicitur sumi argumentum, quando ab eo quod magis apparet, procedimus ad id quod minus apparet. Maius enim in proposito, nō secundum quantitatem molis est accipiendum, sed secundum maiorem probabilitatem. Vnde id quod habet maiorem probabilitatem veritatis, aut quod probabilius faciliusque alicui videtur conuenire, aut cui aliquid probabilius videtur conuenire, id maius dicitur, comparatione ad alterum quod minorem videtur habere probabilitatem, aut minus probabiliter conuenire alicui.

cui. Exempli gratia, regem expugnare ciuitatem maius est: ducem aut comitē expugnare ciuitatē eandē minus est. Magis enim probabile est regem expugnare quàm ducem, & facilius illud proponenti creditur quàm isti. Item expugnare castrum, in proposito est maius, expugnare validam ciuitatem minus: quoniam facilius & probabilius alicui conuenit expugnare castrū, quàm validam ciuitatem: hoc autem minus probabiliter alicui cōuenire creditur quàm illud. Ideò minus dicitur. Fit autem argumentum à maiore negatiuè tantùm, idq; tribus modis. Primùm ex parte subiecti tātùm, Rex fortissimus hanc ciuitatem nō poterit expugnare, neque igitur dux aut comes impotentior eandem poterit expugnare. Ipse quidem Cicero aut Demosthenes causam hāc non posset defendere, multò minus igitur alius quilibet ex vulgò oratorū. Hectoris manu nō potuit Troia defendi, igitur, neq; manu Aeneæ defendi potuit. Cuiusmodi argumentum apparens Aeneæ Hector, his innuit verbis, Si Pergama dextra defendi possent etiam hac defensa fuissent. Sic in Euangelio dominus ait, Neq; passer vnus super terram cadit sine patris cœlestis ordinatione & voluntate, igitur neq; sanctorū aliquis sine patris dispositione cadet, quoniā pluris apud Deum sunt rationales homines, quàm irrationales passerculi. Ac rursum, Capillus de capite vestro nō peribit, multò minus igitur aut corpus, aut anima vobis peribit. Magis
Matt. 10 enim apparet, posse capillum de capite perire, quàm corpus totum vel animam perdi. Secundò fit argumentū à maiori, ex parte prædicati, hoc modo: Si exercitus iste nō sufficit arcem expugnare parum munitam, neq; ciuitatē fortiorem, meliusq; munitam expugnare poterit. Si nō sufficit hic homo gestando oneri 100. pondo, neq; oneri 200. pondo sufficiet. Si non est quis paratus bona tēporalia in proximos expendere, multò minus animā pro eis ponere volet. Si propter Dei amorē neq; verbulum durū ferre possimus, multò
Matth. 6 minus acerbam mortē pro eo quis ferre valet. Si (iuxta Domini verbum) non potest quis sua sollicitudine adiicere ad staturam suam cubitum vnum, aut capillum vnū album facere vel nigrū, neq; maius aliquid per seipsum sine Deo ef-
2. *Cor.* 3 ficere poterit. Si (vt Apostolus ait) nec cogitare aliquid ex nobis tanquàm ex nobis sufficientes sumus, multò minus ad peragendum ardui operis aliquid inueniemur idonei. Si (iuxta

xta Apostolum Ioannem) Qui proximum non diligit quem videt, Deum quomodo diliget quem nō videt? Tertio valet argumentum ex parte subiecti simul & prædicati, hoc pacto, Vir robustus non sufficit 800. pondo oneri gestādo, non igitur adolescens aut puer imbecillior sufficiet oneri 1000. pondo gestando. Summo ingenio & inexhausto labore Philosophi, maximis laboribus non potuerunt vel vnius infimarum creaturarum perfectam assequi cognitionem: nos igitur qui ingenio nō præstamus, & laborem fugimus, altissimarum rerum nequaquam valebimus plenā assequi cognitionem. Omnium autem harum argumentationum vna est confirmatiua maxima, talis, Si id quod magis videtur non est verum, neq; id quod minus videtur, verum erit. Aristoteles verò singulis modis singulas assignat maximas, dicens, Vno de duobus dicto, si cui magis videtur inesse non inest, nec cui minus videtur inesse inerit. Duobus de vno dictis, si quod magis videtur inesse nō inest, nec quod minus videtur inesse inerit. Duobus de duobus dictis, si quod alteri magis videtur inesse nō inest, nec reliquū reliquo inerit. Prima maxima primo modo seruit, secunda secūdo, tertia tertio. Affirmatiuè autem, à maiori nunquam valebit argumētū. Non enim sequitur: Vir robustus huic oneri sufficit, igitur puer imbecillis. Hic potest ferre decem pondo, igitur centum. Non enim oportet si id quod magis videtur ita se habeat, ob hoc id quoque quod minus videtur ita se habere. 1. *Ioan.* 4

De loco à minori. CAP. XXVIII.

Locus à minori.

A MINORI ecōtrariò valet affirmatiuè, nec aliter quàm affirmatiuè, tot modis quot suprà diximus valere à maiori negatiuè. Ex parte subiecti sic, Puerulus rem tam modicam ferre potest, ergo & adolescens robustior. Ethnici homines diligunt sibi benefacientes, multò magis igitur Christiani. Seculi huius milites pro fide erga regem suum multa & dura ferunt geruntq; grandia: multò igitur magis spiritualis militiæ cultores pro fide erga suum regem & magna agent & patientur grauia. Formica animal irrationale dum tempus est, sibi prospicit: igitur multò magis rationalis homo dum tempus habet sibi debet prospicere. Si sanctissimus Dauid, sapientissimus Salomon, Samson fortissimus, & ab vtero matris Nazaræus, per mulieres Deum offenderunt: & nos igitur qui illis sapientia

fort,

fortitudine, & sanctitate longè sumus inferiores, per illas nisi diligentissimè caueamus, seduci poterimus. Sic Ioannes
1. *Ioan.* 3 argumentatur, dicēs: Si CHRISTVS nos dilexit, & pro nobis mortuus est, & nos debemus fratres diligere ac pro eis a-
Hebr. 2 nimas ponere. Ita Paulus Apostolus legem veterē cum noua comparat, in hanc sententiā: Si lex illa quæ per Angelos data est vim habuit obligationis, ita vt transgredientes, pœnæ statutæ essent obnoxij: multò magis lex noua, quam per semetipsum Filius Dei in mundo prædicauit, summa obseruatione debet custodiri, eruntq; multò magis pœnæ obnoxij
Ioan. 13 qui eam fuerint transgressi. Ita apud Ioannem Dominus, Si ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Ex parte prædicati hoc pacto argumentamur, Si hic pro CHRISTI amore etiam vitā tēporalem paratus est perdere, multò magis & omnia fortunę bona. Sic Apostolus apud Romanos argumentatur, dicens:
Roman. 8 Deus proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo nō etiam cū illo nobis omnia do-
Hebr. 12 nauit? Rursum apud Hebræos. Patres, inquit, carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos, quātò magis obtemperabimus patri spirituū & viuemus? Et ipse in Euangelio Dominus, Si Deus sic vestit lilium agri quod hodie est, & cras in clibanū mittitur, quanto magis vos modicæ fidei?
Matth. 6 Et si aues cœli quæ neq; serunt neque metunt, neq; in horrea cōgregant, Deus sic pascit: quantò magis vos modicæ fidei? Si corpus dedit & animā, escam quoq; dabit & vestimentum. Ex parte vtriusq; extremi sic argumētamur, CHRISTVS pro nobis grauissima tulit supplicia, nos igitur vel modica pro eius amore ferre debebimus. Seculi milites pro tēporali præmio grauissima patiēter ferūt, CHRISTI ergo milites pro præmio æterno vel modica quæ occurrūt libēter sustinebunt. CHRISTVS Dominus noster totas pro nobis in oratione noctes transegit insomnes, nos ergo serui eius non poterimus vel vna hora ad orationem vigilare? Sic apud Virgilium Iuno argumentatur, Pallas vulgaris dea, ob vnius culpam, potuit totā classem nauium exurere: ergo & ego quæ sum deorū atq; dearū regina, potero vt minimum regem Troianorum mihi inuisum ab Italia auertere, ne ibi regnet. Item apud Iouem Venus pro Aenea sic argumentatur, Antenor homo non ita magni generis aut nominis, po-

tuit

tuit elapsus Græcorum manibus per vastissima maria requiem certam inuenire atq; etiam vrbem condere, igitur multò magis æquum est, vt meus filius tuus nepos Aeneas, post tot pericula, saltem portum bonum accipiat, & tutam sedem obtineat.

Primum argumentum Virgilius his claudit versibus, Iunonem inducens flammato corde ista volutantem:

Méne incœpto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
Quippe vetor fatis: Pallas ne exurere classem
Argiuûm, atq; ipsos potuit submergere Ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oili?
Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.
At ego quæ diuûm incedo regina, Iouisq;
Et soror & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero? & quisquam numen Iunonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponet honorem?

Secundum verò his describit versibus, Venerem pro filio Aenea Iouii ita loquentem, inducens:

Quem das finem rex magne laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atq; intima tutus
Regna Lyburnorum, & fontem superare Tymaui.
Hic tamen ille vrbem Pataui, sedésq; locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit.
Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Nauibus (infandum) amissis, vnius ob iram,
Prodimur, atque Italis longè disiungimur oris.
Hic pietatis honos, sic nos in sceptra reponis?

Porrò de maximis huius loci proportionabiliter dicẽdum est, quomodo suprà diximus in loco à maiori. Omniũ enim argumẽtorũ vna cõfirmatiua maxima potest hæc assignari,

» Si id quod minus videtur verũ est, id quoq; quod magis vi-
» detur verũ erit. Secundũ verò Aristotelẽ tribus diuersis mo-
» dis tres diuersæ assignãtur hæ maximæ, Vno de duobus di-
» cto, si cui minus videtur inesse inest, etiã illi cui magis vide-
» tur inesse inerit. Duobus de vno dictis, si id quod minus vi-
» detur inesse inest, etiã id quod magis videtur inesse inerit.

Duobus de duobus dictis, si quod alteri minus videtur inesse inest, & reliquū reliquo. Est quoq; cautè in his duobus locis aduertendū, ne pro maiori minus, aut econtrario pro minore maius accipiatur. Frequēs enim & facilis est in hac re fallacia, vt argumentum quod vere à minori sumitur, existimetur sumptū à maiori, & econtrario. Cuius erroris causa est, quia plerunq; id quod quātitate (vtpote vel mole, vel numero) maius est, minus censetur in proposito: cōtra verò minus, id quod mole vel numero maius est. Exempli gratia, portare centū pondo, quātitate maius est, quàm portare tātùm viginti. Illud tamen in proposito minus est, quoniā minus apparenter illud alicui conuenit quàm istud. Facilius enim de vnoquoq; creditur, quòd possit gestare decē pondo, quàm centū. Ita cùm dicimus, Deus fecit cœlum & terrā, ergo & glebā potest facere. apparet secūdū speciē argumentum esse à maiori, eò quòd maius videatur secundū rem & pondus operis, creare cœlū & terrā, quàm glebam modicam. Est tamē argumentū à minori, id est, ab eo quod habet minus verisimilitudinis & apparētiæ. Sic & in aliis similibus diligenter considerandū est, & cautè semper prospiciendū, ne à maiori aliter vnquam quàm negatiuè, aut à minori aliter quàm affirmatiuè procedatur. A' maiori enim affirmatiuè, aut negatiuè à minori, processus non valet.

De *loco à simili*. CAP. XXIX.

Locus à simili.

ASIMILI verò dicitur sumi argumētū, quādo id quod assumitur, cū eo quod probatur similem vel æqualem habet verisimilitudinē, id est, quando æqualē habent apparentiā veritatis. Vt cū ita argumentamur: Ioannes mortalis est, igitur & Petrus. In vtroque est eadem verisimilitudo, eadémq; apparētia veritatis, quoniam ambo æquè sunt homines. Iudas malè periit, quia de misericordia desperauit: ergo & nos peribimus, si illius efficiamur similes. Sodomitę perierūt, quia peccatores nimis erant, & nō egerunt pœnitentiā, igitur & nos malè peribimus, si illorū efficiamur similes. Immoderato affectu cōcupiscere diuitias vanū est & vitiosum: igitur immoderato affectu cōcupiscere terrenā scientiā vanū erit & vitiosum. Est enim in vtroq; similitudo. Sic argumētatur Apostolus apud Corinthios docens, licitum esse doctoribus Euangelij stipendia accipere sumptuū, in hanc sententiā: Nemo, inquit, suis stipendiis militat, sed stipendiū

suæ

suæ militiæ ab illo accipit cui militat: igitur qui alios docet nō suis sumptibus debet viuere, sed illorū quibus prædicat. Item, Qui vineā plantat de fructu eius vescitur, & qui gregē pascit, de lacte eius māducat, igitur qui populum domini docendo colit & pascit, meritò debet ab eis tēporalia subsidia accipere. Itē: Boui in tritura laboranti cibus nō est denegandus, igitur nec doctori in doctrina laboranti. Præterea, Qui arat (inquit) in spe debet arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi, igitur & qui docendo laborat, temporalia ei debentur subsidia. Deniq; ita cōcludit: Nescitis quoniā hi qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altario deseruiunt cū altario participāt? Ita & Dominus ordinauit iis qui Euangeliū annuntiant de Euangelio viuere.

Multū quoq; valet hic locus ad exhortandū, obiurgādū, & consolandum: dum propositis exemplis similibus ad imitationem excitamus, vel cōsolationē ingerimus. Sic Iudith illa nobilis propositis patrū exemplis ait: Memores esse debetis, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses & omnes qui placuerūt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini exterminati sunt. Ex quibus deinde conclusionem infert dicens: Et nos, igitur non vlciscamur nos pro his quæ patimur, sed flagella Domini quasi serui qui corripimur ad emendationem & nō ad perditionem nostrā euenisse credamus. Sic Iudas Machabæus milites suos exhortatur: Mementote, inquiens, qualiter salui facti sunt patres nostri in mari Rubro cùm sequeretur eos Pharao cū exercitu multo. Et nunc clamemus in cœlum & miserebitur nostri Dominus. Sic Paulus Apostolus Corinthiis exempla proponens præcedentiū, monet eos non murmurare neq; tentare Dominum. Et alibi propositis incredulorū patrum exemplis posteros monet nō assimilari illis, neq; in exemplū illud incredulitatis incidere. Alibi vero, positis ob oculos multis præclaris patrū exemplis, ad fidem tot exemplis probatam nos hortatur suscipiendā. Plenæ sunt huiusmodi exemplis omnes sacræ literæ, nec solum iis quæ à simili sumuntur, sed & à maiori atq; minori, quę ad idē genus pertinent, eandémq; habent efficaciā. Neq; solum literæ sacræ, sed & Philosophorū libri & maximè Poëtarum

Iudith 2.

Gene. 22.

Mac. 4.

1. Cor. 4.

Hebr. 4.

Hebr. 11. & 12.

carmina:id quod non potest non esse manifestissimum illi qui vel sobrie in illorum fuerit lectione versatus.

De *loco à proportione*. CAP. XXX.

Locus à proportione.

SVB hoc autē loco à simili contineri videtur locus à proportione. Qui locus, iuxta sententiā Boëtij, ita differt à priore: quoniā illic vna res vni cuilibet alij comparatur, hic autem non est similitudo rerū, sed quædā habitudinis comparatio. Hæc enim vocatur proportio, habitudinis vnius, ad aliam cōparatio. Sit quæstio: Num gubernatores cōmunitatis sint eligendi sorte: ita à proportione sumetur argumētum, Sicut se habet gubernator nauis ad nauem regendam, ita gubernator ciuitatis ad ciuitatem: at gubernator nauis non sorte est eligendus, sed arte & consilio, igitur non sunt eligendi sorte aut per fortunam ciuitatis gubernatores. sed magno iudicio & delectu sunt ad id muneris assumēdi. Maxima. De proportionabilibus idem est iudiciū. Item. Quod in vnaquaq; re euenit, id in eius proportionali euenire necesse est. Estque hic locus ad moralem doctrinam valde accōmodus, quando ex naturalibus vel cōmunibus rebus ducta proportione ad mores quæ illic cōsiderantur, transferimus. Quod nos quidē pluribus adductis exemplis, non grauatē demonstrabimus. Sic itaq; argumentamur. Quomodo se habet lumen oculi in corpore, sic rationis lumē in anima: oculi autē lumen omnia corporis mēbra & vires debet in suis operibus dirigere, neque feliciter vlla exercetur sine directione oculi corporalis actio, igitur ratio in anima omnibus debet viribus lumen præbere, & in cunctis eam actionibus dirigere. Rursum: Sicut se habet ancilla ad herā in domo aut familia, ita sensualis affectus ad rationem in anima. Atqui turpe admodum est in domo ancillam imperare heræ, eámque pro suo arbitrio trahere ad indigna ministeria, sed ecōtrario illa huic debet obtemperare: igitur fœda & intoleranda res est in homine sensualem appetitum naturā subiectū, rationi imperare, eámq; trahere ad sua desideria, sed ecōtrario iustū est vt imperet ratio, & ille obediat. Iterum: Sicut se habet lumen solis corporei ad mundum istum visibilem, ita lumen cœlestis gratiæ in anima rationali: solis autem lumen necessarium est mundo ad rerū generationem, nec potest nisi eius beneficio mundus in sua dispositione & ordine subsistere: igitur absq; lumine cœlestis gratiæ

tiæ,in anima mortua sunt omnia,nec potest boni quicquam fieri. Rursum:Sicut se habet ars medicinæ ad sanitatem corporis,ita scientia pastoralis curæ ad sanitatem animæ. Medicus autem corporalis subinde amaris vtitur potionibus, & res duras ferre cogit ægrotum:igitur & qui scientiam habet officiumq; curæ pastoralis,nõ semper placentia,aut grata,suis subditis loqui aut agere debebit:sed vbi res poposcerit,duras quoq; increpationes adhibebit, & alia quæ opportuna ipse iudicabit ad sanandas animas. Conuenit etiam peculiariter hic locus in æstimatione mercedis operariorum iuxta proportionem laboris. Vt si is qui diem vnum in vinea,aut agro est operatus,ex iusto laboris precio quatuor nummos accipiat,is qui duos dies operatus est duplam accipiet mercedem,& qui tres triplam,atq; ita deinceps. Qualis enim est proportio simplicis laboris & operæ ad mercedem simplicem,talis est proportio duplicati laboris ad mercedem duplam,atq; ita deinceps. Intelligendum autem hoc est de æstimatione secundum iustitiæ debitum. Non enim erit consequens,si pro huius vnius diei labore ex liberalitate eius qui te conduxerit acceperis,nouē stuferos,cùm tantum tibi ex debito quatuor cõpetebant,ob hoc pro duorũ dierum labore duodecim nummos debere tibi persolui. Ita sanè argumẽtabãtur illi in vinea operarij cõducti à patrefamiliâs,de quibus in Euãgelica parabola loquitur Dominus, *Matt.20.* qui cùm viderent iis qui nouissimi venerant dari totũ denarium diurnũ,arbitrabantur plus illis se accepturos,secũdum proportionem videlicet sui laboris,quẽ in colẽda vinea ampliorẽ impederant ad ampliorem mercedem. Propter quod & murmurabãt æqualẽ accipientes denariũ. Hi,inquiũt,nouissimi vna hora fecerũt,& pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus? Verũ dominus rationabiliter eorum paralogismũ dissoluit & irrationabilem murmurationem cõfutat,ex sua liberalitate dari sibi licitum quod voluisset. Conducit item hic locus iudicibus,quorũ est pœnas infligere delinquẽtibus,& præmia cõferre benemeritis,quẽadmodum ait sanctus Apostolus. Secundũ enim proportionem meriti aut demeriti,cõferenda sunt beneficia,vel irrogãda supplicia. *Rom.13.* Huc pertinet illud veteris legis,Oculũ pro oculo,dentem pro dẽte. Et illud:Secundũ mẽsuram delicti, erit & plagarũ modus. & item alia multa quæ ibi secũdum *Exod.21.* *Matth.5.* *Deut.25.*

proportionem ſtatuuntur. Huc pertinet & illud quod apud
Eſaiæ 3. Eſaiã prævaricatrici genti dicitur: Erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitiũ, &
Apoc. 18. pro faſcia pectorali ciliciũ. Item & illud quod in Apocalypſi de dãnata Babylone dicitur: Quãtum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantùm date illi tormẽtum & luctum. Nec diſ-
Lucæ 16. ſimile eſt, quod diuiti illi pater Abraham reſpondit: Fili recordare, quia recepiſti bona in via tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.

Videntur quoq; ad hunc locum pertinere comparationes illæ quarum ſunt Poëtæ ſtudioſiſsimi, item ſapientum apologi & fabulæ ad morum inſtructionem appoſitè confictæ, quibus ſuum nomen poſteritati inſigniter notum reddidit egregius ille è Phrygia fabulator Aeſopus, iuxta Auli Gellij teſtimonium haud immeritò ſapiẽs exiſtimatus, quòd ea quæ monitu ſuaſuq; videbantur vtilia, non ſeuerè, non imperioſe præcepit & cenſuit (vt Philoſophis mos eſt) ſed feſtiuos delectabiléſque apologos commentus, res ſalubriter ac proſpicienter animaduerſas, in mentes animóſq; hominum cum audiendi quadam illecebra induxit.

Pertinent item ad hũc locũ parabolæ illæ quæ in ſcripturis ſanctis frequenter occurrunt, quibus etiam maximè omniũ vſus fuiſſe cognoſcitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cũ ipſa eſſet patris æterna ſapiẽtia, ac proinde verba grãdia eloqui de plenitudine ſuæ ſapientiæ atq; ſcientiæ potuiſſet, noſtræ tamen infirmitati ſe contemperans, quaſi mater aut nutrix cũ paruulo balbutiens, parabolicis huiuſmodi ſermonibus ſæpe & multũ vti non eſt dedignatus, pro ſimpliciũ diſcipulorũ atq; turbarum eruditione. Adéoq; in his creber extitit, vt per exceſſum quendam de illo ſcripſe-
Matth. 13. rit ſanctus Euangeliſta Matthæus, ſine parabolis non fuiſſe eum turbis loquutũ. Hæc omnia, inquit, loquutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis nõ loquebatur eis.

Has aũt omnes, quantũlibet prolixas, inſtructiones Chriſti parabolicas, nõ difficile fuerit in argumẽta huius loci reducere. Videlicet illa de ſemine & ſeminante admodũ prolixa parabola, ſic poteſt in argumenti formã redigi. Quemadmodũ ſe habet ſemen corporale ad terrã in qua ſeminatur, ita ſe habet verbũ Dei ad eos quibus prædicatur à doctore. Semen verò non in omni terra proficit, nec igitur in

omn

omnibus verbum Dei proficit qui audiunt ipsum. Quomodo autem se habet semen ad terram bonam, in qua bene suscipitur & conseruatur, ita verbū Dei ad cor bonum in quo suscipitur & custoditur: in tali autem terra bona profert fructum semen, igitur in corde tali verbum Dei fructum suum profert. Cōtrà verò, vt se habet semē ad terrā malā, ita verbum Dei ad cor malum: in terra autē mala non facit fructū semen, tametsi in se bonum, nec igitur in corde malo verbū Dei. Item, Quod sunt visibiles aues corporali semini, id sunt inuisibiles dæmones verbo Dei: sed aues cùm semē aliquod vident secus viam iacere, statim illud diripiunt, prohibentes ne inde fructus consurgat. Itaq; & dæmones dum vidēt hominem Dei verbum non in profundo cordis recondere, sed tantùm in superficie gestare, statim illud satagunt, ne fructum proferre possit, à corde eius abripere. Iterum. Quod sunt spinæ nascentibus frugibus, hoc sunt seculi curæ, & diuitiarum fallaciæ bonis initiis ex Dei verbo exurgentibus. Spinæ verò solent nascentes de semine fruges suffocare, & à perfectione iusta impedire. Igitur & diuitiarum solicitudines, & curæ seculi, bona initia ex verbo Dei fortè concepta, suffocabunt, ac ne ad iustam perfectionem increscant, impedient. Ad hoc exemplum facile possunt aliæ parabolæ omnes, quæ passim in Euangeliis occurrūt, ad præsentem locum accōmodari. Valde autem in prōptu hunc locū habere studeāt, quibus cōmissum est rudes populos erudiēdi officiū. Nec enim his melius, aut cōmodius, vel doceri, vel cōmoneri possunt, quā huiusmodi crasis cōparationibus. Id quod suo nos exēplo optimus magister clarissimè docuit, qui cunctis penè sermonibus comparationes huiusmodi admiscuit.

De loco à transmutata proportione.

CAPVT XXXI.

Svb hoc autem loco à proportione, alius solet concludi, quem vocant à trāsmutata proportione. Qui maximè locū habet in rebus arithmeticis. Vt cū sic argumentamur, Sicut se habēt duodecim ad sex, ita se habēt octo ad quatuor, quoniam vtrobiq; est proportio dupla: igitur sicut se habēt duodecim ad octo, ita sex ad quatuor. Est enim vtrobiq; proportio sesquialtera. Item sicut se habēt octo ad quatuor, ita sex ad tria, quoniā vtrobiq; est proportio dupla: ergo sicut se habent octo ad sex, ita quatuor ad tria, quoniam vtrobiq;

est proportio sesquitertia. Porportionem autem duplam dicimus, quando numerus maior bis continet minorem. Vt inter duodecim & sex est proportio dupla, item inter sex & tria, inter quatuor & duo. Nam duodecim bis sex continēt, sex bis tria, quatuor bis duo. Proportionem verò sesquialteram dicimus, quando maior numerus continet minorem, & insuper eius partem dimidiam. Vt duodecim continent octo, & insuper quatuor, quæ sunt medietas ipsorum octo. Ita sex continēt quatuor, & insuper duo, quę sunt medietas ipsorum quatuor. Proportionem verò sesquitertiam vocamus, quando maior numerus minorem continet, & insuper tertiam eius partem. Vt octo continent sex, & insuper duo, quæ sunt tertia pars senarij. Item quatuor continent tria, & insuper vnitatem quæ est tertia pars ternarij. Propter hoc, inter octo & sex, item quatuor & tria, dicitur esse proportio sesquitertia. Vocatur autem hic locus à commutata proportione, eo quòd ordo eorum quæ comparantur in conclusione commutetur. Nam in antecedente, primo numero comparato ad secundum, & tertio ad quartum in conclusione ordine commutato comparatur primus ad tertium, & secundus ad quartum. Maxima, Sicut primum ad secundum, ita se habet tertium ad quartum, & primum ad tertium se habebit, vt secundum ad quartum.

De loco à dissimili, & à disproportione.

CAPVT XXXII.

A' dissimili et disproportione.

QVEMADMODVM autem à simili argumentū ducitur & à proportione, & ab affirmatione, ad affirmationē vel à negatione ad negationem, quando similia considerantur secundum id in quo sunt similia, aut proportionalia secundum id in quo consistit proportio, ita sumi potest non inutile argumentum à dissimili & disproportione, consideratione eius in quo est dissimilitudo aut disproportio ab affirmatione vnius ad alterius negationem, vel econtrario.

Vt cū sic argumentamur, Non ita est de anima rationali, quomodo de anima bruti. Anima autē bruti simul cum corpore perit, igitur anima rationalis nō perit cū corpore, sed manet extra corpus seperatim per se subsistens. Itē, Non sic inest homini rationale, vt risibile, sed rationale inest homini vt differētia, igitur risibile nō inest homini, vt differētia. Item. Non est Deus sicut homo, sed omnis homo est mēdax

& nō

&non verax,igitur Deus verax est & non mendax.Itē,Non sic sunt cogitationes Dei vt hominū,nec tales vię eius vt ho minum.(Nam,vt ait Esaias,quātum exaltātur cœlià terra, *Esaiæ 55.* tantum exaltantur cogitationes Dei à cogitationibus homi num, & viæ Dei à viis hominum.)Cogitationes autem hominū sunt ad malum, ad iniustitiam,ad vindictam & huiusmodi,igitur cogitationes Dei rectæ sunt & equę,cogitationes pacis & non afflictionis.Item non est talis Deus erga inimicos suos qualis erga suos est homo.Homo autē persequitur inimicos,& malefacere eis conatur,Deus igitur beneficiis afficit suos inimicos,atq; ad se conatur allicere vt pœniteant.Item,non sic se exhibebit Deus in iudicio futuro,vt modò se exhibet.Nunc autem semper paratus est misereri clamantibus ad se,& flecti potest precibus.Tunc igitur nullis precibus flecti poterit,nullis fletibus commoueri.

Sic in Euangelio Dominus ait discipulis:Nō sic erit inter *Lucæ 22.* vos,quantum ad eos qui aliis erunt prelati,quemadmodū inter reges gentium.Reges autem gētium dominantur eorū imperio,& cum fastu potestatem exercent inter illos.Igitur inter vos nō ita erit,sed per humilitatē debebit infra omnes se submittere prelatus aliis,vt qui maior esse velit,sit omniū seruus,& qui præcessor sicut ministrator.Itē,Non sic vobis *Matth.6.* orandum est,quomodo orant ethnici:confidunt autem illi in multiloquio,igitur non vos in multiloquio orabitis,sed corde attento.Item,Non talis erit vestra dilectio qualis est *Matth.3.* ethnicorum:hi autē solū diligunt sibi benefacientes & propinquos,vos igitur non illos solum,sed omnes amicos & ini
» micos.Maxima,De dissimilibus non idem est iudicium.

A' disproportione,Nō ita se habet in homine anima,quomodo nauta in naui.Nauta verò in naui est,non sicut pars nauis aut nauē viuificās,sed tantū quasi motor extrinsecus: Igitur anima est in homine sicut eius pars,& vita,& mouēs intrinsecū.Item,Non sic se habent duodecim ad sex,quomodo octo ad sex.Habent autē se duodecim ad sex in proportione dupla.Igitur non se habent octo ad sex in proportio-
» ne dupla.Maxima,De iis inter quæ non eadem est propor-
» tio,non idem erit iudicium.Item & à commutata disproportione(vt ita loquamur)argumentū sumitur,hoc modo. Non sic se habent duodecim ad sex,quomodo se habent quatuor ad tria.(Inter illa enim est proportio dupla,inter

hęc ſeſquitertia) ergo nõ ſic ſe habẽt duodecim ad quatuor, quomodo ſex ad tria. Nã inter hæc eſt proportio dupla, inter illa verò tripla. Duodecim enim ter continent quaternarium. Maxima, Si non ita ſe habet primum ad ſecundum, vt tertium ad quartum, nec ita ſe habebit primum ad tertium, vt ſecundum ad quartum.

De Loco ab autoritate. CAP. XXXIII.

Locus ab autoritate.

INTER Locos extrinſecos, vnus ſupereſt tranctandus, quẽ Boëtius nominat à rei iudicio, quòd in eo ſumatur argumentum à iudicio ſapientum atq; expertorũ quod de re illa tulerunt quæ in diſputationem vocatur. Cicero verò ab autoritate eũ nominat, qua appellatione & vulgo vtuntur recentiores. Ex hoc autem loco probamus aliquid ita eſſe vel non eſſe, eo quòd vel omnes, vel plurimi, vel magis ſapientes, magisque experti in qualibet profeſsione ita ſentiunt.

Valet autem ſolum affirmatiuè, hoc modo: Qui in Aſtronomia peritiores habentur, ſub firmamẽto aſſerunt ſeptem eſſe planetarum orbes: igitur ſeptẽ ſunt ſub firmamẽto planetarũ orbes. Phyſici aſſerunt, quatuor eſſe elemẽta ex quibus mixta omnia cõponũtur: igitur ita eſt. Grammatici tradunt, octo eſſe partes orationis, igitur ſic res habet. Dialecti eorum princeps Ariſtoteles, ſyllogiſmũ dixit tribus tãtùm conſtare terminis, igitur ſic res habet. Agriculturæ periti dicũt, tempus hoc aut illud eſſe aptũ ſationi, igitur ſic habet. Cœmẽtariæ artis periti aſſerũt non durabile eſſe opus quod hyemali tempore cõpingitur, ſic igitur habet. Ita in omni profeſsione: ab omnium, vel pluríum, vel paucorum magis ſapientum, imò vnius eximiè ſapientis & experti iudicio, licet argumentari. Maxima, Vnicuique experto in ſua ſcientia credendum eſt. Item, Quod omnibus vel pluribus, vel maximè ſapientibus videtur, ita ſe habere probabile eſt. «

In hoc autem loco, illud eſt peculiare, quòd nõ ſumũtur argumenta ex certa aliqua habitudine ad terminũ in quæſtione poſitum, nec eſt hîc inuenire terminũ inferentem, & terminum illatũ, cùm in cæteris id fieri ſit manifeſtũ, etiam in locis extrinſecis omnibus. Vt verbi gratia, in loco ab oppoſitis ſemper valet illatio ratiõe habitudinis quę eſt inter duo oppoſita, quorũ vnũ infertur ex altero, ſic in locis à maiori, minori, ſimili, valet illatio ratione habitudinis quę eſt inter maius & minus, aut inter duo ſimilia ſiue proportionalia.

Hic

Hic verò nihil tale inuenitur. Atq; hoc illud esse puto, quod Cicero in Topicis ait, Græcos huiusmodi argumentationes appellare atechnas, id est, inartificiales, siue (vt ipse ait) artis expertes. Eadem quoq; ratione extremo loco hunc arbitror vulgo locari, quemadmodum & Cicero omnium nouissimum illum constituit, & quasi post cæteros adiecit. Boëtius tamen in enumeratione locorum extrinsecorum primum illum constituit. Cuius si vlla est ratio (vt esse vtique putandum est) hanc arbitror assignandam: quoniã maximè extrinsecum videtur esse cõclusioni argumentum, quod nõ ab aliquo termino in quæstione trahitur, nec secundum vllam habitudinem terminorum sumitur, sed tantùm ab ipso rei iudicio, quod à personis adfertur extrinsecus. Hoc autem sciendum est, loco isto non debere fieri argumentationes, nisi affirmatiuas. Negatiuæ autem non sunt efficaces. Non enim sequitur, Aristoteles aut Plato hoc non dixit, igitur non ita est. Nemo enim quantumuis in professione, aut arte sua insignis, omnia sic potuit explicare, quæ ad suam artem aut professionem pertinet, vt nihil reliquisset inueniendum, dicendumq; posteris. Nulli enim Deus omnia reuelat, neq; vlli hominum totam se artis natura sic prodit, vt nihil celet. Qui igitur negatiuè argumentantur ab autoritate quantumlibet expertorum, in fallaciam incidunt.

Negatiuè autem dicimus argumentari ab autoritate, quando ex eo quod non sit hoc dictũ argumẽtamur, ipsum non ita habere. Vnde dum ita argumẽtor: Aristoteles dixit, cœlum nõ esse corruptibile: igitur non est corruptibile. Magistri Theologiæ testantur, non esse plura sacramenta neq; pauciora quàm septem, igitur neq; plura sunt, neq; pauciora. Sic colligẽs non dicat argumentari ab autoritate negatiuè, sed affirmatiuè. Tametsi enim propositio sit negatiua ad quam adfero autoritatem, modus tamen hanc adferendi, secundum affirmationem fit, nõ secundum negationem.

Diligentissimè verò hæc cautio in hoc loco est obseruanda: eoq; magis, quòd nostra hac tempestate plurimos etiam magnæ (vt videri volunt) eruditionis homines, ista in re turpiter labi videamus: quia quicquid non est in scripturis expressè descriptum, hinc quasi falsum condemnant atque reiiciunt. Item in rebus Philosophicis, quicquid apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, aut alios antiquos tractatum non

non inueniunt, velut vana & nugamenta reiiciunt. Quasi verò antiqui illi abyssum naturæ ita penetrauerint, sicq; penitus exhauserint, vt nihil omnino reliquũ sit posteris, quod ipsorũ possit ingeniis adiici: quasi antiqui illi magni & præclari dij fuerint, posteri verò bruta ratiõe iudicioq; carẽtia, Adde, quòd & ex diuina autoritate posteris generationibus longè plura & potiora quàm prioribus sint patefacta mysteria: atq; etiamnum quò diutius perstat sancta Ecclesia, eò plura in dies patefiunt fidelibus sanctæ veritatis mysteria.

Quibus potissimum disciplinis conueniat locus iste, & de autoritate duplici.

CAP. XXXIIII.

Est quoq; hîc notandum, quòd locus iste licet ad omnes disciplinas vsum suum præstat, potissimum tamen ad duas: eam videlicet quæ omnium infima est ac velut fundamentũ, & eam quæ summa est ac velut regina cæterarũ, id est, Grammaticam, & Theologiam. Ferè enim omnes grammaticæ regulæ ex voluntate processerunt eorũ qui primitus illam effinxerunt, tametsi in nonnullis rationem consuluerint. Vnde quicquid in Grammaticis probatur, ex autoritate conficitur, eorũ qui vel regulas condiderunt loquendi atq; scribendi, vel ex quibus regulæ istæ desumptæ sunt, vtpote ex vsu Oratorum atq; Poëtarum, & eorum qui emendatè loquuti existimantur. In Theologia autem quoniã res tractantur arduissimæ, quæ supra captũ sunt hominum, & rationis acumine attingi non possunt, ideò ratio perparũ in ea valet, autoritas omnia. Atq; etiam, licet ratio nonnulla Diuinas res cõcernentia possit vtcunq; probabiliter siue verisimiliter ostendere (id quod nõnulli æditis de Theologia naturali libris pulchrè satis monstrarunt) non tamen potest ratio hominẽ eò perducere vt talem præbeat diuinis rebus assensum, qualis debetur iisdẽ. Debetur nanq; illis fides, qui est assensus firmus sine formidine de opposito: cuiusmodi proculdubio assensum, nõ potest humana ratio nimiũ imbecillis & caligans in animis nostris generare. Autoritas verò sola id potest, cũ illic sic mens humana prosus innititur, vt omni postposita dubitatione infallibiliter verum esse credat, quod ex illa proponitur, etiá si ratione id nequaquam possit comprehendere vel intelligere. Vbi rursum notandũ est, duplicem esse autoritatem, diuinã, & humanã.

Huma

Humana est, quæ ab homine nascitur: Diuina, quæ à Deo. Il la fallere potest, sicut & falli: ista nec falli potest, nec fallere. Nemo est enim hominũ tanti ingenij, aut tantæ exercitationis, cui non interdũ aliquid exciderit non probandum. Nam Ciceroni Demosthenes, & Horatio Homerus ipse interdum dormitasse videtur. Vnde est illud vulgatũ in omniũ ore prouerbium, Quandoq; bonus dormitat Homerus. Solus autẽ Deus est, qui nunquam errat, nullibi labitur, nunquam decipitur. Propter quod humana authoritas, tametsi probabilis sit, semper tamen suspecta est, nec fidẽ plenã generare sufficiens. Diuina autem certissima est, & absq; periculo, fidemq; certissimam generat. Inest autẽ diuina authoritas, nõ iis solum, quæ per semetipsum Deus loquitur, sed & quæ per ministros suos scribit aut loquitur spiritu suo inspirante. Hinc omni canonicæ scripturæ autoritas diuina cõperit, quoniam (vt Apostolus Petrus ait,) Spiritu san 2. Petr. 1
cto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Vnde quicquid manifestè asserit scriptura Canonica, id tãquam firmum & indubitatum haberi debet. Iam quicquid docet CHRISTI sponsa, sancta Ecclesia: id tanquam verum & indubitatũ, ex autoritate Spiritus sancti, qui eam regit, suscipi debet sine formidine. Cætera verò dogmata patrum orthodoxorũ, licet eximia sanctitate præfulgentiũ, non parem habent autoritatem, vt per omnia cogãt nos assentiri ipsorũ sentẽtiis. Interdum enim licet illorum autoritati cũ rationabili modestia refragari, interdũ etiam corrigere errorem cũ reuerentia. Quemadmodum de seipso ingenuè testatur beatus pater Augustinus, de suis suiq; similiũ scriptis ita ad Vincentium scribens, Negare non possum, nec debeo, sicut in nostris maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quę possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari. Ac rursum, Hoc genus literarũ (de scriptis patrum loquitur) ab autoritate Canonum distinguendũ est. Non enim sic legũtur, tanquàm ita testimoniũ ex eis proferatur, vt contra sentire nõ liceat, sicubi fortè aliter sapuerint quã veritas postulat.

Augustinus de semetipso & reliquis suis similia loquitur

Veruntamen non temerè, nec sine magna ratione talium patrũ, qui in Ecclesia magnæ eruditionis & sanctitatis habentur dictis licet refragari, vt nostra hac tempestate nimium impudenter faciunt plerique, qui sui ingenij & crassi, & tardi, & peruersi sentẽtiam, nimia præsumptione clarissimo

simorum quoq; patrum exactissimo iudicio, nihil verentur vel æquare, vel anteponere. Quæ tanta impudētia atq; præsumptio, non modo cādorem Christianum, verumetiam naturalem dedecet verecundiam atq; modestiā. Semper enim & ab Ethnicis magnus honor, multaq; autoritas dari consueuit iis, qui in professione aliqua insignes aut præcipui sunt habiti. Tametsi enim nemo hominum ex suo spiritu loquens omnia benedixerit aut scripserit, imò & ij qui spiritum Dei habent orthodoxi patres, tametsi in aliquibus permissi sunt cæcutire, aut labi: plurimi tamen illorum, vel pleraque vel penè omnia rectè dixerunt, vixq; in vno aut altero, aut omnino in paucissimis aberrauerunt à scopo, ita vt rectè dictorum multis milibus, vix vnum possit non rectè dictum opponi. Propter quod, ab autoritate eorum meritò probabile erit argumentum, potissimum quando de ea re agitur, cui alius nemo posterior vel paris, vel maioris autoritatis, post plurima secula ausus est contradicere. Vt si hæc dixit Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Cyprianus, Tertulianus, vel alius huiusmodi, & nemo orthodoxorum patrum, id tanquàm falsum reprehendit, neq; Ecclesia vnquam contrarium declarauit, admodū probabiliter colligimus id verū esse. Secus verò, cùm ea de re agitur, quæ postmodum ab aliis paris aut maioris autoritatis doctoribus, in contrarium definita est. Quemadmodum non valet argumentatio: Cyprianus censuit baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos in Ecclesia: igitur sic res habet. Huic enim sententiæ aduersatus est beatus Augustinus, & tota oblectatur Ecclesia, quæ plus habet autoritatis, quàm vnus ille cum paucis sibi adhærentibus. Nec sequitur, Origenes (vt asseritur) finem posuit damnationi malorum angelorum, igitur sic res habet. Aduersus hanc enim sententiam fortissimè depugnarunt plurimi orthodoxi, Hieronymus, Augustinus, ac huiusmodi plures, atq; tota Ecclesia. Denique & hoc aduertendum est, quantum ad humanas disciplinas attinet, loci huius vsum maximè conducere apud eos, qui ad professionem aut disciplinam quamlibet accedunt nouitij, iuxta Aristotelis notatu dignam sententiam, Credere oportet eum qui discit. Qui enim primùm limina disciplinæ cuiuslibet ingreditur, nōdum sufficit per rationem de iis quæ proponuntur iudicare, cùm nihil adhuc intelligat eorū quæ

trad

traduntur. Verùm vbi longius quis progressus fuerit, artemq; ipsam & disciplinam penitus introierit, tum magis illum oblectabit ratio, incipiet magna animi iucunditate singularum rerum, quas prius discendo tantùm credidit, rationem inuestigare & inuenire.

De loco à transsumptione. CAP. XXXV.

De *loco à transsumptione.*

SOLENT quoq; locis extrinsecis adiicere locum alium dictum à transsumptione, cuius duplicem assignant vsum. Interdum enim quæstione aliqua proposita generali, ad aliquam speciem nos trãsferimus, vt facilius expeditiusq; propositum monstremus: æstimantes generale propositum sufficienter declaratum, si particulare illud ad quod nos transtulimus declaremus. Huius exemplum Boëtius adducit ex Socrate, qui cùm quæreret, quid in vnoquoq; posset iustitia: omnem tractatum transtulit ad reipublicæ magnitudinem, atq; ex eo quod illic efficeret, in singulis etiam valere confirmauit. Interdum verò hæc transsumptio fit in nomine, cùm proposito nomine ignoto ad aliud nos transferimus notius. Vt si disputatio de Philosopho habeatur, & ignoret forsitan quis Philosophi nomen, ad sapiẽtis nomen translatio fiet. Est enim sapientis nomen notius quàm Philosophi, quoniam illud Latinis domesticum est, hoc peregrinum. Verùm huius loci non ita magna videtur esse vtilitas: propter quod de eo prolixiorem tractatum non facimus, ad medios locos properantes.

De locis mediis, & primum de loco à coniugatis.

CAPVT XXXVI.

Locus à cõiugatis.

INTER locos medios primus est, qui appellatur à cõiugatis, secundus qui à casibus. Inter cõiugata & casus hæc est differẽtia, quòd coniugata dicãtur terminus abstractiuus & denominatiuus, idem principaliter significantes: casus verò plura dicuntur denominatiua, siue nominalia, siue verbalia, siue aduerbialia ab eodẽ aliquo abstracto secundũ denominationẽ formata. Vt iustitia, iustus & iustè cõiugata sunt: itẽ sapientia, sapiens & sapienter. Idem enim habent significatũ principale, sed differũt tantùm in minus principali significato, eo quòd terminus abstractiuus nudam qualitatẽ significet, terminus autem concretiuus simul substãtiam. Dicta sunt autẽ coniugata, quia sub eodem sunt iugo significationis, aut quia ad idẽ significationis iugũ pertinẽt. Casus verò sunt,

sunt, vt iustus & iustè, probus probè. Ideo dicti casus, quoniã ambo per quandam deflectionẽ cadunt à principali nomine, id est, ab abstracto. Hoc enim dicitur nomen principale: quoniã formam ipsam nudã & per se significat, nihil simul aliud, nec ex principali, nec ex minus principali significato importans. Vnde licet forsitan interdum contingat, secundum Grammaticorum deriuationem, à concreto deriuari abstractum: secundum rem tamen & significationem ac per se, abstractum est principalius concreto: quoniam concretũ suam habet denominationem à forma per abstractũ simpliciter significata. Interdum verò sub nomine coniugatorum generaliter intelliguntur etiam casus, vt apud Ciceronem, qui locum à casibus non distinguit ab hoc loco à coniugatis, sed illum sub hoc concludit. Quia enim plura concreta ab eodẽ abstracto formata sub eodem sunt iugo primariæ & præcipuæ significationis, nõ immeritò coniugata dici possunt. Fiunt autem argumentationes, tam à coniugatis quàm à casibus, & affirmatiuè & negatiuè. Interdum quidem in prædicatis bonũ & malum, interdũ in aliis. Primi exemplum est, Qui iustus est, bonus est, igitur iustitia est bona, & econtrariò. Item in aduerbiis sic, Quod iustè fit benè fit, igitur iustitia est bona, & econtrariò. In verbis, sic: Tẽperare bonum est, igitur temperantia est bona. Obedientia sancta est, sanctũ igitur est obedire. Maxima, Quod vni conuenit coniugatorũ, & alteri conuenit. Item coniugatorũ in eo quòd coniugata sunt, vna est eademq; natura. Interdũ verò fit in prædicatis aliis quàm bonum & malũ, hoc modo: Qui currit, mouetur, igitur cursus est motus. Percussum patitur, igitur percussio est passio. Album est coloratũ, igitur albedo est color. Quod dulce est, sapidum est, igitur dulcedo est sapor. Qui iustus est, probus est, igitur iustitia est probitas & virtus. Maxima, Si coniugatorũ vnum vni cõuenit, & alterũ alteri conueniet. Vt autem vniuersaliter ex hoc loco desumpta argumenta vàleant, primũ quidem obseruandum est, vt propositiones sumantur in quibus prædicatum per se conueniat subiecto, nõ per accidens. Nõ enim necesse est, si duo concreta per accidens de se inuicem dicantur, ob hoc illorũ quoq; abstracta de se inuicẽ similiter prædicari. Quemadmodũ videlicet album & dulce, duo hæc cõcreta de se inuicem prædicãtur, dicendo: Album est dulce, & dulce est

est album, eò quòd vnũ idémq; lac simul & album sit & dulce. Non tamẽ hinc potest inferri, albedinẽ esse dulcedinem. Per accidens enim, nõ per se, illa cõcreta de seinuicem prædicantur. Tunc autem dicuntur duo concreta de seinuicẽ per accidens prædicari, quando res significata per vnum nõ est in re per alterũ significata, nec eadem est vtriusq; significati natura, sed ambo simul in eodẽ subiecto reperiuntur. Vt albedo non est in ipsa dulcedine, neq; dulcedo in ipsa albedine, nec ambæ eiusdem sunt naturæ. Verùm, quia simul ambæ inueniuntur in eodẽ subiecto tertio, nempe in lactè, hinc est quòd de seinuicem prædicantur: idq; per accidens, ratione subiecti tertij, in quo conueniunt, nõ autem per se, non eò quòd vnius essent naturæ, aut alterum in altero. Ita dicendum & de istis propositionibus, Sciens est probus vel studiosus. Humilis est iustus, Grammaticus est Dialecticus. Videns est audiens. Sapidum est coloratum, atq; huiusmodi. Ex quibus nõ licet inferre igitur scientia est virtus, humilitas est iustitia, Grammatica est Dialectica, visus est auditus, sapor est color. Cùm autẽ dico, albũ est coloratum, prædicatio est per se, non secundũ accidens. Albedo enim quæ per subiectum significatur, & color qui per prædicatũ, eiusdem sunt naturæ, sicut species & genus, & coloris natura est in albedine, sicut natura generica in natura specifica. Ob hoc per se ista cõueniunt. Simile est de istis propositionibus: Humilis est probus. Grãmaticus est sciens. Dulce est sapidũ. Suaue est odoriferum. Triangulare est figuratum. Durũ est naturaliter potens. Molle est naturaliter impotens. Percutiens est agẽs. Percussum est passum, atq; ita in cæteris prædicamentis. Ex quorũ singulis, aptè inferri potest prædicatio abstracti de abstracto. Deinde & hoc obseruandũ est, vt assignentur verè coniugata, non tantùm secundũ vocem, sed secundum rem & significationem. In iis enim quæ tantùm secundum speciem & vocis sonum cõiugata videntur, non valet. Non enim sequitur: Somnolentus vitiosus est, igitur somnus malus. Nec sequitur: Somnus bonus est, igitur somnolentum esse bonũ est. Somnolentus enim nõ propriè est somni denominatiuum secundũ significationem ei correspondens. Somni enim denominatiuuũ proprium est, dormire vel dormiens. Somnolentus autem denominatiuũ est à somnolentia. Vnde sic est argumẽtandum, Somnolentus vi-

cioſus eſt,igitur ſomnolentia vicium. Somnus autem bonus eſt,igitur dormire bonum eſt:& dormire bonum eſt,igitur ſomnus bonus eſt. Nihil autem refert,ſiue denominatiuum ſit ſignificatione tantùm,ſiue voce & ſignificatione ſimul. Præcipuum enim quod hic quæritur,ſignificatio eſt. Verùm denominatiuum voce tantùm,huic loco minimè conuenit.

De loco à caſibus. CAP. XXXVII.

Locus à caſibus.

EADEM quoq; hæc obſeruanda ſunt,cùm à caſibus argumentum ſumitur. Sic enim eſt argumentandum: Quod iuſtè fit bene fit,igitur qui iuſtus eſt bonus eſt,& ecõtrario. Quæ humilia ſunt honeſta ſunt,igitur quæ humiliter fiunt honeſtè fiunt. Qui Grammaticè loquitur ſcienter loquitur, igitur Grãmaticus eſt ſciens,& econtrario. Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt,igitur eſt ſophiſta odibilis. Iniuſtè agere malũ eſt,igitur iniuſtus malus eſt. Percuti eſt pati,& percutere eſt agere,igitur percuſſum eſt paſſum,& percutiens agẽs. Maxima,Caſuũ in eo quòd caſus ſunt,eadẽ eſt natura. «

Cicero verò tale proponit præſentis loci exemplũ: Si ager eſt cõpaſcuus,ius eſt compaſcere: iuxta quã formam ita licebit ex hoc loco argumentari. Si religioſus eſt,religioſe debet viuere: ſi Chriſtianus, chriſtianè. Si chriſtianè aut religioſe non viuit,non eſt Chriſtianus aut religioſus. Cœnobitarum ſi omnia ſunt communia,iuſtum eſt vt communiter omnibus vtãtur. Si propriè vtantur & peculiaria ſibi ac propria faciant,& ipſi(vt vulgo appellantur)proprietarij cenſendi erunt. Si hæc res non eſt mihi propria,non ea licet mihi vti propriè. Itẽ ſi quis fortiter agit aut prudenter,is fortis aut prudens dicetur: ſi impudicè loquatur vel agat,impudicus erit. Item. Spiritus eſt Deus, ſpiritualiter ergo colendus. Magnus eſt Deus,magnificè igitur eſt colendus. Item, Si nobilis quiſpiã eſt aut ingenuus,nobiliter & ingenuè debet agere. Si non agat ingenuè,nec ingenuus erit. Huc illud pertinet quod ille apud Terentium ait: Homo ſum,humani nihil à me alienum eſſe puto. Et illud quod per ſapientem in cõfeſſione laudis domino dicitur: Cùm ſis iuſtus,iuſtè omnia diſponis. In propoſitionibus autẽ per accidens nõ valet argumentũ. Nõ enim ſequitur: Percutiẽs eſt percuſſum, igitur percutere eſt percuti. Nec ſequitur, Grammaticus eſt probus,igitur Grammaticè loqui eſt probè loqui. Item,cùm nõ aſſiguantur propria denominatiua nõ valet argumẽtatio,

tio,hoc pacto:Potare aut bibere bonũ est,(cùm sit ad naturæ sustentationem necessariũ)igitur potor aut bibulus bonus est,sed inferri debet,igitur potans aut bibẽs bene facit.

De loco à diuisione. CAP. XXXVIII.

TERTIVS inter locos medius est,qui appellatur à diuisione.Pro cuius loci pleniori intellectu præmittẽdum est,quid sit diuisio,& quæ ad bonam diuisionem requirantur conditiones,& quot modis fiat.Est autem diuisio,partitio aut sectio,siue distractio alicuius totius in plures partes. Vnde in omni diuisione spectandum est aliquid quod diuiditur,& aliqua in quæ fit diuisio,& quædã signa per quæ fit diuisio.Quod diuiditur,appellamus diuisum,illa in quæ fit diuisio,membra diuidentia aut membra diuisionis,quòd in ea tanquã in membra vel partes fiat totius diuisio.Illa autem signa per quæ fit diuisio,signa diuidẽtia aut notæ diuisionis appellantur.Vt cùm ita dicimus:Animalium aliud est homo,aliud est brutũ.tota illa oratio est diuisio:animal,diuisum:homo & brutum,mẽbra diuidentia siue partes diuisionis:aliud verò,est signũ diuisionis.Aliter efficitur diuisio per coniunctionem disiunctiuam,hoc modo,Omne animal vel est homo vel brutũ:vbi nota diuisionis est cõiunctio disiunctiua. Ad hoc aũt vt diuisio propria sit & absolutè bona,primò exigitur ne diuisum excedat membra diuidentia omnia simul sumpta,id est,ne diuisum latius pateat quàm simul omnia mẽbra,ita vt aliquid posset sub diuiso contentũ inueniri,quod sub nullo membrorũ diuidentiũ continetur. Hoc enim est excedere diuisum membra diuidentia.Huius defectu,nõ est bona ista diuisio:Animaliũ quoddã est gressibile,quoddam volatile.Sunt enim animalia,quæ nec gressibilia sunt nec volatilia,vt pisces natantes & serpentes qui repunt super terrã. Vicissim requiritur ad bonam diuisionem vt membra diuidentia non excedant diuisum:hoc est, vt nõ contineatur quicquam sub membrorum aliquo,quod non item sub diuiso.In propriè dicta enim diuisione,illa in quæ fit diuisio debẽt esse partes,& quasi mẽbra ipsius quod diuiditur.Si autẽ aliquid sub membris cõtineatur quod nõ sub diuiso,iam nõ partes sunt aut mẽbra:quoniã quicquid est in parte,est & in toto cuius illa est pars.Huius defectu, ista nõ est diuisio bona:Brutorũ aliud est sanum,aliud ęgrũ. Multa enim sunt sana & ægra,quæ non sunt bruta,nimi-

Quid diuisio.

rum homines vniuersi. Nisi ad nomina illa sanũ & ægrũ intelligatur repeti ipsum diuisum, hoc sensu: Brutorum aliud est brutum sanũ, aliud est brutum ægrũ. Hic enim diuidentia membra, quæ sunt partes in modo respectu diuisi, ipsum nequaquã excedunt. Atq; ita in omni diuisione subiecti in accidentia, si propria esse debeat, intelligendũ est diuisum repeti ad singula membra diuidentia, vt sint ipsa partes in modo respectu totius. Vt cũ dico: Hominum, alius est calidus, alius frigidus, alius tepidus. Hominum, alius est albus, alius est niger, alius medio colore coloratus, atq; ita in cæteris. Requiritur tertiò, vt membra diuidentia non coincidant, sed pugnent adinuicẽ, sic vt de eodem nõ possint verè prædicari. Illa enim in quæ fit diuisio, debent esse partes diuersæ ipsius quod diuiditur. Partes autẽ si diuersæ sint, de se inuicem nõ dicuntur, sed pugnant: alioqui nõ sunt diuersæ. Huius defectu, ista nõ est bona diuisio: Hominũ, alius est risibilis, alius flebilis. Neq; ista valet: Animaliũ, aliud est homo, aliud brutũ, aliud auis. Nam auis & brutũ non pugnãt, cùm sint genus & species. Simili modo ista nõ valet: Propositionum, alia est vera, alia falsa, alia necessaria, alia impossibilis. Nam propositio necessaria & vera coincidunt, similiter propositio falsa & impossibilis. Præterea notandum est, diuisionẽ fieri dupliciter. Primò, per negationẽ. Vt, Animalium aliud est homo, aliud nõ est homo, vel aliud est non homo. Omne quod est, aut viuit, aut non viuit. Huiusmodi diuisio nunquã habet nisi duo membra: quoniã inter affirmationem & negationem, quæ sunt contradictoriè opposita, nullum est dare mediũ, id est, nihil potest inueniri, de quo non alterum illorũ verè prædicetur. Vnde duobus eiusmodi membris diuisio completa sit, necesse est, nec potest adiici tertium, nisi fiat coincidentia cũ altero duorum, vtpote, vel cum affirmatione, vel cum negatione. Et quidem ad hoc, vt eiusmodi sit diuisio propriè dicta, repetẽdum est diuisum ad negationem. Alioqui membrum illud quod secundum negationem effertur, superabit diuisum. Vt cùm dico, Animaliũ, aliud est homo, aliud est non homo. nisi repetatur animal, in hunc sensum: Inter animalia, aliud est animal homo, aliud animal nõ homo: nisi (inquã) talis fiat, vel explicitè, vel implicitè repetitio, membrũ secundũ, nõ homo, longè superabit diuisum animal: quoniã de infinitis dicitur nõ homo, de

quibus

quibus non dicitur animal. Alia est diuisio, quæ fit per mẽbra positiua, absq; negatione. Atq; hæc interdum duo tantùm habet membra. Vt, Animalium, aliud est homo, aliud brutum. Omne vitium, aut est secundum excessum, aut secundum defectum. Omne corpus animatum, aut est sensibile, aut insensibile. Et huiusmodi diuisio plura potest habere membra quàm duo, vtpote vel tria, vel quatuor, vel plura. Vt cùm diuiditur propositio in propositionem vniuersalem, particularem, indefinitam & singularem. Item cùm opposita diuiduntur, in opposita relatiuè, contrariè, priuatiuè, & contradictoriè. Et à membrorum isto numero solet vocari quælibet diuisio, aut bimembris, aut trimembris, aut quadrimembris. Omnis autem diuisio, vt minimum duo mẽbra habere debet. Vnde si dicas, Quoddã animal est homo, nulla fit diuisio. Quemadmodũ enim in corporali diuisione videmus non posse lignum diuidi, nisi vt minimum in duas partes, posse tamen diuidi in tres, aut quatuor, aut plures immediata diuisione: sic & diuisio logica fieri non potest, nisi per duo vt minimum membra, per plura autem fieri potest.

Frequenter autẽ contingit, eam quæ trimembris est aut quadrimembris, posse redigi ad bimembrem. Vt hæc trimẽbris diuisio, Rerum aliæ sunt simpliciter bonæ, vt virtutes: aliæ malæ, vt vitia: aliæ mediæ siue indifferentes, cuiusmodi sunt bona fortunæ. redigi potest in hanc immediatã & bimembrem diuisionem: Rerum aliæ sunt differentes, aliæ indifferentes. Ac deinde membrum alterũ noua diuisione subdiuiditur, hoc pacto: Rerum differentium, aliæ sunt bonæ, aliæ malæ. Sic item ista diuisio: Figurarum quę sunt trilateræ, aliæ sunt æquilateræ, aliæ ex tribus duo tantùm latera æqualia habent, aliæ sunt totæ inæquales, ita vt nullũ latus alteri sit æquale. trimembris quidem est, sed ad bimembrem redigi potest, si ita dicamus, Figurarum quæ sunt trilateræ, aliæ sunt æquales, aliæ inæquales. ac deinde: Earũ quæ sunt inæquales, aliæ tantùm duo habent latera inæqualia, aliæ tria, id est, omnia simul.

Quòd autem subinde cogimur diuisiones facere pluriũ quàm duorum membrorum, ex inopia procedit vocabulorum, videlicet quoniam nõ habemus apta vocabula quibus nominemus duo immediata genera aut species, in quæ foret res diuidenda bimembri diuisione.

De multiplici diuisione. CAP. XXXIX.

DISTINGVITVR autem ab authoribus sextuplex diuisio. Prima est diuisio generis in species. Vt animalium aliud est homo, aliud brutum. Qualitatum, alia est habitus & dispositio, alia naturalis potentia vel impotentia, alia passio & passibilis qualitas, alia forma & figura. Atque hæc est diuisio propriissima. Sub hac continetur diuisio generis in suas differentias. Vt, Animalium aliud rationale, aliud irrationale. Verùm si proprietatem & naturam rerum consyderemus, potius genus dicendum videtur per differentias, quàm in differentias diuidi. Per differentias enim genus diuiditur in species. Siquidem differentiæ genus ipsum contrahunt & distrahunt, diuidúntq; in species. Nam hæc est differentiarum natura, diuidere inter species diuersas sub eodem genere positas easque abinuicem disiungere, vt ex libro primo manifestum relinquimus. Huc etiã pertinet diuisio totius in modo in partes suas. Nam totũ in modo cõparatione ad suas partes quasi genus quoddã censetur & vniuersale. Secunda est diuisio totius integri siue integralis, in suas partes integrales siue integrantes. Vt cùm domus diuiditur in tectum, parietes, & fundamentum. Verùm hæc potius enumeratio partium quàm diuisio dicenda est: & si diuisio est, magis realis quàm logica videtur. Vnde modus Dialecticæ diuisionis (vt suprà diximus) est per signa, aliud & aliud, aut per disiunctiuam coniunctionem. Ista autem enumeratio partium, neutro horum modorum fieri potest. Ineptè enim dixeris, Domorum alia est tectum, alia fundamentum, alia paries. Vel sic, Omnis domus, vel est paries, vel tectum, vel fundamentum. Propter quod distinctio nomine hanc partium enumerationem Cicero, ac post eum Boëtius, partitionem appellauerunt, priorem verò diuisionem. Ad hanc quoque formam nõ nulli redigunt sectionem speciei in indiuidua. Vt cùm hominem diuidimus in Petrum, Paulum, Socratem, Platonem. Videtur enim potius enumeratio quędam esse singularium multorum, quàm vnius communis diuisio. Et potius species in indiuidua multiplicari, quàm diuidi videtur.

Tertia est diuisio vocis in significata. Vt cùm diuiditur canis in piscem marinum, & domesticum, & sydus cœleste: cùm polypus in piscem, & morbum. Verùm hæc rursus

non

non est propriè appellanda diuisio, sed enumeratio potius significationum plurium eiusdem termini.

Quarta est diuisio subiecti in accidentia. Vt, Animalium aliud est sanum, aliud ægrum. Animalium aliud est ferum, aliud mansuetum, aliud mediæ inter vtrumq; naturæ. Huc videtur pertinere diuisio subiecti in propria. Vt, Animalium aliud est risibile, aliud hinnibile, aliud rudibile, &c. Nisi fortè malimus huiusmodi diuisiones reducere ad primam speciem, eo quòd pro differentiis subinde vti soleamus propriis. Quinta est diuisio accidentis in subiecta. Vt Sanorum aliud est homo, aliud brutum. Coloratorum aliud est corpus animatum, aliud corpus inanimatum. Item eorum quæ fera sunt, aliud est serpens, aliud volucris, aliud aliqua reliquarum bestiarum.

Sexta est accidentis in accidentia. Vt, Sanorum alia sunt alba, alia nigra, alia medio colore colorata. Aegrorū aliud est calidum, aliud frigidum. Cādidorum aliud durum, aliud molle. Durorum aliud est album, aliud nigrum.

De modis argumentandi per locum à diuisione.

CAPVT XL.

His præmissis dicendum est, quomodo ex hoc loco sumi debeant argumenta. Fiunt autem dupliciter. Primò, cùm de aliquo prædicatur diuisum, & membra diuidentia in antecedente omnia præter vnum de eo negantur, id quod residuum est in conclusione affirmabitur de eodem. Exempli gratia, Omne animal est sanum vel ægrum, Petrus est animal, & non est æger, est igitur sanus. Vel sic, Animalium aliud sanum, aliud ægrum, Petrus est animal, & non est æger igitur est sanus. Et quidem si duo tantùm membra fuerint diuidentia, vnum tantum negatur in antecedente. Si autem plura quàm duo fuerint, curandum est, vt omnia præter vnum illud quod in conclusione, secundum affirmationem inferre volumus in antecedente negentur. Vt in hac argumentatione, Propositionum alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, alia singularis Hæc autem propositio, Petrus studet, est propositio, & non est vniuersalis, neque particularis, neq; indefinita: igitur est singularis. Quod si vel vnum membrum omiseris, præter id quod in conclusione infertur, non valebit illatio. Non enim sequitur, Hæc est propositio. Petrus studet: & non est vniuersalis, neque

particularis,igitur indefinita. Veruntamen si in conclusione plura illa membra,quæ in antecedente negata non sunt, simul coniungantur secũdum disiunctionem, valebit illatio. Vt si ita dixerimus: Hæc est propositio,& non est vniuersalis neq; particularis,igitur est indefinita vel singularis: vtiq; valet illatio. Maxima,Cum quo conuenit diuisum,cum illo necesse est aliquod membrorum diuidentium conuenire.

Secundò valet argumentatio à diuisione procedendo ab affirmatione vnius membrorum diuidentium de aliquo ad negationem alterius, vel omnium aliorum de eodem. Vt, Animalium aliud est sanum,aliud ægrum. Hoc autem animal est sanum,igitur nõ est ægrum. Propositionum alia est vniuersalis,alia particularis, alia indefinita, alia singularis. Hæc autem propositio,Petrus studet,est singularis,non igitur est vniuersalis,neque particularis,neq; indefinita. Maxima,Cui conuenit vnum membrorum diuidentium,de eodem reliqua omnia negari necesse est.

Fundatur autem horum modorum ratio in conditionibus,quas suprà diximus requiri ad bonã diuisionem. Prior nanque modus in hac fundatur, quòd diuisum non potest excedere membra diuidentia. Fieret enim hoc si diuisum de aliquo diceretur,de quo nullum membrorum diuidentium. Atque ob hoc necessarium est,vbi diuisum de aliquo prædicatur,& membra diuidentia omnia præter vnum de illo negantur,illud vnum de eodem secundum affirmationem prædicari. Posterior modus in hac fundatur,quod mẽbra diuidentia non possunt coincidere,sed pugnare debent adinuicem. Si enim ambo de eodem secundum affirmationem dicerentur,iam non pugnarent sed coinciderent.

Quantum verò ad illas diuisiones quæ dantur per negationem,id est,quarum alterum membrum est negatio, dicimus posse fieri argumentationes modis etiam illis, quos suprà diximus.

De alijs quibusdam locis signatis ab Aristotele.

CAPVT XLI.

Locus à magis ad simpliciter.

PRAETER prædictos notari possunt ex Aristotele,alij aliquot loci,qui ad argumenta inueniendum sunt vtiles. Quorum vnus dicitur à magis ad simpliciter. Hic est, cùm ex comparatiuo infertur positiuum. Vt,Si quid est magis bonum,vt etiam bonum sit necesse est: si quid melius, & bonum:

num:si quis doctior,& doctus. Vbi tamen oportet comparatiuum propriè accipi. Interdū enim cōparatio fit impropria,quando neutri in eo gradu competit forma à qua positiuus denominatiuè dicitur,vt simpliciter tale posit denominari:plus tamen illius habet vnum quà alterum. Vt cùm duo fuerint,quorum neuter plenè assequutus est grammaticæ sciētiam,vt posset dici simpliciter grammaticus, alter tamen altero magis propinquus est ad assequendum scientiam, dicimus interdum hunc illo magis grammaticum, non tamen ex hoc rectè inferetur,eum esse grammaticum.

Verùm hic locus reduci potest ad locum à parte in modo ad totum:quemadmodum econtrario, à simpliciter ad magis negatiuè,reducitur ad locum à toto in modo. Siquidem, magis bonum in comparatione ad bonum, quædam pars est in modo: & tale simpliciter, quoddam totum in comparatione ad magis tale.

Aliter quoque licet argumentari, à positiuo ad comparatiuum & superlatiuum,hoc modo, Quod bonum est diligibile est: quod igitur magis bonum,magis diligibile, & quod maximè bonum,maximè diligibile erit. Oportet autem hîc assumi propositiones,in quibus prædicatum subiecto per se conueniat. Alioqui non valebit in propositionibus per accidens. Non enim sequitur: Qui sciens est,probus est,igitur qui magis sciens, magis probus, & qui maximè sciens, maximè probus. Econtrario quoque à superlatiuis & comparatiuis ad positiuos argumentationem valere est manifestum.

Item ex appositione sumitur argumentum, hoc modo, Calx parieti admota facit ipsum album, igitur calx est alba. Atramentum,quia papyrum facit nigram cui superfunditur,ideò ipsum esse nigrum consequitur. Ignis quia calidam facit aquam admotam,ipse quoque calidus esse arguitur. Maxima,Si alterum oppositum, alteri facit ipsum esse aliquale,ipsum quoque tale est. Ad hunc quoque modum argumentari possumus: Hic adolescens ex consuetudine & coniunctu cum seneillo doctus & probus factus est,igitur ipse senex doctus & probus est. Item hic adolescens ex talis hominis commercio malus factus est,ille igitur malus est, per quem alter malus factus est. Sic iustum arguimus fuisse Abraham & hospitalem,denique cultorem fidelem:quo- *Locus ab appositione.*

niam nepos Loth ex eius conuictu talis effectus fuerat. Malas quoq; mulieres fuisse illas Idololatras & alienigenas, ex quarum conuictu Salomon ipse, factus est cultor idolorum. Huc videtur pertinere, quod per Sapientem dicitur, Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Et item illud, Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruersus eris. Possent. quoque & alij signari loci, quorum in præcedentibus non est facta mentio. Verùm qui nunc enumerati sunt, præcipui sunt & ferè omnes qui à Themistio, Boëtio, & Cicerone sunt enumerati.

Quapropter Dialecticis nũc & probabilibus locis absolutis, ad Sophisticos ex opposito designandos proceda mus.

DEO SEMPER ET VBIQVE GLORIA.

DIA

DIALECTICAE CONSIDERATIONIS LIB. VI. QVI DE ELENCHIS SOPHISTICIS INSCRIBITVR.

*

PRAEFATIO.

QVEMADMODVM in iis quę ad mores attinent, difficile est malum à bono secernere, neq; rarò contingit vt pro virtute vitiũ amplectamur, decepti specie & similitudine boni: sic & in veritate falsitateq; refutanda, facilis est & frequens deceptio, vt quæ falsa sunt (iuxta Horatij verbũ) decepti specie recti vera existimemus. Nimirũ vt cæcutiẽtibus oculis facile est imponere, & alia pro aliis demonstrare, efficta & adũbrata paululum exteriorum figura ac specie: ita humanæ mẽti si non omnimoda cæcitate, certè lippitudine graui, ex colligatiõe corruptæ carnis huius laboranti, facilè nimis illuditur, vt ei pro veris falsa, pro certis incerta, pro probabilibus improbabilia obtrudãtur. Quod quidẽ maximè per sophisticas & vicioſas solet euenire ratiocinatiões. Cùm enim per ratiocinationẽ homo, vtpote rationale animal, veritates sibi nõ cõgenitas debeat inuestigare, & quasi venãdo perquirere, illavbi à tramite recto deflexerit, id est, à forma bona defecerit, necesse est in cognitione veri ratio periclitetur atq; deficiat. Quemadmodum deuiante itineris duce, cæcus ipse qui ducitur aberrare cogitur: aut regula incuruata, qui ea vtitur artifex, in metiendo decipitur. Eam ob rem, dialectico (cuius est officium ratiocinando verum à falso distinguere) nõ solum loca nosse est opus, ex quibus argumenta ad ratiocinandũ depromat sibi accõmoda: sed insuper iudiciũ illi adesse debet, quo ratiocinationes contextas discutere, & vitioſas à probis acutè expediteq; discernere nouerit. Ad hãc sanè rem, non mediocriter adiuuat liber ille, cui Aristoteles de Sophisticis Elenchis titulum fecit, alij de locis Sophisticis eum inscribunt. In quo quidem libro, locos siue modos aliquot digesit, ex quibus facilè argumentationum vitioſarum quarumlibet defectus possit deprehendi.

Nos

Nos proinde etiam hanc partem de locis sophisticis, aut captiosis elenchis præterire omnino non voluimus, ne in absolutum & incompletum esset nostri laboris opusculum. Breuitati tamen ita studuimus, vt non nisi ea quæ ad propositum maximè facere videbantur, simus prosequuti.

In quem vsum hic liber seruire debeat.

CAPVT I.

ET primum quidem, hoc est admonendum non in hunc vsum istam tradi sophisticorum locorum scientiam, vt ea passim & ex proposito vtamur ad aliorum deceptionem, aut falsitatis defensionē, veritatisq; oppugnationem. Absit enim ab animis omnium qui veritatē amant ista persuasio, procul sit à piis & simplicibus mentibus peruersa ista existimatio. Est enim iste artis huius abusus pessimus & pernitiosus, ex intentione argumenta adferre quæ scias esse sophistica, & deceptoria. Eorum is mos est, quibus (vt ait Aristoteles) operæpretium magis est videri esse sapientes quàm esse & non videri: quibus proinde necessarium est videre facere opus sapientis, magis quàm facere & non videri. Hoc enim pacto facilè consequentur, vt sapientes videantur, quod vehementer desiderant. Cuiusmodi homines, tāquàm sophi aut philosophi nomine indigni probroso vocabulo, secundum vocem quidem non ita dissimili, sed re ipsa & significatione multum distanti, à Græcis appellantur sophistæ, id est, impostores siue deceptores à verbo græco σοφίζομαι, quod significat imponere siue decipere. Et licet forsitan adolescentulis in cōcertationibus scholasticis, exercitationis gratia id posset concedi, vt ad locos huiusmodi interdum confugiant maximè ad auferendum silentij ruborem, vbi alia probabilia non occurrunt argumenta: nequaquam tamen in viris id permitti debet, vt vnquam ex proposito ab his locis sumant argumenta. Virilem namq; grauitatem decet magis verecundè silere, quā arrogāter garrire aut sophisticè loqui. Qui enim sophisticè loquitur (iuxta sapiētis verbum) odibilis erit. Imo & adolescētes à præceptoribus sedulò admonēdos ego censeo, ne pro adferēdis argumentis ad locos istos facile se conferant, sed quantū fieri potest, probabilia magis semper sectētur, malintq; probabilibus & verisimilibus sodalem nō vincere, imò videre vinci quàm per

sophi

sophistica vincere. Neque enim parum refert (iuxta Aristotelis dignissimam sententiam) iuuenē sic vel sic assuescere. Et iuxta illud Poëtæ, Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu. Vnde & experientia quotidiana discimus, eos qui à puero huiusmodi sophisticis captionibus gloriolas captare sunt soliti, difficile etiam in ætate grandiori ab illis posse abstinere, facillmeque in illas ineptias relabi: tunc maximè cùm se probabilibus viderint destitui, & vinci veritatis pōdere metuunt. Tunc (inquā) veritatem quærunt, vt solent, eludere mendacio, & verecundū silentium mendaci loquacitate satagunt declinare. Atque ita fit per assuefactionem vitiosam, vt per omnem vitam ad capiendā veritatis solidæ disciplinam eiusmodi homines inueniantur inepti. Et planè hi ipsi sunt, qui diuinas omnes & humanas perturbant, defœdant, ac tantùm non subuertunt disciplinas. Quibus referri debet acceptum, quòd sic omnia sophismatis & ineptijs & meris deliramentis anteactis seculis plena fuerint. Non igitur ad hoc ars ista traditur, vt ad locos qui hic signantur, passim recurratur ad illusionem veritatis: sed vt per eorum considerationem latentia in argumentis contra veritatem obiectis, aut pro ea inuestiganda propositis, vitia facilius deprehendamus, & expeditius dissoluamus. Qui enim ad positionem aliquam argumentatur, eo quòd ad multa considerat, facilè in assumpto argumento defectum aliquem committit, qui à respōdente facilius deprehēditur & panditur, si locos istos in numerato habuerit, eorumque modos exactè calluerit. Sicque per horum locorum rectum vsum sanctæ veritati impeditur patrocinium, dum non ex illis ista subuertitur, sed astruitur.

Ponitur definitio elenchi.

CAP. II.

QVONIAM autē de sophisticis elenchis liber iste inscribitur, scire oportet imprimis, quid per elenchi nomen significetur. Definitur autem ab Aristotele hoc modo?

Elenchus est syllogismus, cum conclusionis contradictione. Definitio elenchi.

Cuius definitionis hic est sensus? Elēchus est syllogismus concludens propositionem contradicentē & repugnantem alteri propositioni assertæ. Vt cùm quis asserit positionē aliquam.

quam, si fiat syllogismus ab opponente inferens contradictoriã illius assertæ positionis, huiusmodi syllogismus elenchus vocatur. Vnde elenchus omnis syllogismus est, non autem econtrariò. Propter quod, elenchus definitur per syllogismum, vt species per genus, vel minus cõmune per magis cõmune. Cùm autem dicitur elenchus sophisticus, per additionem illius determinationis efficitur dictũ secundũ quid. Elenchus enim sophisticus verè non est elenchus, sicut nec syllogismus sophisticus verè est syllogismus, sed videtur tãtùm & non est, quemadmodum apertè testatur Aristoteles.

Est autem in vnoquoque sophistico elencho aliqua causa apparentiæ, quæ syllogismum illum facit videri bonũ aut probatiuum, cùm talis non sit. Quæ sanè causa in omnibus generalis est, conuenientia syllogismi sophistici cum alio bono & probatiuo, secundum aliquam similitudinem, eaq; similitudine decipiuntur imperiti: quoniam imperiti (vt Aristoteles ait) à longè distantes speculantur. Vnde in quocunque syllogismo malo nulla potest inueniri apparentiæ causa, non dicitur ille sophisticus syllogismus, cùm eiusmodi nõ sit ad decipiendum idoneus. Est autem ex aduerso in singulis etiam causa defectus plerunq; latens, sic vt non passim à quibuslibet possit videri, nec nisi ab expertis & peritis in arte syllogistica deprehendi. Quæ cùm manifestatur, syllogismi sophistici robur infringitur, ne quicquam possit aduersus veritatem. Neque enim est aliud paralogismum dissoluere, quàm latentem defectus causam aperire.

De quatuor generibus disputationum. CAP. III.

Ante verò quàm ad designandos particulatim sophisticarum captionum modos accedat Aristoteles, quatuor præmittit disputationum genera siue species. Disputationũ enim aliæ sunt doctrinales, aliæ Dialecticæ, aliæ tentatiuæ, aliæ litigiosæ. Doctrinales disputationes primo loco sic ab eo definiuntur:

Disputationes doctrinales.

Doctrinales disputationes sunt, quæ ex proprijs cuiusque disciplinæ principijs, & non ex his quæ videntur respondenti, syllogizant.

Quam definitionem ita intellige. Illæ sunt doctrinales disputationes, quæ syllogizant siue procedunt ex iis quæ in quali

qualibet disciplina sunt propria principia, prima & vera, quæq; indubitatam & certissimam habent veritatem, nõ ex iis quæ tantùm ipsi respondenti sic habere videantur. Hac disputatione vtitur magister erga discipulum, qui ex propriis principiis disciplinæ in qua est instituendus, & quantũ fieri potest certissimis, cum illo agit. Habetq; hæc disputatio doctrinalis pro suo instrumento syllogismum demonstratiuum siue doctrinalem, cuius definitio suprapositа est circiter finem libri de syllogismis. Disputationes Dialecticæ ab eodem his verbis definiuntur:

Dialecticæ disputationes sunt, quæ ex probabilibus collectiuæ sunt contradictionum. Disputationes dialecticæ.

Quæ sic est intelligenda. Illæ sunt disputationes Dialecticæ, quibus colligi potest siue inferri probabiliter vtraq; pars contradictionis. Versantur enim Dialecticæ disputationes circa propositiones dubiam habentes veritatem, ad quarum veritatem inuestigandã opus est argumenta quantum fieri potest probabilia adduci, ad vtranque partem contradictionis, vt sic ex vi argumentorum eluceat, vtra plus habeat veritatis aut probabilitatis. Vtitur autem disputatio Dialectica syllogismo dialectico, tanquàm instrumento de quo dictum est circiter finem libri syllogismorum.

Disputationes aliæ sunt tentatiuæ, quæ definiuntur ad hunc modum:

Tentatiuæ disputationes sunt, quæ ex his sunt quæ videntur respondenti, & quæ necesse est eum scire qui se simulat habere scientiam. Disputationes tentatiuæ.

Hanc definitionem ita intelliges. Illæ sunt disputationes tẽtatiuæ, quæ procedunt ex cõmunibus & vt plurimum notis, quæ meritò etiã ipsi respondenti cum quo disputatur nota esse debeãt, & quę meritò scire debet quisquis videri velit sciẽs. Ex talibus enim debet hæc disputatio procedere, vt eò melius possit tentare & experimentũ sumere de scientia respondentis cũ quo disputatur. Si enim cõmunia & quæ passim sciuntur ille ignoret, aut quæ ex eis cõsequuntur nõ videat, argumentũ est quod non admodum in disciplina promouerit. Falli autẽ facile posset qui tentat, si ex peculiaribus & abstrusioribus procederet, quę vix sapiẽtissimi & cõsummatis

matiſmi nouerint. Non enim eſt conſequens eum qui hæc ignoret etiam reliqua communia artis ignorare. Vtitur autem hæc diſputatio ſyllogiſmo tentatiuo, qui ſecundum rem ipſam plerumque idem eſſe videtur cum litigioſo, ſed quantum ad finem differt. Sophiſticus enim dicitur ſyllogiſmus, quatenus ad decipiendum ordinatur: tentatiuus verò, quatenus ad ſumendum de ſcientia alicuius experimentum. Tentatiua diſputatione videtur vſus Saluator apud inuidos Scribas atq; Phariſæos cùm eis quæſtione proponeret de CHRISTO cuius eſſet filius: ac deinde reſpõdẽtibus quòd eſſet filius Dauid, ita ex aduerſo obiecit: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, &c. Si ergo Dauid eum dominum vocat, quomodo filius eius eſt? Proceſsit autem in hac diſputatione Saluator ex communibus in ſcientia legis: quoniam ea quæ de Meſsia in ſcripturis dicta erant, maximè omniũ debuerant illis eſſe perſpecta & cognita, & quæ tam apertè in Lege & Prophetis dicta ac ſcripta fuerunt, meritò intelligere illi debebant, qui ſe magiſtros populi & legis Doctores profitebantur. Porrò litigioſæ diſputationes deniuntur his verbis.

Matth. 22

Diſputationes litigioſæ.

Litigioſæ diſputationes ſunt, quæ ex his quæ videntur probabilia, non ſunt autem, ſyllogizant.

Cuius definitionis plenior intellectus pendet ex definitione ſyllogiſmi litigioſi ſuprapoſita in libro de ſyllogiſmis & ex ijs quæ ibi plenius dicta ſunt ſuppleri debẽt quæ hic dicuntur cõtractius. Eſt igitur hic ſenſus propoſitæ definitionis: Illæ ſunt litigioſæ diſputationes, quæ procedũt verè vel apparẽter, ex his quæ videntur eſſe probabilia & non ſunt, ſubaudi, vel quæ ex ijs quæ ſunt in ſe probabilia, apparenter procedũt. Fit enim huiuſmodi diſputatio per ſophiſticos & litigioſos ſyllogiſmos, ſiue in materia tantum, ſiue in forma tantùm, ſiue in materia ſimul & forma peccantes.

De quinque ſophiſtarum finibus.

CAP. IIII.

PONIT quoque Ariſtoteles fines aliquot ſophiſtarũ, quos in ſuis diſputationibus decertãtes & cõcertantes intendunt, quos vulgò etiam metas appellãt, propterea quòd vbi aliquam illarũ aſſequi contigerit, diſputatione quieſcunt quaſi

quasi iã parta victoria & vltimo fine intẽtionis suæ adepto. Hoc enim primũ quærit sophista, vt respondentem siue verè, siue apparẽter deuincat, sicq; vt sapiens & doctus videatur, habeatúrq; in pretio apud indoctam multitudinem.

Hæc autẽ quinq; sic enumerantur: Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solœcismus, Nugatio. Redargutio, est quando respõdens cogitur vi argumẽtationis affirmare quod prius negauit, vel ecõtrario, negare quod prius affirmauit. Signãter dicitur vi argumentationis aut disputationis: quoniã si respõdens vltrò id faciat vt quod prius affirmauit, iam neget, vel econtrario, vtpote si in hoc velit scientiã ostendere, aut ingeniũ exercitare contradictoria in eadem disputatione defendẽdo, aut partis vtriusq; probabilitatem separatim experiri, nõ ob hoc dicetur ille redarguens. Meta falsi est, quãdo respondens cogitur vi argumentorum aliquid asserere, quod est manifestę & cognitę falsitatis. Meta inopinabilis est, quando respõdens cogitur vi argumentorũ aliquid affirmare, quod licet nõ sit manifestè falsum, apud eos tamẽ qui disputationi intersunt, habetur pro falso aut pro nõ probabili. Meta solœcismi est, quãdo respõdens cogitur admittere propositionẽ aliquã in qua est vitiũ sermonis, vel quãdo ad huiusmodi orationem proloquendam cogitur. Solœcismus aũt hic generaliter capitur, vt cõtra barbarismũ nõ distinguatur. Meta deniq; nugatiõis est, quãdo cogitur respõdens admittere vnius & eiusdẽ in eadẽ oratiõe inutilẽ repetitionẽ. Vt si dicatur: Ioannes est homo homo. Vbi aduertẽdũ est, nõ quamlibet repetitionem eiusdẽ verbi, in eadẽ etiã oratione, esse nugationem, sed eam tantùm quæ fit sine vtilitate. Qui enim idem replicat cũ aliqua vtilitate, nugari nõ dicitur: vtpote cùm ad maiorẽ expressionẽ, vel propter emphasim fit repetitio. Veluti si dicam, O homo homo, quid superbis: Terra terra, quid sine modo tibi opes congeris?

Quinque sophistarũ fines.

Meta falsi

Meta inopinabilis.

Meta solœcismi.

Meta nugationis.

Horum autẽ singulũ (vt ait Aristoteles) aut verè aut apparenter sophistæ intendunt. Nã maximè redarguere videri volunt. Proximè autem, falsum aliquid mõstrare. Deinde ad id quod præter opinionem est ducere. Quartò solœcismum à respondente committi. postremò, idem frequenter dici.

Quid sit fallacia & quomodo diuidatur. CAP. V.

SVPEREST, nunc sigillatim modos istos enumerare secundũ quos fit deceptio sophistica. Et primum quidem

hoc aduertendum est, quod ab Aristotele dicitur modus sophisticus, aut ab aliis locus sophisticus, à recentioribus quibusdam fallaciam nominari, quam & sic definiunt: Fallacia est idoneitas decipiendi, faciens credere de nõ ente quod sit ens, & de ente quod sit non ens, mediante phantastica visione. Quæ definitio sic exponitur: Fallacia vocatur modus aliquis vel locus idoneus ad decipiendum respõdentem per argumentum sophisticum efficiens, vt id quod falsum est & non probabile videatur apparenter verum & probabile: & econtrario, id quod est verum & probabile, vt videatur falsum & non probabile: idq; mediante aliqua phantastica apparentiæ causa, quæ videtur in illo argumento esse cùm nõ sit, & probabilitatẽ ei dare videtur cùm nõ det. Huiusmodi igitur modos vel locos sophisticos, etiam nos iuxta vulgatam appellationem vbiq; fallacias nominabimus.

Definitio fallaciæ.

In vniuersum autẽ huiusmodi fallaciæ ab Aristotele enumerantur tredecim, quarum sex appellat propter dictionem, septem extra dictionem. Fallaciæ propter dictionem siue in dictione sunt fallaciæ æquiuocationis, amphibologię, cõpositionis, diuisionis, accentus, & figuræ dictionis. Fallaciæ extra dictionẽ sunt, accidentis, à dicto secundũ quid, ignorantiæ elenchi, cõsequentis, petitionis principij, secundum non causam vt causam, secundũ plures interrogationes vt vnam.

Fallaciæ in dictione sex.

Dicuntur autem fallaciæ in dictione quæ causam suæ apparentiæ sumunt & decipiendi habent idoneitatem, ex parte alicuius dictionis vel orationis in argumentatione positæ. Vt fallacia æquiuocationis, ex termino plura significante sumit suæ apparentiæ causam: & fallacia amphibologiæ, ex oratione plura significante. Fallacia compositionis & diuisionis, ex determinatione & determinabili diuersimodè compositis vel diuisis. Fallacia accentus, ex parte alicuius dictionis vel orationis, quæ secundum accentus diuersitatem diuersum reddit sensum. Fallacia figuræ dictionis, ex parte alicuius dictionis vel orationis, cuius consideratur similitudo cum alia simili dictione.

Fallaciæ autem extra dictionem dicuntur quæ causam apparentiæ non sumunt, nec decipiendi idoneitatem habent ex aliqua dictione, sed aliunde ex aliqua phantasia circa rem ipsam. De quibus posterius suo loco dicendum est.

Fallaciæ extra dictionẽ septem.

De

De fallacia æquiuocationis. CAP. VI.

INTER fallacias propter dictionem, prima est illa quę sumitur secũdũ æquiuocationem alicuius dictionis. Quid autem sit æquiuocũ, satis notum ex prædicamentis relinquimus. Ferè enim illic eo modo quo hîc accipitur, nisi quòd hîc etiam quantitas eadem eiusdem dictionis solet requiri, cuius ibi nõ fit mentio. Qua de re operæpretiũ non videtur prolixius agere. Fallacia igitur æquiuocationis est, secundũ quam cõtingit fieri deceptionem, ex parte alicuius termini plura habentis significata. Cuius tres modos ponit Aristoteles. Primus est, quando terminus plura habet significata æquè principalia. Vt in hoc paralogismo, Omnis canis est animal, cœleste sydus est canis, igitur cœleste sydus est animal. Idem est, & de terminis cõsignificantibus diuersimodè acceptis. Vt in hoc paralogismo, Omne quod est in vase est vinũ, color est in vase, igitur color est vinũ. Vbi in, vel esse in, capitur secundũ diuersos modos. Huiusmodi æquiuocationis cauillo (vt author est Herodotus) Apollo diuinus vates vsus est, Crœsum Lydorũ regẽ inducens ad inferendum bellum Cyro Persarum regi: Perdet Crœsus Halyn transgressus plurima regna. Verbũ enim perdo, significat amitto & destruo. Secundus est, quando terminus habet plura significata nõ æquè principalia, sed vnũ propter alterũ. Vt si ita quis argumentetur, Omne quod est sanum est animal, vrina est sana, igitur vrina est animal. Omne quod est Deus est omnipotens, homo potestatem habens vitæ ac mortis est Deus (iudices enim in scripturis dij appellãtur) igitur eiusmodi homo est omnipotens. Itẽ, Omnis homo comedit & bibit, homo est pictura quædam in pariete aut statua, igitur pictura aut statua hominis comedit & bibit. In his omnibus causa defectus est, ex parte terminorũ plura nõ æquè principaliter significantiũ. Sanum enim principaliter significat habẽtem sanitatẽ, minus principaliter id quod significat sanitatem. Deus principaliter significat habentem diuinã naturã, analogicè id quod participationem aliquã diuinitatis habet. Hoc modo seipsos paralogizabant miseri Iudæi, & simul iudicẽ suũ Pilatum, cùm aduersus Christũ apud illius tribunal magnis vocibus clamarent ac dicerent, Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Regis enim nomẽ principaliter significat eũ, qui ex natura & ex seipso omniũ rerũ

Fallacia æquiuocationis.

Ioan. 19.

habet imperiũ, cuiusmodi regem se esse dicebat Christus, & secundariò reges istos terrenos, qui tantùm secundũ participationem acceptæ potestatis imperant. Tertius modus est, quando dictio aliqua acquirit plura significata ex parte cõpositionis. Vt immortale significat potens nõ mori, & non potens mori. Inuestigabile significat, non vestigabile, vel quod inuestigari potest. Inuisum significat non visum vel odiosum. Sicq; ex his fiunt paralogismi, Omne quod est immortale nõ potest mori, homo secũdũ statum naturæ primũ erat immortalis (quia poterat non mori) igitur non poterat mori. Item, Omne quod est inuestigabile potest inuestigari, viæ Dei (iuxta Pauli dictũ) sunt inuestigabiles, igitur possunt inuestigari. Item, Omne quod est inuisum est exosum, Deus est omnibus inuisus, quoniam Deum (vt ait Ioannes) nemo vidit vnquam, igitur Deus omnibus est exosus.

Roma. 11. Ioan. 1.

In omnibus autem his paralogismis est eadẽ causa apparentiæ, & eadẽ causa defectus. Causa apparentiæ est, identitas termini æquiuoci secundũ vocem. Causa autẽ defectus est diuersa significatio latens sub eodem vocabulo. Soluunturq; hi paralogismi per distinctionem termini æquiuoci. Si enim terminus æquiuocus accipiatur aliter in vna præmissarũ quàm in altera, negatur consequentia, & est manifesta fallacia. Si autem cõtendat fortè opponens similiter se velle vtrobiq; accipere terminũ æquiuocum, admittenda erit cõsequentia, & altera præmissarum falsa inuenietur. Distinguendæ enim sunt plures significationes, ac deinde interrogandum ab opponente, quam eligat, ac secundum hoc assignanda est illi vel maior vel minor falsa.

De fallacia amphibologiæ.

CAP. VII.

Fallacia amphibologiæ.

FALLACIA amphibologiæ, est modus idoneus decipiẽdi per orationẽ amphibologicam. Sicut enim æquiuocatio est in simplicibus vocabulis, ita amphibologia consideratur in orationibus plures sensus habẽtibus: & sicut æquiuocatio est multiplicitas significationum in vna simplici dictione, sic amphibologia est multiplicitas sensuũ in cõposita oratione. Vnde & hinc euenit pluribus modis fallacia. Primò enim fit ex oratione amphibologica, plures sensus æquè principaliter habẽte. Vt hæc oratio, Liber Aristotelis, significat librum ab Aristotele possessum, vel ab Aristotele com

compositum. Pecunia Cæsaris, significat pecuniã ipsius imagine insignitam, & simul nominis eius ferentem inscriptionem, vel pecuniã cuius est ipse possessor & Dominus. Vnde ex his ita cõtexitur paralogismus, secundum primum hunc modum: Omnis liber Aristotelis posidetur ab Aristotele, hic tuus liber est Aristotelis, igitur posidetur ab Aristotele. Omnis pecunia Cæsaris in ipsius est propria potestate, hæc tua pecunia est Cæsaris, igitur in Cæsaris est propria potestate. Assignat Aristoteles alias orationes amphibologicas, ex diuersa cõstructione aut vario regimine varium sensum habentes. Prima hæc est: Vellem me accipere pugnãtes. In qua si me regatur à parte anteriori, pugnãtes à posteriori, sensus est: Vellem quòd ego acciperẽ pugnãtes. Si ecõtrariò, sensus est, vellem quòd pugnantes me acciperent. Altera est, Quod quis scit, hoc scit. vbi si hoc, accipiatur in casu accusatiuo, est sensus, Quod quis scit illius habet scientiam: si autẽ in casu nominatiuo, est sensus: Quod quis scit, illud habet scientiã. Simile est tertiũ exemplũ: Quod quis videt, hoc videt. Ex his igitur sic fieri possunt paralogismi, Quoscunq; vellem me accipere, vellem ab illis me apprehendi: inimicos aũt meos vellem me accipere, igitur ab inimicis vellem me apprehẽdi. Quod quis scit, hoc scit: lapidem quis scit, igitur lapis scit. Quod quis videt, hoc videt, columnam quis videt, igitur columna videt. Sic & de illo Apollinis oraculo dicendum, quod consultus Pyrrho Epirotatum regi super euentu belli, quod contra Romanos habebat in animo, respondisse legitur, Aio te Aeacida Romanos vincere posse. Quod ambiguũ habet sensum, nempe quòd ipse Pyrrhus posset vincere Romanos, vel quòd Romani possent vincere ipsum Pyrrhum. Alter modus est, quãdo fallacia sit ex parte orationis amphibologicæ non æquè principaliter plura significantis, sed alterũ principalius, alterũ minus principaliter. Vt si quis ita argumentetur, Quisquis arat littus, curuo terrã proscindit aratro, Hic homo frustra laborãs arat littus, igitur curuo terram proscindit aratro. Littus enim arare, principaliter significat terrã, quæ iuxta flumen est vomere proscindere, vt apta fiat suscipiendo semini. Secundario autẽ & minus principaliter significat operam ludere, vel frustra laborare, propter quandã similitudinem, eo quòd frustra fiat laborille, qui impenditur arando littori.

De fallacia compositionis & diuisionis.

CAP. VIII.

Fallacia cõpositionis & diuisio.

FIT etiã propter dictionem, siue in dictione fallacia alia, quæ vocatur, cõpositionis aut diuisionis. Tunc enim dicitur fallacia cõpositionis, quando à sensu diuiso vero, proceditur ad sensum compositum falsum. Ex aduerso fallacia diuisionis dicitur, quãdo à sensu composito vero proceditur ad sensum diuisum falsum. Exemplũ primi: Sedentem possibile est stare, igitur possibile est sedentem stare, siue quod sedens stet. Antecedens quod in sensu diuiso ponitur est verum, cum non aliud significetur nisi quòd is qui modo stat, potestatẽ habeat aliquando sedendi. Consequens autẽ quod secundũ compositum sensum profertur, non est verum, cùm significetur hoc esse possibile, vt simul quis stet & sedeat. Simile est de hoc argumento, Humilis potest esse superbus, igitur potest humilis esse superbus. Secundi exemplum est istud: Impossibile est stantem sedere, aut humilem esse superbum, igitur stantem impossibile est sedere, aut humilem impossibile est esse superbum.

Et hic quidẽ modus fallaciarum compositionis & diuisionis, quantum ad huiusmodi propositiones modales, quæ secundum vnũ sensum sunt veræ, secundum alterum falsæ, satis facilis est, nec ita multa indiget declaratiõe, cùm ea quæ ad hanc rem pertinent, suprà lib. 3. in tractatu de modalibus sufficienter dicta sint. Verùm & in aliis hæ fallaciæ locũ habent. Quãdo videlicet aliqua determinatio secundum quod diuersis cõiũgitur determinabilibus, varios sensus facit, alterum verum, alterũ falsum, vel idẽ determinabile diuersis determinationibus. Vt in hac oratione, Quicunq; scit literas nunc didicit eas. si aduerbiũ nunc cõstruatur cũ verbo præcedenti, habet hunc sensum verũ: Quicunq; nunc scit literas, aliquando eas didicit. Si verò cũ verbo sequenti, habet sensum falsum: Quicunq; scit literas, is nunc eas didicit, pro hoc videlicet articulo tẽporis. Vnde ex hac oratione, ita potest paralogizari: Quicunque scit literas nunc didicit eas, & hic homo scit literas, igitur nunc didicit eas. Itẽ hæc oratio, Ego posui te seruum existentem liberũ. si participium existentem, cũ nomine seruum iungatur, est sensus, Ego te existentem seruũ feci liberũ. Si cum sequenti accusatiuo liberum, est alter sensus, Ego te feci esse seruum ex libero. Sícq;

potest fieri paralogismus ex hac oratione, Quẽcũq; ego posui liberum existentem seruum, hunc ego libertate donaui. Hunc hominem (quem videlicet cùm liber esset seruituti subieci) ego posui liberum existentem seruum, igitur eum libertate donaui. Generaliter verò in his compositio & diuisio considerantur, secundum situm partium magis debitum vel minus debitum, vt sensus qui sumitur secundum situm partium magis debitum, dicatur sensus compositus, qui autem secundum sensum minus debitum, dicatur diuisus. Túncque dicitur fieri compositionis fallacia, quando fit fallacia propter sensum diuisum verum & compositum falsum: & econtrario fallacia dicitur diuisionis, quando fit fallacia propter sensum compositum, siue magis debitum verum & diuisum, siue minus debitum falsum. Exempli gratia, in propositione illa suprapositа: Quicunque scit literas nunc didicit eas, sensus magis debitus & compositus est iste, Quicunque literas nouit, is eas nunc didicit, & hic est falsus: sensus autem diuisus, siue minus debitus est verus, nempe iste: Quicunque nunc scit literas, aliquando eas didicit. Videtur enim determinatio aduerbialis magis rectè & debitè determinare prædicatum didicit, quàm verbum præcedens scit, intra subiectum inclusum: quoniam prædicatum ex se est magis determinabile. Ideò qui ex ea contexitur paralogismus, est fallacia compositionis. Simile est de hoc paralogismo: Quicquid viuit, semper est, brutum viuit, ergo brutum semper est. Maior enim duplicẽ habet sensum. Prior est hic, magis debitus & falsus: Quicquid habet vitam, est sempiternæ durationis. Posterior est hic diuisus: Quicquid habet sempiternam vitam, id subsistit in rerum natura, & hic indubiè verus est. Ob hoc paralogismus ille dicitur secundum fallaciam compositionis.

Quis autem sit sensus magis aut minus debitus, accipere oportet ex iudicio eorum qui in ratione sermonis, siue in arte loquendi habentur peritiores. Quẽ enim in sermone periti iudicant esse magis vel minus debitum sensum, ille habendus est magis debitus vel minus. Ad cuius pleniorem & exactiorem notitiam, solent hoc in loco plures constitui regulæ, quas nos hîc non ponimus, tum quòd non tanta in eis videatur vtilitas quanta perplexitas, tum quòd non eædem ab omnibus, sed à diuersis diuersæ ponantur.

De fallacia accentus. CAPVT IX.

Fallacia accentus.

AD accentum pertinent aspiratio vel non aspiratio, syllabarum quantitas, modus pronuntiandi secundum assertionem, vel interrogationem, vel admirationem, item pausatio & quasi interruptio vocis in pronuntiando, sicut punctatio in scriptura. Contingit itaque interdum eandem vocem aut orationem, secundum quod variis profertur aut scribitur accentibus, diuersum efficere sensum, & aliam habere significationem. Vt malum cùm primam habet longam, significat pomum: cùm autem breuem habet primam, idem valet quod prauũ. Quæ distinctio ex his duobus Virgilij versibus patet: Aurea mala decem misi, cras altera mittam. Fama malum, quo non aliud velocius vllum. Quantum ad aspirationem & non aspirationem exemplum sunt, ara & hara. Sine aspiratione enim significat altare in quo offertur sacrificium: cum aspiratione, porcorum stabulum: Præterea dictio ista inuitè, si absq; distinctione proferatur aut scribatur, est vna dictio aduerbialis, idem valens quod coactè. Si autem cum distinctione, est oratio ex præpositione & nomine composita, significans in ipsa vite. Sic ista oratio, Rex es tu, si proferatur per modum assertionis, significat ita rem habere, si verò per modum quæstionis siue interrogationis significatur tantùm dubitatio. Idem est & de his quæ secundum ironiam proferuntur. Vnde quoties ex huiusmodi accẽtuũ mutatione cõtingit deceptio, secundum fallaciam accentus id fieri dicitur. Exempli gratia, si quis ita argumẽtetur: Omnia mala sunt detestãda, poma sunt mala, igitur sunt detestãda. Omnis populus est arbor, hominũ collectio est populus, igitur hominũ collectio est arbor. Hîc secundum diuersam quantitatem syllabarũ, vocabulorum malum & populus, fit deceptio. Ex parte aspirationis, aut nõ aspirationis, sic fit paralogismus, Omnis ara est in tẽplo, porcorũ stabulum est hara, igitur porcorũ stabulum est in templo. Vel sic, Si dignum est in aris fumũ euaporari idolis, iustum est in templis thura eis offerri, est autẽ iustum & dignum, vt in haris euaporetur idolis fumus (nimirum improbis dæmonibus, & figmentis dignum est ad ignominiã, è porcorum stercoribus fumũ euaporari) igitur dignũ est vt idolis in templis thura offerantur. Item, Si abeo, recedo, argentum habeo, ergo recedo. Vel sic, Quisquis dicit abeo, significat

ficat se recedere: qui aurum habet dicit habet, igitur signi ficat se recedere

Ex parte vocis prolatæ coniunctim & diuisim, sic paralogismus texitur. Si quid Deus fecit inuitè, id fecit coactè: Deus autem vinum fecit in vite, vinum igitur fecit coactè. Item, Omnis terra quæ est in via, frequēter pedibus teritur: Terra deserta aut aquis plena est inuia, igitur frequenter pedibus teritur. Item, Quisquis dicit, Metuo longas pereunte noctes. Lydia dormis, dicit se timere. Amator autem nihil metuens id dicit, igitur nihil metuens dicit se timere. Versus enim ille, Metuo longas, &c. qui ex Horatianis odis sumptus est, sic intelligitur, vt hic sit sensus, Interim dum ego tuus pereo, tu Lydia dormis longas noctes.

Ex parte varij modi pronuntiandi secundum interrogationem aut affirmationem, secundum ironiam, aut secūdum seriam assertionem, sic contingit fallacia. Quicunq; dicit alteri, Egregiè functus es officio tuo, collaudat illum pro benè peracto negotio. Is autem qui alterum irridet, ita subinde loquitur, cum nihil etiam minus quàm laudare velit (quē admodum est illud apud Virgilium, Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis) igitur qui alterum irridet, eundem collaudat. Hic fit fallacia ex ironica pronuntiatione. Qualis etiam contexi posset ex illusoriis verbis militum: quibus CHRISTVM irridebant, hoc modo, Qui Christo dixerunt, Aue rex Iudæorum, regem eum agnoscebant, & vt talem eum venerabantur. Ministri autem impij illudentes ita ei dixerunt: Aue rex Iudæorum, igitur ministri illusores eum agnoscebāt, & venerabantur vt regem. Sic ex verbo Caiphæ secundum interrogationem prolato, fit paralogismus: Qui Christo dixit, Tu es Christus filius Dei viui? agnouit & confessus est Christum esse Dei filium. Caiphas in consilio verbum huiusmodi protulit, igitur Christum illic confessus est.

De *fallacia figuræ dictionis.*

CAPVT X.

Fallacia figuræ dictionis.

FALLACIA figuræ dictionis est modus idoneus decipiēdi, causam apparentiæ sumēs ex figura, id est, similitudine dictionis simplicis vel compositæ cū alia, propter quam similitudinem & cōuenientiā videtur ei aliquid attribuendum, quod ei attribuendū non est secundum veritatem. Vt si quis putet nomē Poëta esse generis fœminini, propter si-

militudinem in finali terminatione, itẽ & declinatione, cum nominibus musa & lima. Aut si quis putet, dogma esse primę declinationis, eo quòd penna sit primæ declinationis. Item si quis verbum ab eo putet esse secundæ cõiugationis, sicut verbum habeo, propter similitudinem terminationis, quoniam vtrunque terminatur in eo. Vnde huiusmodi argumẽta sunt secundum fallaciam figuræ dictionis. Lima est generis fœminini, ergo & Poëta. Penna est primæ declinationis, ergo & poëma & dogma. Habeo est secundę coniugationis, ergo & abeo. Atq; ita in cæteris. Item quãdo terminus vnius prædicamenti, putatur esse terminus alterius prædicamẽti, propter similitudinẽ terminationis. Vt si quis putet lineatum esse prædicamenti qualitatis, sicut coloratũ aut figuratum. Contingit autẽ hoc maximè in prædicamento actionis. Quidam enim termini qui de prædicamẽto sunt passionis, ob terminationem similem terminationi verborum significantium actionem videtur esse de prædicamento actionis, cùm non sint, & ecõtrario. Exẽpli gratia, sentire, videre, audire, & huiusmodi, quia habent terminationem in e, vt solẽt terminari actiua verba, videri possint ad prædicamẽtũ pertinere actionis, cùm econtrario passionẽ significẽt, aut simplices qualitates. Qui enim videt, nõ secundũ quod agit videt, sed secundũ quod patitur. Sensus enim est potentia passiua, & sensatio actu fit per hoc quod ab obiecto sensus patitur. Contrà verò, sentiri, videri, audiri, potius actionem significant, non (vt videtur) passionem. Sic verbum operor, quoniam terminationem habet verbi passiui, existimari possit esse generis passiui, cum sit deponentalis, & passionem significare cùm idem sit quod agere. Similiter valere propter similem terminationem cum verbo docere, videri possit significare actionem, cùm potius significet qualitatem, ipsam videlicet dispositionem valetudinis. Vnde qui ex huiusmodi similitudinibus vnius termini cum altero contexuntur deceptorij syllogismi, dicentur fieri secundum figuram dictionis. Hos autem modos & huiusmodi exempla aperte indicare videtur Aristoteles cum ait, Quæ autem secundum figuram dictionis sunt, accidũt quando non idẽ vt idẽ interpretatur, vt masculinũ, fœmininũ, vel econtrario, vel neutrum genus alterum horũ, vel rursus quale tantum, aut quantum quale, vel faciens, patiens, aut econtrario. &

sic

sic de aliis prædicamentis. Contingit enim aliquid eorum, quæ non significant facere, vt eorum quę significant facere aliqua dictione significare. Vt valere, secundum figuram dictionis videtur significare agere, quēadmodum secare vel ædificare: quamuis illud quidem qualitatem aut effectum quodammodo significet, hæc verò facere. Secundum dictiones, igitur huiusmodi erunt redargutiones. Hactenus Aristotelis verba. Posteriores verò alios etiam ponunt modos, quorum præcipuus ille videtur secundum quem subtermino distributiuo vnius prędicamēti, subsumitur terminus alterius prædicamenti, aut subdistributio vnius speciei terminus alterius. Exemplum primi, Quicquid heri emisti hodie comedes, carnem crudam heri emisti, hodie igitur comedes carnem crudam. Item, Quicquid fuisti heri es hodie, calidus heri fuisti, igitur calidus es hodie. Exemplum secundi, Quantoscunque digitos heri habuisti, habes & hodie: quinque digitos habuisti heri, igitur & hodie quinque habes digitos. Insuper & hoc adiiciunt, locum istum generale esse receptaculum, & quasi diuersorium publicū omnium sophisticarum argumentationum, qualescunque tandem fuerint: propterea quòd omnis argumentatio sophistica apparentiam suæ bonitatis habet ex similitudine cum alia aliqua simili argumentatione bona, vtpote syllogismus malus cum syllogismo bono, inductio mala cum inductione bona, & ita in cæteris. Quæ nos quidem sicut non approbamus, ita nec improbare contendimus. Hoc tantùm dicimus ex iis quę habet Aristoteles, si simpliciter absq; torsione verba exponantur, non alios inueniri huius fallaciæ modos, præter eos quorū exempla supra proposuimus. Sed nec inter posteriores ipsos scriptores, his de rebus satis conuenit. Quamobrem his de fallaciis in dictione vtcunque tractatis, ad fallacias extra dictionem transeamus.

De *fallacia accidentis.*

CAPVT XI.

Fallacia accidentis.

FALLACIA accidētis tunc cōmittitur, quando deceptio prouenit ex eo quòd in argumētatione qualibet termini videntur adinuicē cōiungi syllogisticè, & non rectè coniungūtur, id est, quādo videtur esse bona forma syllogistica & non est. Hæc fallacia admodū latè patet. Omnis enim argumentatio mala quæ videtur habere formā syllogisticam

&

& non habet, huc pertinet. Vnde omnes illi mali syllogismi qui peccant contra regulas, siue generales, siue speciales suprapositas in libro syllogismorum, dicuntur fieri secũdum fallaciam accidentis. Vt cùm proceditur ex puris negatiuis, aut ex puris particularibus, cùm altera præmissarum existente particulari infertur conclusio vniuersalis, cùm in prima figura proceditur minore negatiua aut maiore particulari, & huiusmodi. Exempla patent ex libro syllogismorum.

Peccant etiam secundum hanc fallaciam illi syllogismi, in quibus mutatur genus suppositionis. Vt cùm dico, Animal est genus, & homo est animal, igitur homo est genus. Petrus est dissyllabum, Petrus est animal, igitur animal est dissyllabum. In priori enim paralogismo, animal in prima propositione pro ipsa voce accipiebatur, aut pro natura ipsa animalis in communi siue in genere, non pro persona aut indiuiduo. In secunda autem nec pro voce nec pro animali in communi, sed pro singulari & indiuidua persona accipitur. Primam vocant suppositionem siue acceptionem materialem aut simplicem, alteram personalem. Sicq; genus mutatur suppositionis. Idem constat & in secundo paralogismo, vbi Petrus in altera pro voce, in altera pro persona ipsa reali accipitur. Secundum hanc fallaciam videntur fieri etiam illi paralogismi qui fiunt à duobus in antecedente diuisis ad eadem in consequente malè coniuncta. Vt hic homo est bonus, & est artifex, igitur est bonus artifex: est bonus & est Musicus vel Grammaticus, igitur est bonus Musicus, vel bonus Grammaticus. Ad hunc locum pertinet sophisma illud, quod ab Aulo Gellio narratur propositum Diogeni, in hæc verba, Quod ego sum tu non es, homo sum ego, igitur tu non es homo. In quo paralogismo manifestus est defectus, quoniam proceditur à termino in antecedente nõ vniuersaliter posito ad eundem in conclusione sumptum vniuersaliter, nempe vocabulum homo. Vnde si hic defectus caueatur, valebit syllogismus: Quod ego sum non es tu: homo sum ego, igitur non omnis homo es tu. Admodum autem facetè Diogenes Sophista illi huiusmodi Sophisma contexenti scribitur illusisse verius quàm respõdisse: Quod infers me non esse hominem inquiens falsum est: quòd si verum velis fieri, incipe à me, & tu eris bestia. Videlicet indicare volens tam facilè se huiusmodi paralogismo aduersus illum

illum posse concludere quàm ille aduersus se concluserat. Cuiusmodi modus refutãdi argumẽtationes sophisticas potius retorsio quædam est aut illusio quàm dissolutio. Posteriores responsionẽ ad hominem dicunt, qua videlicet homini satis fit, dum ipse repellitur & silẽtium ei imponitur: quis tamen sit in re defectus, nondum exprimitur, nec quæ latet difficultas explicatur. Et sunt huiusmodi responsione maximè digni Sophistæ, vt qui non ad rem argumentantur, non ad rem accipiant responsionem, iuxta vulgatum illud, Contra vulpem vulpizabis, & contra Gretensem cretizabis.

De fallacia à dicto secundum quid.

CAPVT XII.

DICTVM secundũ quid in proposito dicimus determinabile sumptũ cũ tali aliqua determinatione, quæ ipsum distrahat aut diminuat aut quoquo modo alienũ reddat, sic nimirũ vt cum addita huiusmodi determinatione verè possit prædicari de eo de quo absq; ea non posset. Exempli gratia, terminus homo per se sumptus non potest dici de pictura quæ est in pariete, aut de statua fusili siue sculptili. His enim demonstratis, non poteris dicere quòd verè & simpliciter sint homines, cùm non sint animalia rationalia. Adiectis tamen determinationibus verè tibi dicere licebit: Hæc imago est homo pictus. Hæc statua est homo æneus, aut homo sculptilis siue fusilis. Ideò hæ omnes faciunt dictum secundũ quid. Itẽ de mortuo cadauere vnde iam abscesit anima siue canis siue hominis, non potes dicere quòd sit homo, dices tamen quòd sit homo mortuus. Sic Aethiops non simpliciter albus dicitur, attamen secundum dentes albus verè dicitur.

Cùm igitur ad hunc modum argumentamur, Aethiops est albus secundum dentes, igitur est albus. Hic homo sanctus est secundum externam apparentiam, igitur sanctus est. Hæc statua est homo sculptus ex marmore, igitur est homo. Hoc cadauer exanime est homo mortuus, aut animal mortuum, igitur est homo aut animal. Antichristus est homo futurus, igitur est homo. Hæ & his similes omnes argumentationes Sophisticæ, à dicto secundum quid procedunt ad dictum simpliciter. Aristot. in Topicis obiter hæc tractãs huiusmodi ponit exempla: Hic est naturaliter studiosus (vt natura liberalis aut castus) igitur est simpliciter talis. In aliquo loco (vtpote morboso) expedit vti tali dieta, igitur

simpli

simpliciter expedit. Alicubi bonũ est mactare patrem, nempe apud Tribalos, igitur simpliciter bonũ est. Aliquando expedit medicari, vtpote ægritudinis tempore, igitur simpliciter expedit. Non ens est opinabile, igitur non ens est.

Conuenit autem secundum apparentiam dictũ secundũ quid cum parte in modo, & dictum simpliciter cum toto in modo: quoniã sicut pars in modo determinabili sumit cum determinatione aliqua, ita & dictum secundum quid. Atque hinc causam apparentiæ habent argumentationes, quæ secundũ hunc locum fiunt sophisticæ. Verùm in hoc non conueniunt quòd pars in modo sumit determinabile cum determinatione tantùm restringente: non autem, vel diminuente, vel distrahente, vel alienante, vel ampliante ipsum determinabile: ita vt simpliciter & vniuersaliter dici possit & debeat totum in modo, de eo de quo pars in modo dicitur. In dicto autem secundum quid, non determinatio restringens adiicitur determinabili, sed vel diminuens, vt secũdum dentes respectu albi: vel distrahens, vt pictus aut sculptus respectu hominis: vel alienans, vt mortuũ (nominaliter) respectu hominis vel animalis: vel amplians, vt præteritus, futurus, possibilis, respectu hominis. Atque in hoc latet causa defectus. Ad hanc etiam fallaciã pertinent paralogismi qui fiunt econuerso, à negatione dicti simpliciter ad negationem dicti secundum quid hoc modo, Aethiops non est albus, igitur non est secundum dentes albus. Antichristus non est homo, igitur non est homo futurus aut possibilis. Videntur etiam huc pertinere argumentationes malæ à coniunctis ad diuisa. Vt cùm sic argumentamur, Hic homo est bonus musicus, igitur est bonus, & musicus. Est laudatissimus artifex, igitur est laudatissimus, & est artifex. Est bonus latro, aut bonus fur, igitur est bonus, & est latro. Et econuerso: Non est bonus, aut non est latro, igitur non est bonus latro.

De *fallacia ignorantiæ elenchi.*

CAP. XIII.

Fallacia ignorãtiæ elenchi.

FALLACIA ignorantiæ elenchi tunc dicitur committi, quãdo deceptio fit, ex eo quòd ignoratur aliqua earum particularum quæ ponuntur in definitione elenchi, siue ex eo quòd non penitus natura pernoscitur ipsius elenchi, & conditiones omnes ad verum elenchum requisitæ. Quanquam autem suprà in principio libri huius breuiusculam

quand

quandam definitionem elenchi Aristoteles assignauerit, dicens elenchum esse syllogismum cum conclusionis contradictione, Hìc tamen eundem longè prolixiori descriptione iterum definit, his verbis:

Elenchus est contradictio vnius & eiusdem non nominis, sed rei & nominis: non synonymi, sed eiusdem: ex his quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo quod erat in principio, secundum idem, ad idem, similiter, & in eodem tempore. Definitio elenchi.

Quæ definitio sic est intelligenda. Elenchus est syllogismus concludens propositionem contradictoriam vel contrariam, quæ cum altera cui opponitur debet esse vnius, & eiusdem tam subiecti quàm prædicati, id est, eorundē extremorum, non solum secundū vocem: neq; etiam solum secundum significationem, sed secundū vocem & significationem simul, debetq; suam conclusionem ex præmissis in modo & figura dispositis & concessis, secundum necessariam inferre consequentiā: nec debet admitti in eiusmodi syllogismo vitium petitionis principij. Debent postremo obseruari quatuor istæ particulæ secundum idem, ad idem, similiter, & in eodem tempore. In qua definitione manifestum est quædam poni ex parte oppositionis, ad indicandum quæ ad oppositionem veram requirantur, nempe quod dicitur, vnius & eiusdem, nō nominis sed rei, non synonymi sed eiusdem. Quod sequitur, ex iis quæ data sunt ex necessitate, quid ad syllogismum requiratur explicat. Subsequens, nō cōnumerato eo quod erat in principio, pertinet ad syllogismū probatiuum, cuiusmodi debet esse elenchus verus. Quatuor autem illæ particulæ vltimo loco positæ, ad idem, secundum idem, similiter, & in eodē tempore, ad vtrunq; videntur pertinere, id est, & ad rationem oppositionis, & ad modum conclusionis. Cùm igitur contingit decipi aliquem apparēti siue sophistico elencho, existimans elenchum esse qui proponitur, & verè concludi oppositum, cùm non ita fiat, propter omissionem alicuius horum quæ ad verum elenchū definita sunt requiri, locam dicitur habere ista fallacia ignorantiæ elenchi. Propter non obseruationem particulæ ad idem fit fallacia in hoc paralogismo: Quatuor sunt duo, &

non

non sunt duplum ad tria, igitur quatuor sunt duplum & nõ duplum. Item iste est pater huius, & non est pater illius, ergo est pater & nõ pater. Propter non obseruationẽ particulæ secundum idem, hi sunt paralogismi. Hoc lignum secũdum longitudinem est duplum ad istud, & secundum latitudinem non est duplum ad istud, igitur hoc lignum ad idem simul est duplum & nõ duplum. Hìc manifestũ est obseruari quidem particulam ad idem, sed nõ secundũ idem. Simile est in hoc paralogismo, CHRISTVS secundum humanitatem est filius Mariæ matris & patris Dauid, & secundum Diuinitatem non est eorundem filius, igitur eorundem est filius, & non est filius. Item, Hic homo secundum quod pater est isto filio suo dignior, & secundum quod subiectus filio suo in præfectura aut prælatione qualibet posito non est dignior, igitur est eodem dignior & non est dignior. Propter non obseruationem particulæ, similiter, hìc est fallacia: Ioannes velociter currit, & non necessariò currit, igitur Ioannes currit & non currit. Hic princeps potenter imperat, & non clementer imperat, igitur imperat & nõ imperat. Item CHRISTVS temporaliter est natus de Virgine & non est æternaliter de ea natus, igitur est natus de Virgine, & nõ natus de eadem. CHRISTVS cùm in hoc mundo esset, regnabat in eo inuisibiliter, & non regnabat in eo visibiliter, igitur regnabat in eo & non regnabat. Manifestum est hìc seruari particulas, ad idem secundum idem, sed non similiter.

Propter non obseruationem particulæ in eodem tẽpore, hi sunt paralogismi: Manus mea clausa est pro hoc tẽpore, & pro illo tempore alio non est clausa, igitur est clausa & non est clausa. Hic homo fuit Grammaticus annum vnum aut alterum, & ante vnum aut alterũ annum nõ fuit Grammaticus, igitur fuit Grammaticus & nõ fuit Grammaticus. Item CHRISTVS cùm in hoc mundo esset nõ habuit à patre exequutionem potestatis super omnia, eam autem mox habuit assumptus in cœlos, igitur eam habuit & nõ habuit.

De fallacia petitionis principij.

CAP. XIIII.

Petitio principij.

PETITIÓ principij vel eius quod in principio est tũc fieri dicitur, quãdo id quod probandũ est, ab opponente tanquàm notum aut probatũ assumitur, ad probandum alterũ minus notum vel æquè ignotũ. Dicitur etiam peti quod in princ

principio est, quando penitus idem assumitur ad probandū seipsum. Vt si ita quis argumentetur, Omnis homo est homo, & omnis homo est homo, ergo omnis homo est homo. Verum huiusmodi petitio principij fallaciam facere nō potest. Cuilibet enim notissimum est, antecedens hîc nō probare consequens. Quando autem id quod assumitur non penitus idem est cū eo quod est probandum, est tamē ignotius vel æquè ignotum, in hoc accidere potest fallacia, ex eo quòd respondens credat antecedens probare consequens, cùm id minimè faciat. Vt si quis ita argumentetur: Omnis homo est capax disciplinæ, & omne animal rationale est homo, igitur omne animal rationale est capax disciplinæ. Item, Omne animal rationale interdū dormit, omnis homo est animal rationale, igitur omnis homo interdum dormit. In his antecedens est ignotius consequente: quoniam prędicata essentialia notiori modo cōueniunt definitioni: quàm definito, & prædicata accidentalia definito quàm definitioni. Aequè autem ignotum est antecedens cū consequente in hac argumentatione: Anima equi nō remanet post mortem equi separata, igitur anima asini post eius mortem separata nō remanet. Non enim de anima equi id magis cōstat, quod intereat cum corpore, quàm de anima asini. Ex prædictis patet inter hāc fallaciam petitionis principij, & alias hactenus positas aut etiā ponendas, differentia hæc particularis, quòd cæteræ in forma peccant & sunt malæ consequentiæ, non rectè neq; verè inferentes, quod videntur inferre. Quę autem secundū hanc fallaciam fiunt argumentationes sophisticæ, secundum materiam peccant, & possent esse bonę consequentiæ, & validissimè concludentes syllogismi, aut enthymemata optima. Sed quia in materia defectus est, eo quòd nō probent cùm videantur probare, idcirco sophisticæ dicuntur. Et hi sunt syllogismi litigiosi peccantes in materia, de quibus dictum est in fine libri syllogismorum.

De *fallacia consequentis*. CAP. XV.

Fallaciæ consequētis.

FALLACIA consequentis est, quādo euenit deceptio ex eo quòd putatur cōsequentia conuerti, cùm non cōuertatur, id est, quando creditur quòd sicut antecedens infert consequens, sic vicissim cōsequens inferat antecedens. Vt si quis credat hanc consequentiā valere: Hoc est animal, igitur est homo, eò quòd ecōtrario sequatur: Hoc est homo, ergo

est animal. Aut si quis credat hanc valere consequentiam: Nõ est homo, ergo nõ est animal. eo quòd sequatur cõtrario ordine. Non est animal, ergo nõ est homo. Sic decipitur qui ita argumentatur: Hoc est flauũ, ergo est mel. eo quòd ecõuerso valeat cõsequentia: Est mel, ergo est flauum. Huius fallaciæ duos ponunt modos. Primus est, quãdo quis vt antecedens sequitur consequens, ita ad consequens econtrario putat sequi antecedens. Vt, Si homo est, animal est, igitur si animal est, homo est. Si non est animal, non est homo, igitur si non est homo, nõ est animal. Secundus est, quando sicut ex antecedente sequitur consequens, ita ex opposito antecedentis putatur sequi oppositum consequentis. Vt, Si homo est, animal est: igitur si homo non est, animal nõ est. Si non est animal, non est homo, igitur si est animal, est homo. Ad hanc fallaciã consequentis pertinet, quoties quis fallitur argumentando à toto vniuersali non vniuersaliter accepto, ad partem ipsi subiectam, aut à parte ad totum vniuersaliter sumptum. Item à toto in modo non vniuersaliter sumpto ad partem, vel à parte ad totum vniuersaliter sumptum. Item à parte vna vel nõ omnibus in quantitate, ad totum in quantitate. Item quando negatiuè argumentatur à toto integrali ad singulas partes copulatim, vel ad aliquam partiũ sigillatim: aut econtrario affirmatiuè, ab aliqua partium affirmatiuè ad totum. Item quãdo in communiter accidentibus à priori ad posterius proceditur affirmatiuè, vel à posteriori ad prius negatiuè, & quando in oppositis mala fiunt argumenta, à negatione ad affirmationem, & à maiori affirmatiuè, aut à minori negatiuè, & ab authoritate item negatiuè. Et vniuersaliter, quando non valet conuersa consequentia.

De fallacia secundum non causam vt causam.

CAP. XVI.

Fallacia secundum nõ causam vt causam.

SECVNDVM nõ causam vt causam fiunt paralogismi quãdo falsitas illatæ conclusionis imputatur alicui præmissarum, quæ nõ est causa falsitatis conclusionis, ita vt ea etiam ablata, æquè falsa sequeretur conclusio. Fit autem hæc fallacia in syllogismis ad impossibile, de quibus dictum est in libro de syllogismis. Exemplum huiusmodi ponit: Aristoteles: Anima & vita sunt idẽ. Generatio & corruptio sunt contra

traria,& mors est corruptio,igitur vita est generatio, & viuere generari. Hoc autem falsum est, quoniam is qui viuit, iam non generatur, sed genitus est,& existēte vita iam nō est generatio,igitur & illud primo loco assumptum falsum est,anima & vita sunt idem. Hic est fallacia secundum non causam vt causam,quoniam illa propositio prima assignatur pro causa falsitatis conclusionis,& ex conclusionis falsitate ipsa interimitur,tanquā propter quam infertur conclusio falsa,cùm nō ita res habeat. Non enim ista, sed altera illa. Mors est corruptio,in causa est,quare falsa sequatur cōclusio,& ipsa ex conclusionis falsitate erat interimēda. Non enim verum est,mortem esse corruptionem, sicut neque verum est,vitam esse generationem. Generatio enim & corruptio sunt motus, Mors autem & vita non sunt motus,sed potius motum concomitantia,& velut eorum termini. Generatio enim est motus ad esse siue ad vitam, & corruptio est motus ad non esse siue ad mortē. Quòd autē prima illa propositio, Anima & vita sunt idē,causa non sit falsitatis cōclusionis,ex eo patet,quòd æquè sequatur conclusio,etiā si illa auferatur. Sumit autem suæ apparentiæ causam hæc fallacia,ex conuenientia propositionis non causæ,cū aliqua prę-missarum. Nisi enim aliqua sit conuenientia,nulla erit apparentia deceptionis. Defectus autem in hoc est quod tāquam causa sumitur,quæ verè causa non est,& ad rē no facit.

De fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

CAPVT XVII.

Fallacia secūdum plures interrogationes vt vnam.

POSTREMA fallaciarum extra dictionem positarum ab Aristotele,est, secundum plures interrogationes vt vnam. Quæ tūc fieri dicitur,quādo proposita interrogatione simul de pluribus,& ad eam respōsione data sine distinctione,perinde ac si de vno solo interrogaretur,contingit ex huiusmodi responsione verè vel apparenter ipsum qui sic respōdit,ab opponente paralogizari aut decipi. Vt, exempli gratia,si quis demonstrātis duobus quorum alter est videns, & alter cæcus,interroget: Sunt isti videntes aut non videntes? dicat autem respondens indistinctè, eos non esse videntes, argumentabitur interrogans, Igitur iste non videt, demonstrato cæco, & iste non videt demonstrato vidente. Vtrumlibet enim dixerit siue videntes esse,siue non videntes,non euadet. Si autem responderit distinctè: Hic videt,

ille non videt, iam euasit calumniam. Causam apparentiæ sumit hæc fallacia, ex apparenti similitudine interrogationis de vno, cum ea quæ de pluribus, propter quam putatur similiter esse respondendum vtrique. Causa autem defectus in hoc est, quòd non adhibetur distinctio quæ deberet adhiberi in responsione ad plures interrogationes. Deberet enim responderi distinctæ, perinde ac si plures interrogationes essent propositæ.

Post hos autē locos ita sigillatim enumeratos & pertractatos, Aristoteles deinde ostendere conatur, quemadmodum omnes hi loci ad vnum illum qui appellatur ignorantiæ elenchi possent reduci, adiiciens & alia quædam quæ ad paralogismorum rectam solutionem non sunt inutilia. Verùm nos ea quæ iam dicta sunt pro qualicunq; introductione sufficere existimantes, illis sigillatim pertractandis supersedemus, finémque hic Dialecticis nostris tractatibus imponimus, ad laudem & gloriã summę primæq; Veritatis, quę omnem aduersatur falsitatem, quæ in vnitate & Trinitate viuit & regnat per omnia secula. Amen.

FINIS.

ANNOTATIO OMNIVM CAPITVM, QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

*

QVAM magnificè diuinus Plato De Dialectica senserit. Cap. 1.

Quod sine Dialectica philosophia non potuit esse consummata, quódq; Dialecticam Plato adiungens scientiæ naturali & morali, consummatam effecerit philosophiam. cap. 2.

Quæ necessitas ad Dialecticæ artis inuentionem veteres induxerit. cap. 3.

Dialecticam cæteris artibus inueniendis atque formandis esse necessariam. cap. 4.

Quanti Dialecticam fecerint veteres illi Stoici ex Diogene Laertio. cap. 5

Quod dialectica admodum coniunctam habeat eloquentiam artemq; dicendi. cap. 6.

Quod absque Dialectica & philosophia nemo perfectam assequi possit eloquentiam, nec Rhetor esse sine philosophia. cap. 7.

Quod oratorum præclarissimi philosophiæ, & peculiariter dialecticæ studia coluerint. cap. 8.

Quomodo sui contemptum vlciscatur Dialectica. cap. 9.

Quod naturæ non ita sit fidendum, vt propterea ars ipsa Dialecticæ negligatur. cap. 10.

Quod eruditio Dialecticæ, cæterarumq; disciplinarum liberalium, à Christiana professione non sit aliena. cap. 11.

Quod ad scripturas exactius intelligendas plurimum conducat peritia Dialecticæ. cap.12.
Quod Dialectica ad euertendos secularis sapientiæ errores egregiè valeat. cap.13.
Quod Deo placitum sit per liberales artes hæreticorum figmenta dissoluere. cap.14.
Quod hæretici in suis erroribus stabiliendis plurimũ vtantur Dialectica. cap.15.
Quod nimium iniqui sunt hæretici, cùm ipsi frequenter vtantur Dialectica & Rhetorica & cæteris liberalibus artibus: nolunt tamen hæc à veritatis assertoribus ad veritatis defensionem vsurpari. cap.16.
Non ob hoc damnandam esse Dialecticam, quòd pleriq; ea ad captiones sophisticas abutantur. cap.17.

Primi Libri Capitum Annotatio.

DE indiuiduo & vniuersali in genere. cap.1.
De quadruplici indiuiduo, & primùm de indiuiduo determinato. cap.2.
De indiuiduo ex demonstratione. cap.3.
De indiuiduo vago. cap.4.
De indiuiduo ex hypothesi. cap.5.
De alia quadam definitione indiuidui. cap.6.
De quinq; speciebus vniuersalis, & primùm de genere. ca.7.
De aliis duabus acceptionibus vocabuli, genus. cap.8.
De specie. cap.9.
De identitate & diuersitate. cap.10.
De speciei varia acceptione. cap.11.
De specie specialissima & subalterna, itémq; de genere generalissimo & subalterno. cap.12.
De differentia. cap.13.
De distinctione huius triplicis differentiæ. cap.14.
Declaratur per analogiã quomodo genus contrahatur per differentiam ad componendum speciem. cap.15.
Differentias conducere ad diuidendũ & definiendũ. cap.16.
Specificam differentiam dici dupliciter. cap.17.
Ponuntur definitiones differentiæ magis propriæ. cap.18.
De quatuor acceptionibus proprij. cap.19.

Quo

Quomodo proprij natura fluat ex coniunctione differentiæ cum genere. cap.20.
Definitio proprij vt est quartum prædicabile. cap.21.
De accidente. cap.22.
De accidentibus diuersis, separabilibus & inseparabilibus. cap. 23.
De conuenientia prædicabilium. cap.24.
De prædicatione ordinata & inordinata. cap.25.
De prædicationibus identicis & per accidens. cap.26.
De prædicatione extrinseca. cap.27.
De differentia quinque prædicabilium secundum diuersos modos prædicandi. cap.28.

Secundi Libri Capitum Annotatio.

DE triplici acceptiõe termini, Prædicamentum. Cap.1.
De antepredicamẽtis, & primùm de æquiuocis. cap.2.
De æquiuoco à casu & à consilio. cap.3.
Tres ponuntur de æquiuocis regulæ. cap.4.
De definitione vniuocorum. cap.5.
De quibusdam ad cognitionem denominatiuorum spectantibus. cap.6.
Explanatio definitionis denominatiuorum. cap.7.
De prædicatione æquiuoca, vniuoca, & denominatiua. ca.8.
Prima diuisio anteprædicamentalis. cap.9.
De triplici complexo & triplici incomplexo. cap.10.
Secunda diuisio anteprædicamentalis. cap.11.
Definitio, esse in subiecto, posita ab Aristotele. cap.12.
De prima regula anteprædicamentali. cap.13.
Secunda regula anteprædicamentalis. cap.14.
De enumeratione decem prædicamentorum. cap.15.
De substantia in speciali. cap.16.
De secundis substantiis. cap.17.
Ponuntur quædam regulæ ad cognoscendum, inter secundas substantias, quæ sunt magis substantiæ. cap.18.
De conditionibus siue communitatibus, & proprietatibus substantiæ. cap.19.
Secunda communitas siue proprietas substantiæ. cap.20.

Tertia proprietas siue communitas substantiæ. cap.21.
Quarta proprietas siue communitas substantiæ. cap.22.
Quinta communitas vel proprietas substantiæ. cap.23
De sexta proprietate substantiæ quæ singulariter dici meretur proprietas. cap.24.
Proponitur, & soluitur obiectio de opinione & oratione. cap.25.
De prædicamento quantitatis. cap.26.
De quantitate continua, & primo ponitur definitio eius. cap.27.
De altera specie quantitatis, nempe de quantitate discreta. cap.28.
De secunda diuisione quantitatis. cap.29.
De communitatibus & proprietatibus quantitatis. cap.30.
Secunda proprietas quantitatis. cap.31.
Tertia proprietas quantitatis. cap.32.
De prædicamento ad aliquid. cap.33.
De communitatibus & proprietatibus ad aliquid. cap.34.
Secunda proprietas ad aliquid. cap.35.
Tertia proprietas ad aliquid. cap.36.
Quarta proprietas ad aliquid. cap.37.
Quinta proprietas ad aliquid. cap.38.
Secunda definitio ad aliquid explicatur. cap.39.
Ponuntur diuisiones ad aliquid. cap.40.
De prædicamento qualitatis. cap.41.
De quatuor speciebus qualitatis, primùm de habitu & dispositione. cap.42.
De iis, quæ sub habitu & dispositione continentur. cap.43.
De secunda specie qualitatis. cap.44.
De tertia specie qualitatis. cap.45.
De quarta specie qualitatis. cap.46.
De definitione qualium. cap.47.
De conditionibus siue proprietatibus qualitatis. cap.48.
Secunda proprietas qualitatis. cap.49.
De tertia proprietate qualitatis. cap.50.
De prædicamento actionis. cap.51.
De proprietatibus actionis & passionis cap.52.
De prædicamento passionis. cap.53.
De prædicamento vbi. cap.54.
De prædicamento quando. cap.55.

De prædicamento situs. cap.56.
De prædicamento habitus. cap.57.
De proprietatibus habitus. cap.58.
De postprædicamentis. cap.59.
De relatiuè oppositis. cap.60.
De contrariè oppositis. cap.61.
De contrariis mediatis & immediatis. cap.62.
De priuatiuè oppositis. cap.63.
De contradictoriè oppositis. cap.64.
De modis prioris. cap.65.
De modis simul. cap.66.
De motu & eius speciebus. cap.67.
De modis habendi. cap.68.

Tertij Libri Capitum Annotatio.

DE nominis definitione Cap.1
De verbo. cap.2.
De oratione. cap.3.
De oratione perfecta non enuntiata. cap.4.
De oratione enuntiatiua. cap.5.
De diuisione propositionis in simplicẽ & cõiunctam. cap.6.
De secunda diuisione enuntiationis. cap.7.
De singulis vniuersalibus & particularibus. cap.8.
De propositione indefinita. cap.9.
De propositione affirmatiua & negatiua. cap.10.
Quomodo distinguantur prædictæ tres diuisiones. cap.11.
De oppositione in generali. cap.12.
De speciebus oppositionis. cap.13.
De conditionibus quibusdam ad perfectam oppositionem requisitis. cap.14.
De legibus oppositionum. cap.15.
De diuersa materia propositionum. cap.16.
De æquipollentiis propositionum. cap.17.
De conuersione propositionum. cap.18.
De propositionibus hypotheticis. cap.19.
De veritate aut falsitate propositionum hypotheticarum cognoscenda. cap.20.

De propositionibus, quæ modales vocantur. cap.21.
De æquipollentia modalium compositarum. cap.22.
De conditione quadam ad bonam æquipollentiam obseruanda. cap.23.
De oppositionibus modalium. cap.24.
De conuersione modalium. cap.25.

Quarti Libri Capitum Annotatio.

DE syllogismorum principiis materialibus. cap.1.
De definitione syllogismi. cap.2.
De syllogismo perfecto & imperfecto. cap.3.
De principiis regulatiuis syllogismi. cap.4.
De triplici figura syllogismorum. cap.5.
De quinque regulis generalibus omnium syllogismorum. cap. 6.
De regulis specialibus primæ figuræ. cap.7.
Discernuntur modi primæ figuræ vtiles ab inutilibus. ca.8.
De modis vtilibus primæ figuræ, & de vocabulis, quibus modi illi aptè signantur. cap.9.
De quinque modis primæ figuræ indirectè concludentibus. cap. 10.
De regulis specialibus secundæ figuræ. cap.11.
De modis secundæ figuræ. cap.12.
De tertia figura. cap.13.
De modis tertiæ figuræ. cap.14.
De reductione syllogismorum imperfectorum. cap.15.
De reductione ostensiua singulorum modorum imperfectorum. cap.16.
Quomodo reductione hac ostensiua sit vtendum. cap.17.
De reductione per impossibile. cap.18.
Ad quos modos perfectos singuli imperfecti sint reducendi per impossibile. cap.19.
De quibusdam apud Aristotelem tractatis, quæ vocantur præsuppositа. cap.20.
De arte inueniendi medium. cap.21.
De syllogismorum potestatibus. cap.22.
De potestate verum ex falsis concludendi. cap.23.
De syllogismo circulari. cap.24.
De syllogismo conuersiuo. cap.25.

De syllo

De syllogismo per impossibile. cap.26.
De syllogismo ex oppositis. cap.27.
De tribus defectibus syllogismorum. cap.28.
De syllogismis ex obliquis. cap.29.
De syllogismis hypotheticis. cap.30.
De diuisione syllogismi in demonstratiuum, dialecticum, & litigiosum. cap.31.
Quæ dicantur prima & vera. cap.32.
De aliis definitionibus demonstrationis. cap.33.
De syllogismo Dialectico. cap.34.
De definitione syllogismi litigiosi. cap.35.
De enthymemate. cap.36.
De inductione. cap.37.
De exemplo. cap.38.

Quinti Libri Capitum Annotatio.

QVid sit locus, quid itē locus maxima & differentia maximæ. Cap.1.
De loco intrinseco, extrinseco & medio. cap.2.
De loco à definitione. cap.3.
De loco à definito ad definitionem. cap.4.
De locis à descriptione, & nominis interpretatione. cap.5.
De loco à toto vniuersali. cap.6.
De loco à toto integrali. cap.7.
De loco à toto in quantitate. cap.8.
De loco à toto in modo. cap.9.
De loco à toto in loco & tempore. cap.10.
De loco à causis. cap.11.
De vulgatiori vsu horum locorum à causis. cap.12.
De vsu generaliori locorum à causis. cap.13.
De vsu loci à causa materiali. cap.14.
De loco à causa formali. cap.15.
De loco à causa finali. cap.16.
Quomodo etiam apud poetas multus sit horum locorum vsus. cap.17.
De locis à generatione & corruptione. cap.18.
De loco ab vsibus. cap.19.
De loco à communiter accidentibus. cap.20.
De loco à relatiuè oppositis. cap.21.
De loco à contrariis. cap.22.

De locis

De locis à priuatiuè, & contradictoriè oppositis. cap.23.
De contradictoriè oppositis. cap.24.
De locis qui appellantur à contrario & in ipso. cap.25.
De loco à disparatis. cap.26.
De loco à maiori. cap.27.
De loco à minori. cap.28.
De loco à simili. cap.29.
De loco à proportione. cap.30.
De loco à transmutata proportione. cap.31.
De loco à disimili, & à disproportione. cap.32.
De loco ab autoritate. cap.33.
Quibus potissimum disciplinis conueniat locus iste, & de autoritate duplici. cap.34.
De loco à transsumptione. cap.35.
De locis medijs, & primum de loco à coniugatis. cap.36.
De loco à casibus. cap.37.
De loco à diuisione. cap.38.
De multiplici diuisione. cap.39.
De modis argumentandi per locum à diuisione. cap.40.
De aliis quibusdam locis signatis ab Aristotele. cap.41.

Sexti Libri Capitum Annotatio.

IN quem vsum Elenchorum liber seruire debeat. Cap.1.
Definitio elenchi. cap.2.
De quatuor generibus disputationum. cap.3.
De quinque sophistarum finibus. cap.4.
Quid sit fallacia, & quomodo diuidatur. cap.5.
De fallacia æquiuocationis. cap.6.
De fallacia amphibologiæ. cap.7.
De fallacia compositionis & diuisionis. cap.8.
De fallacia accentus. cap.9.
De fallacia figuræ dictionis. cap.x.
De fallacia accidentis. cap.11.
De fallacia à dicto secundum quid. cap.12.
De fallacia ignorantiæ elenchi. cap.13.
De fallacia petitionis principij. cap.14.
De fallacia consequentis. cap.15.
De fallacia secundum non causam vt causam. cap.16.
De fallacia secundū plures interrogationes vt vnā. cap.17.

FINIS.

Lugduni,
EXCVDEBAT
PHILIBERTVS
ROLLETIVS.

FRANCKESCHE STIFTUNGEN

172E3